
INTRODUCTIO IN HISTORIAM EVANGELII SECULO XVI. PASSIM PER EUROPAM RENOVATI DOCTRINÆQUE REFORMATÆ.

ACCEDUNT VARIA QUIBUS IPSA HISTORIA ILLUSTRATUR, MONUMENTA PIETATIS ATQUE REI LITERARIÆ

AUTHORE
DANIELE GERDESIO
TH. D. ET PROF. ORD. ACAD. GRONING.-OMLANDICÆ
H. T. RECTORE
SOCIETATIS SCIENT. REGIÆ BEROLIN. MEMBRO.



GRONINGÆ,
Apud HAJONEM SPANDAW }
Proftant & *BREMÆ* apud H. W. RUMP. } Bibliopolas.
ANNO MDCCXLIV.

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI AC DOMINO

GUILIELMO CAROLO HENRICO FRISONI

D. G. ARAUSIONENSI ET *NASSAVIO*

P R I N C I P I

GELRIÆ, FRISIÆ, GRONINGÆ OMLANDIÆ AC *DRENTHIÆ*

GUBERNATORI

ET SUPREMO

MILITIÆ PRÆFECTO.

RELIQUA.

LITERARUM ATQUE ERUDITIONIS

STATORI ATQUE FAUTORI

OPTIMO MAXIMO.

RELIGIONIS ET LIBERTATIS

VINDICI ET ADSERTORI

S U M M O.

SERENISSIME PRINCEPS

CELSISSIME DOMINE!

QUod Celſitudinem TUAM non veretur adire hic liber, quodque is ſublime illud non extimeſcit & Regali proximum Aulæ TUÆ faſtigium, ipſa TUA erga authorem toties totieſque verbis ac vultu teſtificata facit Humanitas atque Benevolentia. Quanquam enim aliquoties honeſtus quidam pudor, atque verecundia laudabilis, me hoc opus, ad Serenitatem TUAM deſtinantem, meæque egeſtatis conſcium à ſcribendo retardare potuerint, intercedebat tamen

è veſtigio, omnémque timorem propellebat, partim ſerenum illud, maximeque benevolum, quo TUA Celſitudo me non ſemel amplexa fuit, Faciei TUÆ lumen, partim quod ſciebam, ſummum TUUM in omne doctrinarum genus Favorem, in Sacras verò etiam Literas, Veritatémque Evangelicam, Studium propenſiſſimum. Nullum itaque, vel audaciæ vel impudentiæ crimen vereri debebam, quod non omne à perinſignis Tuæ Benevolentiæ, Tuique Favoris aura profligari poſſet; Quem cum dudum in me pariter ac in literas explicaveris Favorem, dubium poterat eſſe nullum, quin Celſiſſimo TUO patrocinio hunc quoque libellum eſſes dignaturus. Addidit animum, quod ea hic referuntur rerum memorabilium fata, quæ & Veritatis & Libertatis (cujus utri-

uſque

usque TE Statorem esse & Patronum maximum, nostra lætabunda non ignorat ætas, & gratabunda commemorabit posteritas) Christianæ quaquavorsum patet, Civitati, de novo concessæ, atque Restitutæ, simul originem pandunt, & quo modo per singularem Providentiam divinam fuerit factum, ut utraque in plurimis Europæ Regnis ac Provinciis cultioribus redintegraretur. Tametsi enim Nassavicarum Regionum, quæ TE Principem ac Dominum suum Clementissimum, venerantur atque in oculis ferunt, serior aliquantisper inter ceteras Germaniæ regiones ea fortuna fuerit, ut Reformatis Sacris vota sua addicerent, siquidem, qui primis Reformationis, caput efferentis, temporibus, eas moderabatur, HENRICUS Princeps, Renati Cabillonensis primi ex stirpe Nassovica Prin-

Principis Araufiaci, Hollandiæque, Zelandiæ ac Frifiæ, Præfecti, Pater, potentiæ & opum caufa *Dives* cognominatus, Reformationi non faviffe perhibeatur: Tamen ejus Fratrem GULIELMUM Naffovium, Gulielmi Araufiaci & Johannis Naffovii Patrem, jam Anno 1535. Fœderi Smalcaldico, Principumque Proteftantium, adverfus omnia Antichriftianifmi minas & fanguinem fpirantis molimina, confociationi acceffiffe, atque abinde Reformationis fummum Fautorem extitiffe atque Promotorem, novimus. Ab hoc enim ftemmatis hodierni Parente, deinceps & Veritatis renatæ & Libertatis adfertæ ftudium patrociniumque, hæreditario veluti jure transfufa funt atque derivata ad GULIELMUM Araufiaçum I. & ad JOHANNEM Naffovium, ejus Filios; Cum-

Cumque idem ille JOHANNES Dillenburgi Dominus, TUUS, Celsissime Princeps, Atavus, summa pietate, prudentia, ac humanitate Heros, circa Annum 1578. præfectus Gelriæ, inter præcipuos auctores fuerit arctioris Unionis Ultrajectinæ, Ejusque memoria, propter res, cum in ditionibus Nassavicis, ubi Schola Herbornensis A. 1584. erecta, eum habet Fundatorem, tum in hoc Belgio nostro, præclare gestas, cum tota Gelria eum præcipuè veneretur Doctrinæ salutaris instauratorem & Reformationis Directorem summum, sit in benedictione; Tum GULIELMO, qui, quod á patrui Henrici Filio, Renato Cabillonensi, Arausiacum quoque acceperat Principatum, dictus est *Arausiacus* I. Belgium hoc nostrum, atque Reformata Ecclesia, ita maxima debet om-

nia, ut is apud omnes, communis Patris ac Servatoris Nomen gerat, seris nepotibus annunciandum, atque perennaturis concelebrandum laudibus: Ab his itaque, ad totam utriusque lineæ Illustrissimam Prosapiam, cum hæc in Rempublicam, & Ecclesiam nostram impensissima manarint studia, exinde mihi conjecturam facere liceat, harum rerum primas origines, ex ipsa Historia Doctrinæ Reformatæ repetendas, Tanto Principi, in quo uno jam sublimis illa Parentum Virtus & Majorum Gloria celsissimam fixit sedem, non posse ingratas esse, aut inacceptas. Neque veró mihi animus est, Serenissime Princeps, amplissimum simul & nobilissimum præcellentium Virtutum TUARUM felicem prorsus & admirabilem concentum enarrare, quippe quas, in gloriosissima illa hominum,

num, quam Principes constituunt, parte, rarissimas, miratur omnis atque deprædicat Orbis, neque unquam silebunt Annales ac Fasti; Tantum abest, ut eæ vel nostro indigeant penicillo, vel ullis opus habeant verborum ornamentis, quibus illustrentur, ut potius verbis ipsis splendorem fœnerentur, atque decus concilient. Id tamen unum per TUAM mihi liceat commemorare Humanitatem, quippe quod, ne reticeatur, interest posteritati, inter eas omnes excellere, iisque coronam imponere, summum illum TUUM, sine omni fuco & affectatione Zelum, quo puram Christi religionem prosequeris, ejusque confessores & defensores, uti liberaliter foves, ita omni opera ac studio strenuè adjuvas, nec ut iis, per factiones nefarias, quas ante paucos annos Libertinorum Syna-

nagoga quædam in veritatis detrimentum ciere nitebatur, ulla vis intentetur, admittis; Atque id unum, per eandem TUAM Serenissime Princeps, Humanitatem mihi liceat rogitare, ut opus hoc Tibi dedicatum benigna fronte recipere, nec tam intueri velis ipsum hoc levidense quod Tibi consecratur munusculum, quam potius devotissimum Serenitati TUÆ animum offerentis atque consecrantis: Desino in votis ad Deum Triunum, ut diutissime TE sospitem conservet Religioni, Ecclesiæ, Reipublicæ, Literis, Tuasque & Majorum Laudes ad Celsissimæ Domus TUÆ seros transferat Nepotes!

SERENITATIS TUÆ

Devotissimus Cultor
DANIEL GERDES.

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.

EXimiam esse cujuscunque Historiæ in universa vita cum laudem, tum utilitatem, ita constat inter omnes, ut tamen Historiæ Ecclesiasticæ singularis etiam competat prærogativa; Quippe quæ vias Dei in Sanctuario ejus præcisè nobis enarrat, regnique Christi inter homines verbi & Spiritus vinculo consociatos fata ac vicissitudines exponit; Et, qua ratione ea, quæ Christum Dominum ac Regem profitetur Societas, primùm fuerit per ipsum è cœlis Dominum orta, deinceps inter varias persecutiones, per tela per ignes, adoleverit, porrò ad quendam juventæ, quando vel Imperatorum purpura in eam invehebatur, florem pervenerit, decreverit verò etiam, succedentibus temporibus tenebricosis, atque per providam Dei manum, ante duo & quod excurrit secula, denuo fuerit renovata, ex veris & genuinis rerum gestarum monumentis explanat, atque ad Dei Gloriam Verbique Prophetici, fata orbis & ecclesiæ prædelineantis, demonstrationem, in omnibus suis circumstantiis commemorat: Atque ea fuit ratio,

quod plurimam huic ſtudio ab omni tempore impenderint operam Viri præclari, & quibus inter Chriſtianos id datum eſt muneris, Sacra interpretari: Neque certè diffitemur, nos ipſos non paucas horas huic ipſi ſtudio impendiſſe, inde ab eo tempore, quo ſive in Duisburgenſi quondam, ſive in Groningana noſtra Sacras Literas interpretari, atque doctrinam chriſtianam exponere nobis eſt demandatum. Detinuit verò jam inde ab aliquot annis me cumprimis ea, quæ ultimorum horum temporum magis ad noſtram ætatem accedentium mutationem ac res geſtas, enarrat, *Hiſtoria*, quæ vulgari nomine *Reformationis* appellari conſuevit, tantò certe nobilior, illuſtrior, atque utilior, quantò ea propius ad noſtra accedit tempora, & quantò, propter ipſam rerum non inopiam ſed copiam prorſus mirificam, atque viciſſitudines planè ſtupendas, ea eſt intricatior: Neque tamen unquam, quanquam undiquaque mihi quoque quæ ad illuſtrandam hanc Hiſtoriam faciunt colligerem, ad eam conſcribendam, animum atque cogitationem adtuliſſem, cum quod ipſa rei me deterrere ab hoc inſtituto poterat magnitudo, tum quod ipſe variis aliis implicitus eram laboribus, quibus me exſolvi vetabat officii ratio, niſi, multo-

torum ſtudiis, ad id, & adhortationibus fuiſſem impulſus, eorum, qui cum amicitia & benevolentia tum auctoritate apud me plurimum valebant, & quorum placita amicæque ſuaſiones pro totidem juſſis mihi reputabantur: Accedebat, quod ex noſtris Theologis in hac palæſtra, ſat luculenter & compoſitè verſatus adhuc eſſet nemo, quodque, quem magnopere huic operi inſudaſſe notum eſt, *Theod.* HASÆUS, pereximius inter Bremenſes meos Theologus, ipſi inſtituto, quod an ad aliquam operis formam ſit reductum, ignoramus, ſit immortuus, ſuique bonis omnibus reliquerit deſiderium; Quæ ipſa quidem cogitatio, quanquam me imbecillitatis meæ conſcium abſterrere potuiſſet, ita magis tamen etiam animum meum accendit ac incitavit, atque ut poſthabita omni difficultate (inprimis, cum indies mihi quæ ad opus hoc inſtruendum pertinebant, affluerent vel ſcripta vel documenta, non apud omnes obvia,) proprias periclitari vires ſuſciperem, admonuit: At at, vix calamum operi admoveram, cum ſentirem, infinitis ſalebris hanc viam eſſe obſitam, ut parum abeſſet, quin totum illud conſilium denuò abjicerem, adeò multa ſe variarum rerum enarrandarum ſtiloque ſignandarum farrago, offerebat, ut ſæpe, quid prius, quidve poſterius

com-

commemorandum esset, vix discerni posset, semperque, si vel adesset veritas, deficerent vel ornamenta, vel ordo ac methodus, vel sufficiens lumen, vel comtum politumve, in hac temporum nostrorum luce, scribendi genus: Accedebat, quod ego vix à partium, quarum unaquæque tanto cum fervore suam sustinet causam, studio, memet ipsum continere posse perviderem, sicque, per ipsam veritatis enarrationem utut dilucidam, facillimo negotio mihi comparare possem inimicos, homines contentiosos & illepidos, qui non tam, ut historiæ emicet veritas ac simplicitas, quam ut suæ sectæ stabiliatur vel ratio vel auctoritas, omnem navare operam consueverunt, quique non, quid factum sit, sed quid factum vellent, ab Historico expectant, & quos vel ita videri possem inter lupum & præcipitia positus irritare, ut hunc laborem meum, atque industriam, quovis modo lacerarent, mihique deinceps mea defendendi facesserent molestiam, atque ne in stadio semel cœpto pergere possim, efficerent: Enimverò, & hæc evanitura sperabam, si modo sollicitè attenderem, ne quid, cumprimis eorum, quæ in controversiam vocantur, sine die & consule, aut saltem sine classico teste assererem, porrò, si moderationi in primis studerem, vel in iis, ubi

ut

ut meum interponerem judicium, necesse erat; Quanquam enim extra partes debeat esse constitutus qui Historiam conscribit, nemo tamen dubitaverit, eam perinsigni quoque nævo laborare historiam, quæ, nulla interserat de rebus expositis judicia, sterilemque tantummodo contineat rerum gestarum expositionem. Deinceps, quod ad ornamenta styli, dictionis, &similia, iis me non admodum fuisse intentum, videbit Lector, atque eum advertet prorsus non esse uniusmodi, nec æquabilem, inprimis cum dedita opera, sæpe numero à meis verbis abstinuerim, ubi uti poteram alienis, & *Jacobi* USSERII Viri Summi, exemplo, quod ipse in præfatione ad aureum de *Successione Ecclesiarum Occidentis* libellum prodit, ipsorum apud quos Historiam inveni & nomina ediderim, & verba reddiderim, quæ ratio equidem non ad stylum exornandum, sed tamen ad narrationis veritatem maxime facit, & ad rerum quæ narrantur examen multo videtur accommodatior: Est in eadem mecum hæresi, J. H. HOTTINGERUS Pater, in Præfat. ad Tomum II. Hist. Eccles. Seculi XVI. quando *Illum putem* (*inquit*) *maximum facturum operæ pretium, qui de plena fideque digna Reformationis Historia sollicitus, nihil de suo afferat, aliorum oculatorum & auritorum contentus*

*** *fide.*

fide & verbis, nisi ubi Επικρίσει *opus est, & judicio, ejus religiose retineat Authoris verba, qui rebus ipsis vel præfuit vel etiàm adfuit; Ex hoc enim instituto non una ad authorem, lectorem, totamque adeò posteritatem redundat utilitas. Ita certe Author suam liberabit fidem; Historici officium omnibus absolvet numeris &c.* Atque hæc ratio fuit, quod *Abrahamus* SCULTETUS, Palatinus primò, dein Embdanus Theologus, egregiam in eo nobis præstiterit operam, adornando *Annalium Evangelicorum* duo decennia, atque omnia aliorum verbis in annalium formam redactis, exhibendo: Sed de his satis: Optimum Historiæ ornamentum esse *Veritatem*, nemo diffitebitur, cui si dicam me omnibus viribus litasse, nihil quod à vero est alienum, dixero, quanquam vel ita me non ab erroribus ullo modo liberum esse aut affirmem, aut affirmare velim, quippe quos non paucos, in tam crebris peccandi periculis, lubricisque locis, commissos, facile suspicor, sed eos nisi vel ex mera committantur inscitia, aut, quod pejus est, ex perversa animi voluntate, condonandos potius, quam exagitandos esse, Viri honesti, atque ingenui facilè fatebuntur: Ordinem, in hoc saltem Volumine, alium observare nequibam, quam quem observavi, ut ipsa rerum in Reformationis prin-

primordio gestarum narratio interstingueretur descriptione vitarum Virorum quorundam celebrium necesse erat, quod alioquin hæc Nomina deinceps commemoranda Lectoribus mansissent incognita, quæ res quod tenebras offundat, certum est.

Enimverò, cum ita in hoc Opere fundamenta sint jacta, viaque parata, Enarrationi rerum mirabilium atque luculentiori descriptioni ipsius hujus Evangelii Restaurati, tum deinceps, alia via, aliaque methodo nobis insistendum esse facile arguimus, eumque in finem, in diversa capita ut ipsas illas res memorabiles enarrandas dispertiamur, necesse erit, ne ipsa nos variarum rerum copia obruat, vel quandam narrationis pariat confusionem, uti, quæ à principio Imperii per Carolum V. suscepti, usque ad Augustana Comitia A. 1530. contigerunt, per integrum annorum, & quod superest, decennium, percensere constituimus Volumine proxime sequenti, expositûri in eo

I. Negotia circa Reformationis causam, ejusque felicem in variis Europæ Regionibus, progressum, publica, unà cum colloquiis quæ inter Pontificios & Evangelicos variis in locis sive publica sive privata authoritate fuerunt habita.

II. Historiam schismatis sacramentarii, inter Zwin-

 glii

glii & Lutheri asseclas, unâ cum colloquiis in hac causa potissimum habitis, scriptisque publicè emissis.

III. Doctorum singularium Reformationis causam agentium Vitas, Fata & Opera, quantum per ordinis præscripti brevitatem licebit.

IV. Persecutiones variis in locis institutas varias, quibus Martyrum & Confessorum adjungetur sanctitas & Constantia.

V. Reliquarum sectarum & cumprimis Anabaptistarum, & Fanaticorum seditiosorum, Swenkfeldianorum item & similis furfuris hominum res, quæ non tam ad Evangelii incrementum quam potius ad ejus decrementum fecisse, & varias doctrinæ repurgatæ molestias facessivisse, deprehendentur.

Atque hic quidem unusquisque facile mecum sentiet, *primum* illud *Caput* in varias pro Regnorum Regionum Locorumque diversitate, dispesci iterum debere Sectiones, inter quas equidem primo loco *Germaniæ* pariter atque *Helvetiæ* res exponentur, atque, prouti feret occasio, deinceps ad reliquas, quibus Evangelii Aurora illuxit, ut ipsis post Tenebras Lux sit restituta, calamus convertetur, quo hæc ipsa Dei Magnalia, quæ is in repurganda Eccle-

clesia sua nobis proposuit, tantò conspiciantur evidentius, atque ad ipsam Dei Gloriam cognoscantur atque celebrentur.

Verùm, quod ad hoc ipsum, quod jam offero adtinet Volumen, pauca quædam adhuc de eo notanda nobis restant; *Icones Virorum* quorundam celebrium quod vides operi hinc inde insertas, B. L. id partim propter seculi nostri, his tabulis pictis pretium quoddam ponentis morem est factum, partim propter operis ornamentum, & quod vividius ipsæ res à Viris præclaris gestæ videantur inscribi memoriæ posse, ubi vel ipse oculus has illustres heroum intuetur imagines, atque subinde eas ipsas ad gloriæ stimulos & incitamenta virtutum sibi subjicit: Neque verò in his ipsis elegantiis nos solummodò, vel ingenio vel conjecturæ indulsisse, credas, æquum est, cum potius omnem adhibuerimus operam, quo studiosa, cupidaque tua hujusmodi elegantiarum non falleretur fiducia. ERASMI, LUTHERI, ZWINGLII, OECOLAMPADII & MELANCHTONIS Imagines, ita sunt ferè certis quibusdam notis jam distinctivis internoscendæ, ut in his falli admodum nequeamus: WESSELI autem GANSFORTI, celeberrimi illius inter *Groninganos* nostros Veritatis Testis,

imaginem depromſimus, ex ipſo illo archetypo æreo, quod in Profeſſorum Groningenſium Vitis ſuperiori ſeculo editis quoque conſpicitur, quodque uti ab eximio prorſus originali delineato erat fabrefactum, ita in Univerſitatis noſtræ Archivo adſervatur. *Franciſci* SICKINGII Herois imaginem, ex nummo ejus cuſo, cum is Urbem Trevirenſem A. 1522. & 1523. obſideret, quem Doctiſſimus J. J. LUCKIUS in Sylloge numiſmatum elegantiorum Hiſtoricorum ab A. 1500. ad A. 1600. Opere rariſſimo, Argentinæ 1620. fol. edito pag. 51. nobis exhibuit, ſculpi curavimus, uti, quod ad eum exactè prorſus Imago noſtra ſit expreſſa, pervidebis ipſe: *Mercurini* DE GATTINARIA effigiem nobis ſuppeditavit *Franciſcus de* MIERIS in ejus Hiſtoria Principum Belgicorum Tom. II. pag. 298 ad. A. 1529. unde eandem, majori ſolummodo forma excuſam exhibemus, & deprehendet ipſe Lector, quam ex amuſſi noſtra hæc illi reſpondeat ectypo,

Jo. TEZELII verò imaginem ex *Relationibus ita dictis innocuis*, quæ cura doctiſſ. V. E. LOESCHERI Germanicè prodeunt, deſumtam æri curavimus incidi, ne ipſa hujus Nundinatoris famoſiſſimi, cujus impudentia hæc ſacra nobis procuravit Otia, memoria intercideret.

Jam

Jam quod ea, quæ huic Operi quoddam conciliant lumen, adtinet Numiſmata, ea non ſunt alia, quam quæ, licet rariora ſint, nec cujusvis tractata manibus, tamen ſua & veritate & authenticitate pridem Virorum Doctorum conſenſum & approbationem commeruerunt; Prior nummus eſt ille, qui pag. 19. occurrit, quem LUDOVICUS XII. Galliarum Rex, ad Julii Pontificis furores revincendos cudi fecit, & cujus ſaltem authenticitas à nemine hactenus in dubium eſt vocata, nec vocari poteſt, cum etiamnunc ejus extent archetypi, quorum unum ipſi manibus tractavimus, niſi quod *Jo.* HARDUINUS ipſam illam ex Jeſai. XIV: 22. deſumtam Inſcriptionem: *Perdam Babillonis nomen*, aliò detorquere miro artificio eſt auſus, cui Doctiſſ. LIEBE tamen in commentatione de hoc nummo Lipſ. 1717. 8. edita, ſatis ſuperque ivit obviam: Fuit ipſe ille nummus aureus, quem & Doct. LIEBIUS pag. 7. exhibuit, in originali mihi communicatus à Cl. Collega meo, LEON. OFFERHAUSIO, cujus ſocrus, Matrona Delphenſis, eandem poſſidet, ut ad eam formam, is accuratiſſimè potuerit effigiari, eſtque illud, quod inter NEAP. & R. intercedit punctum, equidem ab exemplari Liebiano omiſſum, ut illud tamen in noſtro il-

lo

lo ad oculum fuerit conſpicuum: Quanquam, quod per ſculptoris incogitantiam ſolummodò factum eſt, nummus hic vero major compareat, ipſe enim nummi aurei modulus, ducati aurei magnitudinem & pondus, in archetypo, quod & l. c. apud Liebium videri poteſt, non excedit: Ceterum & hoc notandum eſt: Ultimam Thuani Editionem, non uti in ipſo opere, p. 19. not. *a.* à nobis eſt poſitum, loqui de inſignibus Neapolis & Siciliæ in averſa parte poſitis, ſed tantum de inſignibus Franciæ: Verba hæc ſunt: *eo uſque provectus eſt* (Ludovicus) *ut..... moribundi ſenis* (Julii II.) *inaneis diras contraria obnunciatione generoſe revicerit, cuſo etiam aureo nummo, qui titulos regis Franciæ, regnique Neapolitani, cum effigie ſua ex una parte, & inſignia Franciæ, ex altera referebat, cum hoc elogio*, Perdam Babylonis nomen; *quales adhuc hodie multi reperiuntur.*

Alter eſt *Johannis* HUSSI nummus memorialis, quem ipſe Doctiſſ. L'ENFANT, ex Potentiſſ. Boruſſiæ Regis Cimeliis accurate expreſſum inſeruit *Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis* à ſe editæ Lib. IV. p. 564. ubi tamen illud commemorandum eſt, cum antehac ſculptor, in illo effato: *Centum revolutis annis Deo reſpondebitis & mihi*, loco *re-*

ſpon-

ſpondebitis, poſuiſſet *reſpundebitis*, illud ſphalma jam eſſe emendatum. Verba autem P. MATTHIÆ Hiſtorici Pontificiæ religioni addictiſſimi, in Hiſtoria Henrici IV. Lib. v. p. 46. (quod ipſe liber eſt rarior,) hæc ſunt; *Johannes Huſſius ſuæ apud Bohemos religionis aſſertor conſtantiſſimus Conſtantiæ uſtulandus, judices ſuos poſt annos centum ad judicium divinum evocat, cujus vocationis typum, Bohemi, qui cineres ejus diligentius aſſervabant in nummis metallicis exprimere ſoliti ſunt.*

Tertius nummus eſt LEONIS X. P. R. quem ſolùm ob nefandam hominis, ſe ſupra omne id quod divinum eſt efferentis, ſuperbiam atque faſtum immanem ex *Claudii* MOLINETI Hiſtoria ſummorum Pontificium ex nummis fol. 35. hic adduximus: ne quis ſcilicet amplius dubitaret, num etiam ipſo Papa conſentiente, in Concilio Lateranenſi ejuſmodi blaſphemæ adulationes à paraſitis ejus ipſi fuerint ingeminatæ, quandoquidem ejus ipſius nutu & authoritate eos, quos Molinetus attulit, nummos eſſe cuſos nemo ambigit.

Atque ita quidem hanc claudere jam poſſemus Præfationem, niſi commoda ſe offerret occaſio, quasdam hic faciendi additiones, ad ea, quæ enarravimus, quas *ſupplementorum* loco judicavimus huic Præfationi adjungendas.

**** Ad

Ad pag. 73. princ. adde.

Pragmatica quæ dicitur Gallorum *Sanctio*, extat in HARDUINI Conciliis Tom. VIII. p. 1949. *Concordata* verò inter Franciſcum I. & Leonem X. inita, apud eundem Tom. IX. p. 1867. & in LEIBNITII Mantiſſa Codicis Diplomat. Part. I. p. 158. ſq. & Part. II. p. 358. ſq. Cæterùm de his præ reliquis admodum diffuſè agit *Gilb.* BURNETUS, Vir Summus, in Hiſtoria Reformationis Anglicanæ. Tom. III. inde à principio.

Ad pag. 89. lin. 4. adde.

Id ipſe refert LUTHERUS in libello, cui titulus. *Von der winkelmeſſe und pfaffenweihe* apud SECKENDORF. Hiſt. Lutheraniſm. Lib. III. §. XXII. fol. 59. a.

Ad pag 178. lin. 21. *averſaretur* &c. adde not. (c)

(c) Eſt notabilis in MORI *Utopia* locus, quem G. BURNETUS dignum judicavit, inter documenta ad Hiſtoriam Reformationis Anglicanæ Tom. III. fol. 13. referre, quod is, in editionibus poſterioribus plane eſſet omiſſus; Eum exinde repetitum, quò lectorum curioſitati ſatisfaciamus, exhibemus:
„ Cæterum Theologus quidam frater hoc dicto in Sacerdotes ac
„ Monachos adeo eſt exhilaratus, ut jam ipſe quoque cæperit
„ ludere, homo alioqui prope ad torvitatem gravis. At ne ſic
„ quidem, inquit, extricaberis à mendicis, niſi nobis quoque
„ proſpexeris fratribus. Atqui, inquit, paraſitus, hoc jam cu-
„ ratum eſt. Nam Cardinalis egregie proſpexit vobis, quum
„ ſtatueret de cohercendis, atque opere exercendis erronibus.
„ Nam vos eſtis errones maximi. Hoc quoque dictum, quum
„ conjectis in Cardinalem oculis, eum viderent non abnuere,
„ cæperunt omnes non illibenter arripere, excepto fratre. Nam
„ is (neque equidem miror) tali perfuſus aceto, ſic indignatus
„ eſt, atque incanduit, ut nec à conviciis quidem potuerit tem-
„ perare: Hominem vocavit nebulonem, detractorem, ſuſurro-
„ nem, & filium perditionis, minas interim terribiles citans è
„ ſcriptura ſacra. Jam ſcurra ſerio ſcurrari cæpit. Et erat pla-
„ ne

„ ne in sua Palæstra. Noli, inquit, irasci bone frater, scriptum „ est, in patientia vestra possidebitis animas vestras. Rursum „ frater (referam enim ipsius verba) non irascor, inquit, furci- „ fer, vel saltem non pecco. Nam Psalmista dicit, Irascimini „ & nolite peccare. Admonitus deinde frater à Cardinale sua- „ viter, ut suos affectus compesceret. Non domine, inquit, „ ego loquor nisi ex bono zela, unde dicitur, zelus domus tuæ „ comedit me. Et canitur in ecclesiis, Irrisores Helizei, dum „ conscendit domum Dei, zelum calui sentiunt, sicut fortasse „ sentiet iste derisor, scurra, ribaldus. Facis inquit Cardina- „ lis, bono fortassis affectu, sed mihi videris facturus, nescio an „ sanctius, certe sapientius, si te ita compares, ne cum homine „ stulto & ridiculo, ridiculum tibi certamen instituas. Non „ domine inquit, non facerem Sapientius, nam Salomon ipse Sa- „ pientissimus dicit: Responde stulto secundum stultitiam ejus, „ sicut ego nunc facio, & demonstro ei foveam in quam cadet, „ nisi bene præcaveat. Nam si multi irrisores Helizei, qui erat „ tantum unus caluus, senserunt zelum calui, quanto magis sen- „ tiet unus derisor multorum fratrum, in quibus sunt multi cal- „ vi? Et etiam habemus bullam Papalem, per quam omnes qui „ derident nos, sunt excommunicati. „

Ad pag. 191. lin. penult. ita lege.

Et extat *Mosellani* nostri ad *Julium Pflugium*, non minus quam etiam ad *Bilibaldum Pirckheymerum* de *Colloquio Lipsiensi* A. 1519. habito Epistola, utraque elegantissima &c.

Et deinceps in not. (c) lin. 2. pro *Hanc*, lege *Priorem.*

Ad pag. 227. not. (b) sub fin. adde:

Ad quas Cajetani literas egregie respondit FRIDERICUS Saxo, ex Aldenburgo d. 7. Decemb. 1518. quam Epistolam typis tum jam impressam servo, eaque ita se habet:

S. P. Reverendissime in Christo Pater singulariter nobis dilecte domine & amice, Vestræ charitatis literas die xxv. Octobris Augustæ datas, die xix. Novembris accepimus, per ta-

 bel-

bellarium non peculiarem, sed fortuitum redditas, ad doctorem Martinum Luther Augustinianum pertinentes, quas undecunque cum toto ipsarum argumento percepimus atque intelleximus. Quoniam ergo dictus Martinus coram pietate vestra apud Augustam comparuit, sicut cum charitate vestra Augustæ collocuti pollicebamur, nostræ satisfecimus promissioni. Præterea persuaseramus nobis vestram pietatem audito Martino secundum vestræ reverentiæ promissionem multiplicem, eum paterne & benivole dimissuram fuisse. Neque, quamvis nondum cognita causa & sufficienter discussa, ut Martinus refert, coacturam, ad revocationem & palinodiam. Sunt enim plurimi eruditorum in nostris principatibus & terris, in universitatibus studiorum & alioqui, verum hactenus, & in hodiernum diem, constanter & irrefragabiliter, certiores fieri non potuimus, Martini eruditionem, impiam, & non Christianam, sed hæreticam esse, Exceptis nonnullis, quorum rei privatæ & utilitati peculiari eruditio ejus non profuit: Qui, ut commoditati propriæ consulerent Martino sese adversarios opposuerunt, suo tamen proposito contra Martinum nondum probato. Nam si aliquo constanti fundamento & ratione intelligeremus, Martini eruditionem, impiam & instabilem esse: Dei omnipotentis auxilio & gratia ipsimet ita nos doceremus, ut nulla indigeremus exhortatione atque admonitione. Noster enim animus, nostra voluntas, nostra mens in hoc tota est, ut ad Christiani principis officium sit paratissima, & qui Deo adjutore, & honori & conscientiæ suæ consulere cupiat. Quapropter modis omnibus speravimus, non futurum, ut cum hoc rerum statu, hac afficeremur comminatione, Rhomanam curiam id causæ prosecuturam, & reverentiam vestram manus lavisse, Vel, ut à nobis postularetur, ut Martinum Rhomam mitteremus, sive ex nostris regionibus expelleremus, idque non ob aliam causam, quam quod Martinus hæreseos convictus sit. Pelleretur enim incommodo nostræ universitatis (sicut in hanc diem notum est) Christianæ, & multos bonos & doctos & studiosos habentis. Neque omisimus Martino vestræ charitatis literas exhi-

hibere, ad quas nobis secundum tenorem exempli, his nostris literis inclusi, respondit. Responsum ejus reverentia vestra inveniet. Cum itaque Martinus sese offerat ad aliquarum universitatum judicium, & in locis tutis ad disputationem, & cognita causa obedienter se sit applicaturus, ut doceatur simul & ducatur, arbitramur merito admittendum: aut saltem ostendendos in scriptis errores, id quod & nos petimus, quamobrem tamen hæreticus esse debeat, neque ita nondum convictum pro hæretico reputandum & scribendum, ut nos quoque habeamus quod sequamur & faciamus. Nos enim neque libenter permitteremus nos in errores trahi, neque ut inobedientes à sancta sede Apostolica inveniri. Hoc vestræ charitati, quam Deo omnipotenti diu feliciter conservandam commendamus, cælare noluimus. Datum Aldenburg. die VII. Decembris. Anno domini M.D.XVIII.

Ad pag. 230. §. XCVI. lin. 7. post corripiebat. adde.

Quin imò, quod Lutherus ipse, non admodum se tutum esse perceperit, ex verbis epistolæ ad J. Staupitium Ep. 69. & ad G. Spalatinum Ep. 72. colligitur, ubi ita: pag. 104. b. *Caterum expecto maledictiones ex urbe Roma quotidie: ideò omnia dispono & ordino, ut cum venerint, paratus & succinctus eam cum Abraham, nesciens quò, imò certissimus, quò, quia Deus ubique.* Et, Ep. 73. p. 105. b. *Ego, si hic* (Witebergæ) *mansero, multa dicendi scribendique libertate carebo: si itro! totum effundam & vitam offeram Christo.* Unde rumor jam tum sparsus emanavit Lutherum verè, relicta Leucorea, aliorsum secessisse.

Ad pag. 286. & 287. lin. 11. præsribenti, adde:

Mirum est, quantos in pelvi strepitus suscitent Doctiss. LOESCHERUS, atque ejus asseclæ, de eo, quod Zwinglius nimiam magistratui in negotio reformationis suscipiendo indulserit potestatem, uti is præ reliquis ZWINGLII ad amicum quendam Constantiensem datam Epistolam allegat ex Epist. Zwingl. & Oecol. fol. 7. & sq. quasi in ea Zwinglius docuerit:

 „Ma-

„ Magistratum cum ministris Ecclesiæ, posse præcipere, quæ
„ infirmorum conscientias feriant, itemque, Magistratum cer-
„ to sensu posse vim, modo providè agat, adhibere, Cum tamen, in ipsa illa Epistola tale quid non inveniatur, quippe in qua, vel disertis verbis Zwinglius asserit; *quod equidem magistratui*, (qui in hoc ἐξουσία ὑπερέχουσα est, ut externa rectè & corrigat & temperet) *dum Christianus est*, *liceat cum ecclesiæ consensu* (*nolo enim quicquam citra Ecclesiæ consensum intelligi*) *de externis istis*, *quæ aut servata oportet aut neglecta*, *statuere*; Uti deinceps; *Nullis autem mortalium*, inquit, *licet istis vi vel imperio obstare*, *quæ ad puram fidei discussionem & cognitionem pertinent*, *nisi tam aperte aliqui essent convicti*, *& resipiscere nollent*, *ut nullis non piis pateret esse impios.* Accedit, quod ipse ZWINGLIUS in subsidio de Eucharistia Opp. Tom. II. fol. 248. a. totam hanc causam ita disceptet, ut, qui amplius aliquid hujus ipsi exprobrare velit, is, (quod Viro Docto indignum esset,) meras solummodò nectere tergiversationes, atque iis, quæ dudum sunt diluta, inhærere, ipsique luci obstrepere debeat.

Ad pag. 288. lin. 10. adde:

Quanquam ceteroquin jam A. 1521. *Balthasar Thrachselus* Curatus Artensis in ipso Switensi tractu, inter Helvetios clericos *primus* fuerit; qui pertæsus vitæ cœlibis contraxit matrimonium, invitis licet atque improbantibus id amicis, qui nondum id è re communi esse, aut satis tempestivum arbitrabantur.

Ad fin, pag. 325. adde:

Et extat superiori seculo editus lingua Gallicana tractatus, sub titulo: *L'entretien de Luther avec le Demon*, *contre le saint Sacrifice de la Messe par* PITTON. Paris 1680. 12.

HI-

INDEX ICONUM
PRIORIS ET POSTERIORIS TOMI.

TOM. I.

TOM.

INDEX.

TOM. II.

INDEX MONUMENTORUM,
HOC VOLUMINE QUÆ LEGUNTUR.

XII.

INDEX.

F I N I S.



HISTORIA EVANGELII SECULO XVI.

PASSIM PER EUROPAM RENOVATI.

§. I.

QUum spissæ Papatus tenebræ longè majori quam antehac sævitia ac turpitudine, ante tria & quod excurrit Secula, universum Orbem Christianum obumbrassent, dominante ubivis, hinc superstitione sæva, illinc vero, turpi, cum in bonis literis tum in doctrina Religionis, ignorantia, quæ utræquæ nefanda pariebant monstra, & omne genus miseriarum secum vehebant, animosque mortalium ceu fascino dementabant, & ad quævis indignissima excitabant, atque propellebant; Tum, mirabili modo rebus humanis prospexisse Summi Numinis providentiam, nemo facile

inficias iverit, quod currente *Seculo decimo quinto fere medio*, nobilissima illa librorum imprimendorum Ars, quam sive *Chalcographiam*, sive *Typographiam* vocant, est excogitata, & cœlitus quasi demissa, quæ, per accedentis sese que late diffundentis eruditionis culturam, superstitionis abyssum immanem detegere, fesso orbi ac obtenebrato subitam eamque divinam fœnerare lucem. & requiem, literisque jacentibus ac studiis suum reddere decus, & incredibilem barbariei imaginem discutere ac profligare apta nata erat, ut divinius quicquam hac arte tum nec terris commodari, nec ab hominibus exoptari potuerit.

§. II. Est vero etiam, tanto magis divinum hoc cur miremur beneficium, quanto minus id expectari poterat ab ejus Seculi prorsus inficeti hominibus, & cumprimis à Belgis vel Germanis nostris, de quibus constat, quod non solum à cultura fuerint alieniores, sed & ipsas Literas serius acceperint, ut ferè pro barbaris, & incultis ab omni antiquitate haberentur, nec adeo ingeniorum ferax hæc esset terra, ut sperari posset, eos cœlesti hoc invento palmam præripere reliquis cultioribus potuisse. Quis enim ignorat, jam olim excellentissima magno numero, sive in Græcia, sive in Italia, floruisse ingenia, artibus inveniendis, incognitis proferendis, & præclaris operibus fingendis aptissima? Et hæc tamen, in eam artem, si levem quandam ejus excipias imaginem, nullo modo cum (a) inciderint, tum parum à miraculo dista-

(a) Præterimus, quæ de *Agesilao*, in PLUTARCHI *Laconicis apophtegm.* Opp. Tom. II. fol. m. 214. traduntur, quod is in *sinistræ manus vola* NIKHN, nomen *Victoriæ*, inscripserit *inversis Literis*, & postea *jecinori victimæ impresserit*, ac mox militibus ostenderit, jubens animosos esse, tanquam Diis *Victoriam* præsignificantibus. Quis enim ignorat Nummorum ab omni antiquitate cusorum imagines, literas nobis, Rerum publicarum, Principum, Imperatorum Nomina, vel rerum ab illis gestarum memoriam referentes, tenue quoddam hujus artis principium exhibere? Juvat vero apponere verba PROCOPII Cæsareensis in Anecdotis sive *Historia Arcana* fol. 28. 29. quæ talia de Justini Imperatoris ministris referunt, ex quibus, quam parum ii à Typographiæ inventione abfuerint, saltem ejus quoddam dederint præludium, conspicitur. Αυτος, ibi dicitur de Justino, *την βασιλειαν παρελαβε κ. τ. λ.* *Justinus capessivit imperium senex jam licet capularis, & quod Romanis ante hac*

diſtare videri queat, quod in eam, nunc, rudiori tempeſtate, & leviſſima data occaſione artis ſcilicet ſculptoriæ, inciderent ejus inventores, ſive Germani ſive Belgæ, à nullis, ceteroquin præclaris quod conſtat meritis incluti.

§. III. Enimverò MOGUNTIA Germanorum, ac HARLEMUM Batavorum, (a) inventionis hujus celebratiſſimæ ſibi laudem

jam

hac non evenit, adeo Literarum expers; & quod dicitur Analphabetus, ut cum ſui ſoleat nominis apices Libellis indere Princeps, cum quid imperat faciundum, ipſe neque imperare, neque compos eſſe poſſet rerum gerendarum; Sed Proclus, qui officio Quæſtoris fungebatur, eique aſſidebat, omnia faceret pro arbitrio. Verum, ut aliquod Imperatoris manus extaret argumentum, à Magiſtratu, qui id muneris habet, excogitatum hoc eſt: Tabellæ ligneæ perpolitæ μορφην τινα γραμματων τετλαρων, *formam quatuor literarum, quæ legi latine poſſent, incidendam curant, eaque libello impoſita, calamus colore imbutus, quo ſcribere mos eſt Imperatoribus, huic Principi tradebatur in manum, quam alii prehenſantes ducebant, circumagebantque calamum per quatuor illas literarum formas* ες τον των τετλαρων γραμματων τυπον, *nempe ſingulas tabellæ inciſuras, atque ita demum iis ab Imperatore literis reportatis recedebant.* Neque vero etiam deſunt, qui vel Scythis, uti ZAMOSCIUS apud BOXHORNIUM in Hiſtoria univerſali p. 180. vel Sinenſibus, uti TRIGAUTIUS de Chriſtiana expeditione apud Sinas L. I. Cap. IV. OROSIUS, MAFFEJUS, & alii apud SPIZELIUM de re Litteraria Sinenſium Sect. III. p. 33. hujus artis inventionem pluribus jam ante ſeculis adſcripſerunt, cum quibus tamen contendere nolumus. Eſt enim indubitatum, nec *Belgas* nec *Germanos*, quippe qui demum centum fere ab hac inventione annis omnium primas navigationes ad Chinenſes inſtituerunt, ab hiſce hanc artem addiſcere potuiſſe, ſi vel maxime quæ de Sinenſibus traduntur, pro veris haberi poſſent, de quo tamen vel ipſo non una reſtat dubitatio, cum noſtra hæc Ars Typographica à Sinenſium imagunculis mirum quantum differat.

(a) Edidit MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS Diſſertationem ſeparatam adverſus Bern. Mallinkrotium deinceps laudandum, de *Typographicæ artis inventione & inventoribus*, qua non Moguntinis, ſed Harlemenſibus hanc artem deberi contendit. Lugd. Bat. 1640. 4. Uti *Hadrianus* JUNIUS, & P. SCRIVERIUS in deſcriptione Bataviæ, & in libello, cui titulus *Lauerkrans voor Laurens Coſter van Harlem*, non minus pro Harlemenſibus pugnant, à quibus omnium primus liber *Speculum Salutis* dictus, & Lingua vernacula ſive Belgica & Lingua Latina eſt vulgatus; vid. SCHELHORN Amœnit. Litterar. Tom. IX. p. 969. itemque

jam merito vindicant, quod omnium primi impressores circa Ann. MCCCCXL vel MCCCCXLII. ibi quædam ingenii monumenta typis mandarunt, novaque hac & ab omni ævo incognita arte librorum exempla multa, brevi temporis spatio procuderunt. Harlemenses certe in *Laurentio Johannis*, cive præstantissimo, & in cujus familia Æditui munus hæreditarium fuisse dicitur, unde COSTERI nomen ipsi hæsit, non minori jure, quam Moguntini in *Johanne* GUTTENBERGIO, qui & *Genzfleischius à Sorgeloch* (a) dictus est, Viro, si Polydoro Virgilio fides est, equestris dignitatis, cive suo, patria Argentinensi (b) tanquam primis artis inventoribus gloriantur: Et, quanquam hi ipsi quodammodo inter se de ipsa inventionis laude disceptent, eam tamen litem non admodum difficulter componi posse crediderimus, si Harlemo scilicet, atque ejus civi præstantissimo, prima rudioris inventionis in tabulis ligneis exhibendi figuras & verba, relinquatur gloria; (c) Moguntinis autem

que J. H. FABRIC. Bibliogr. Antiquar. Cap. XXI. p. 630. *Moguntinenses* egregium defensorem nacti sunt in BERNHARDO à MALLINKROT, cujus extat Discursus philologicus de *ortu ac progressu artis typographicæ* Colon. 1636. 4. licet is non tam *Job Guttenbergium*, quam potius *Faustum*, primum faciat authorem atque inventorem. Neque verò Germanis hanc laudem invident Galli, Germanis alioquin non ex æquo faventes, inter quos *Claudius* QUILLETUS, qui carmine Heroico Callipædiam scripsit, ita Lib. IV. infit:

Quis nescit diri resonantia fulmina Martis
Germana fabricata manu? graphicasque typorum
Inventas Rheni famosa ad flumina formas?
Doctorum queis scripta virum pretiosaque Musis
Carmina venturos durant servata per annos.

Sed de his omnibus conferri merentur scriptores collecti à *Jo. Christiano* WOLFIO in Monumentis Typographicis Hamb. 1740. 8. 2 Voll. editis, quæ Bibliothecam nobis sistunt Typographicam.

(a) vid. SCHELHORN Amœnit. Litter. Tom. IV. p. 303. not. (a), & sim.

(b) Sic habentur verba in Chronico Coloniensi vetustissimo fol. 312. *Mer de eyrste vinder der druckerye is geweest eyn Burger tzo Mentz, ind was geboren von Straißburg, ind hieſch Joncker Johan Gudenburch &c.*

(c) Sane, si P. BERTIUM, & ipsum tamen Batavum, Lib. III. rerum Germanicarum p. 613. audiamus, constabit, Harlemensibus eam competere

autem exasciatæ magis atque perpolitæ artis illius, typorumque separatorum laus asseratur, quanquam illi nos non immiscere velimus controversiæ.

§. IV. Quidquid sit, hujus Artis, quam merito quis ingeniorum magistram dixerit, & Literarum propagatricem, virtute cum primis effectum est, ut optimarum artium Studia (a) reflorescerent, atque ipsa Evangelii sub initium sequentis SECULI *decimi sexti* renovati, Lux tanto se diffunderet latius, atque brevi temporis spatio in summum adscenderet fastigium; Ipsa certe Biblia, (b) quæ uti sacræ doctrinæ fontem ante hac occlusum

A 3 nunc

tere gloriam, quod primi artis auctores, quæ tamen rudis adhuc erat, siquidem Literæ non essent collectæ singulæ nec digestæ in voces, aut voces in versus, aut versus plures in paginam, sed singulæ paginæ singulis tabellis ligneis essent expressæ, imaginibus Literisque extantibus & prominentibus, sicut sigillis & ectypis solent inprimi notæ rerum, materiæ molliori, occasionem dedere Germanis, in eam ulterius inquirendi, quanquam Germanis, profectionem artis, qualis nunc est, ut typi literarum sint ærei, versatiles, & mobiles, ipsis debeamus. Ipse saltem BOXHORNIUS in Theatro Hollandiæ ita infit: *Sed non difficile est, hanc tam gravem ac tam nobilem controversiam, & quæ clarissima nostri ævi ingenia exercuit componere, nempe, si vel id, quod res est, concedamus, typos quidem ligneos, à Laurentio Harlemensi primum fuisse inventos, typos vero stanneos, æreos & plumbeos ad horum exemplar efformatos esse à Johanne Fausto cive Moguntino.* Quæ vero inter *Argentinenses* & *Moguntinos* de hujus artis inventionis laude disceptantur, tangere non est opus, quum communior jam sententia *Moguntinis* faveat, & *Argentinenses* quidem Chronicorum in publico Archivo Argentinensi asservatorum gaudeant testimonio, quod à BOECLERO in Dissertationibus est adductum, sed ita, ut quid responderi ad hæc, quæ seriorem præ se ferunt ætatem, possit, non sit incognitum Viris Doctis.

(a) Facit sane Typographia maximum eruditis in labore compendium, ut adeò verissime de hac arte cecinerit *Jo. Arn* BERGELLANUS in encomio Chalcographiæ, affatus patriam nostram:

Hæc (ars) tibi restituit, tandem, Germania, lumen

Conf. C. A. HEUMANNI Providentia Reformatrix. p. 36. veluti PERIZONIUS in Historia Secul. XVI. p. 7. inter præcipua Reformationis adjumenta hanc ipsam artem refert *Typographicam, quæ paulo ante*, uti loquitur, *fuerat inventa, & tunc demum ubique invalescebat.*

(b) Sic enim constat jam A. 1462. *Moguntiæ* Bibliorum *editionem Latinam* prodiisse in folio omnium *primam*, cum hac ad calcem inscriptione: Pre-

nunc referatum sistebant, ita magnæ tum fuerant raritatis, & caro divendita pretio, ut ad unumquemque pertingere non possent, nunc plurium ex ipsa plebe quoque manibus poterant contrectari, atque in multa millium Exempla sunt diffusa. Virga Aaronis de novo folia & flores recepit; Vox Evangelii, in deserto proclamata, in multis civitatibus audita est; Vineæ protruserunt gemmas, & botros portarunt innumerabiles. Patrum priscorum, Religionis purioris Antistitum sanctissimorum monumenta, à quibus nimium quantum recesserat Ecclesia Papalis, publica

Presens hoc opus finitum & completum, & ad Eusebiam Dei industria in civitate Moguntina per Johannem Fust Civem & Petrum Schoeffer de Gernsheim Clericum Dioecesis ejusdem est consummatum anno incarnationis Dominice MCCCCLXII *in vigilia assumptionis gloriose Virginis Marie.* vid. Mich. MATTAIRE Annal. Typogr. Tom. 1. p. 60. Nisi quis etiam aliam editionem priorem extare judicet, de quo VOGTIUS in Catal. Libror. rar. p. 115. sq. Id saltem certum est, eodem jam anno 1462. Germanicam quoque Bibliorum editionem prodiisse *Moguntiæ* apud eundem *Johannem Fust* civem Moguntinum, quam editionem in Bibliotheca illustris Consistorii Wurtembergici extare Doctiss. J. H. BENGELIUS notat in Apparatu Critico ad N. T. Græcum, p. 755. Uti brevi post A. 1466. *Argentorati*, ac deinceps A. 1477. *Augustæ Vindelicorum*, & 1483 *Norimbergæ* Biblia prodierunt Germanica; Et *Delphis* Batavorum jam *Lingua Belgica* eadem fuisse edita A. 1477. constat, quam editionem longe rarissimam vel mea asservat Bibliotheca. Cæterum, singulare est fatum, quod cum Bibliis suis impressis Latinis ab initio habuit FAUSTUS *Guttenbergii Socius & Collega:* Is enim cum Biblia sua Parisios detulisset, atque unum exemplar, quod antea manu scriptum, quadringentis aut quingentis coronatis veniebat, sexaginta coronatis ab initio, postea minoris vendidisset, ita ut tandem triginta coronatis ea divenderet, multa tum perpessus fuisse dicitur ab iis, qui antea tanto majoris exemplaria emerant, pretium repetentibus, qua molestia fractus, is, relicta Parisiorum urbe Moguntiam remigrare cogebatur, referente Jo WALCHIO in Decade fabularum p. 181. 182. Eundem vero etiam *Johannem Faustum* Magiæ propter hanc artem fuisse incusatum, atque celebrem de Doctore Fausto, puerisque & vetulis notam fabulam inde causam fuisse, sunt qui existimant, præeunte Viro Doctissimo Humfredo PRIDEAUXIO in Concatenatione Hist. V. & N. T. fol. 255. 6. Qua in sententia, quod & Joh. *Conradus* DURRIUS Altorfinus Professor, suo jam fuerit tempore, ex ejus epistola ad G. Sig. *Fuhrerum* data A. 1676, quam SCHELHORNIUS Amœnit. Litter. Tom. v. p. 50. inseruit, colligitur.

blica sunt facta. (a) *Wesseli Gansfortii* sive *Basilii Groningani*, *Hieronymi Savonarolæ*, *Fr. Pici Comitis Mirandulani*, *Rudolphi Agricolæ*, *Desiderii Erasmi Roterodami*, *Æneæ Sylvii* dicti deinceps Pii II. Papæ, *Jacobi Wimpfelingii*, *Johannis Capnionis*, sive *Reuchlini*, *Pauli Scriptoris*, quin imo ipsius *Martini Lutheri* (b) & reliquorum Reformatorum Scripta subito temporis spatio variis locis typis sunt exscripta, atque in omnem orbem, ne oblivionis injuria perirent, transmissa. Cum vel solius *Typographicæ Artis* ope exigua illa doctrinæ Evangelicæ (c) per *Lutherum* & *Zwinglium*

(a) Uti sic vel in ipsa Roma, teste *Andr.* FULVIO *Sabino* in Libris de Urbis Antiquitatibus p. 314. jam A. 1455 in ædibus *Petri de Maximis* Patricii Romani, omnium primò *Augustinus* de civitate Dei & *Lactantius* prodierunt, & A. 1465 S. *Hieronymi* Epistolæ, duobus in folio voluminibus. Nam & præcipuos Patres Ecclesiasticos, ante A. 1517. jam publice editos novimus; Uti sic *Cyprianus* A. 1471 Spiræ Nemetum. *Athanasius* Latine conversus A. 1477. Romæ. *Anselmus* 1491 Noribergæ. *Ambrosius* A. 1494 Mediolani. Gregorius M. 1496. Mantuæ. *Prudentius*. A. 1501. ibidem. *Augustinus* A. 1506 Basileæ. *Alcimus Avitus* A. 1507. Francofurti. *Zeno Veronensis* A. 1508. Venetiis. *Hilarius Pictaviensis* A. 1510 Parisiis. *Bernardus*, Venetiis. & *Fulgentius* Moguntiæ A. 1515. *Hieronymus* autem A. 1516. Basileæ, & *Arator* eodem anno Salamancæ prodierunt.

(b) Conf. Epist. *Joh. Frobenii* jam A. 1519. ad Martinum Lutherum data, quam, cum, licet in Tomis Lutheri Jenensibus jam editam, *Miscellaneis Groninganis* Tom. III. p. 60. seq. inseruissem, exinde repetiit, notisque illustravit C. A. HEUMANNUS in Diss. in qua *fabulam de Juliani Imp. voce extrema, vicisti Galilæe certis argumentis confutat*, p. 23. seq. addens, ex ea jucundissimè elucere, *Typographiam fuisse Reformationis Ministram fidelissimam*. Et notari meretur, quod V. Cl. LOESCHERUS in Actis & docum. Reformationis Tom. I. p. 179. refert: Jam scilicet in Re„formationis initio quinque vel sex officinas typographicas *Witebergæ* „ fuisse, plurimaque Lutheri & Reformatorum Scripta, jam tum quo„tannis bis vel ter, propter lectorum & emtorum frequentiam, imprimi „ solita fuisse.

(c) Vid. E. *Nutherti* tractatum Halæ Sax. 1718. 4. editum, sub tit. *Die um die Evangelische Religion höchst meritirte buchdrucker kunst.* Et memorabile est, quod *Sorbonici Theologi* ignorantiæ ac superstitionis immersi sordibus, quanquam & hi sub Ludovico XI vehementem in modum Typographicam in Gallia artem inde ab anno 1470 jam promovissent, tamen Fran-

glium Reformatæ nubecula, quæ tempore ſterilitatis & famis Eccleſiæ, urente cœlo, & nullam promittente pluviam, inſtar volæ manus videbatur in cœlo ſudo, breviſſimo temporis ſpatio univerſum obtexerit cœlum, & maximam profuderit ſalutaris ſcientiæ & gratiæ copiam.

§. V. Sed hanc cauſam graviſſimam, quæque res in omnes partes maxime memorabiles complectitur, cum hoc Opere enarrare nobis conſtitutum ſit, nunc ea ſolummodo tangimus, quæ ulterius appropinquanti Reformationis negotio magis magisque viam

Franciſco I Galliarum Regi per Literas ſupplices tum ſuaſerint, ut univerſam rem typographicam, quippe per quam Lutheri doctrina diſſeminetur in Gallia, opprimeret, id quod relatum legimus in Doctiſſimi de COLONIA *Hiſtoriæ Literariæ Lugdunenſis* parte poſteriori p. 621. Nam & Inquiſitores Hiſpanicos ipſi huic arti vehementer eſſe inimicos, eamque diris devovere notum eſt; Quid? quod Pontifex Romanus dicatur quotannis ipſam *Johannis Luft*, celebris typographi Witebergenſis effigiem papyro inſcriptam in ignem conjicere, quod is Biblia Lutheri Germanica omnium primus typis excudit, quam rem *Andr.* RIVINO in Orat. Panegyr. referente diſcimus. vid. WOLF. Monum. Typogr. T. I. p. 895.

Cenſemus tamen, ut illud *ὡς ἐν παρόδῳ* moneamus, ſubtile nimis atque ingenioſum *Rudolphi* HOSPINIANI *de Orig. Templor.* L. III. c 7. p. 441. aſſertum, quando is hanc Artem, tanquam præcipuum adverſus Antichriſtum præſidium ac telum conſiderat, quo is aliquando ſit confodiendus, eo potiſſimum argumento, quod Sibylla Erythræa jam Romuli temporibus clara, cecinerat,

> Αἴλινος ἔχθετε καιρὸς ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται
> *Miſerum inde tempus, quia linum perdet eum.*

Quaſi per *linum* indigitaretur charta, in qua ſcriptitatur, vel excuditur quidvis, quæ ex lineo panno minutatim conciſo in aquis & glutine denſato conficitur; Neque enim ὁ λίνος ſed *τὸ λίνον linum* ſignificat. Et ſi vel maxime linum indigitaretur, manifeſtum eſt maximopere faces intendi, quibus incendia ſuſcitata ſunt, quæ multis modis Romam ſemper devaſtarunt, potius, quam illam longe petitam artem Typographicam Eſt vero ὁ λίνος ex POLLUCIS, HESYCHII & SUIDÆ teſtimoniis *carmen lugubre*, ut recte jam à non nemine obſervatum ſit, Sibyllam Erythræam p. d. calamitoſa ſub Hadriani Imperio indigitare tempora, q. d. *Miſerabile hinc erit tempus, quoniam carmen lugubre illud conſumet.* Conf. STOLBERG. not. ad Sophocl. Ajac. Flagellif p. 178. it. GALLÆI Orac. Sibyllin. p. 686. & 687.

viam ſtraverunt, atque inter ejus præludia merito recenſentur: Inter quæ prorſus admiranda eſt ipſa *literarum Inſtauratio*, atque optimarum *artium renovata facies*, quæ lucem Evangelicam veluti aurora ſolem præceſſit: Cum enim antehac ea eſſent tempora, ut bonæ literæ omnes ſqualore & ſitu confectæ jacerent, hominesque non ipſis exceptis clericis (a) ita rudes eſſent, ut nusquam ſe codices habuiſſe meminiſſent, & ſi in circulo doctorum, quæ nonneminis eſt obſervatio, auctoris veteris incidiſſet nomen, piſcis aut edulii peregrinum vocabulum arbitrati eſſent; quin imò, ut, qui *Hebraicæ* linguæ gnari eſſent, dicerentur Judæi, *Græcam* callentes, audirent Novatores, & inventores ejusmodi linguæ, à qua ſedulò ſit cavendum, quoniam ea omnes pareret hæreſes, ut *Latina* porro lingua adeo eſſet conſpurcata, ut qui ejus vel nitori vel elegantiæ ſtuderent, vel ea propter hæreſeos ſuſpicionem incurrerent. Quid? quod in genere Linguas eſſe errorum ſeminaria & officinas clamarent, totumque doctrinæ ambitum, intra quendam terminorum ſcholaſticorum, diſtinctionum ineptarum, & quæſtionum futiliſſimarum circulum, referrent, quem qui emetiebantur, pro Illuminatis, Seraphicis, Angelicis &c. Doctoribus habebantur. Tum Deus ſingulari beneficio genus humanum denuò afficere volens, ipſas ab exilio, quin à morte reſuſcitavit Literas; (b) Quas vel

B ip-

(a) Juvabit hic conferre ea quæ in libello *de ruinæ Eccleſiæ planctu* jam A. 1517. Haganoæ in 4. edito, quemque ob ſingularem ejus raritatem huic Operi inter *Documenta* N. 1. ſubjungi curavimus, diffuſius traduntur. Uti *Michael* NEANDER duabus præfationibus luculentiſſimis, una *Gnomologico Græco* & Latino, altera *Erotematibus Græcæ Linguæ* præmiſſa, illa depingit tempora, & inertium monachorum mire deformat ſtudia. Conf. ERASM. *in Præfat. ad Hieronymum*, quam ad Archiepiſcopum Cantuarienſem *Gulielmum Waramum* direxit, qui *ſub Clericorum diutina tyrannide, tantam fuiſſe*, dicit, *bonarum literarum ac bonorum autorum πανολεθριαν, ut è doctorum ordine pelleretur, qui vel paululum literaturæ melioris attuliſſet.*

(b) Eſt CLAUDIUS JOLIUS, Canonicus Pariſienſis, qui *Franciſci Barbari*, deinceps nominandi librum de *Conjugio*, ſive *de re Uxoria*, Pariſiis 1667. 8. Gallice edidit, eique præfationem præmiſit, in qua multa non vulgaria de *literarum inſtauratione* offenduntur. Et promiſit ſingularem dudum

ipsorum Paparum, à quibus ipsæ ceteroquin arcessendæ erant tenebræ, quidam fovebant, Regum verò & Principum litteratos complectentium munificentia & auctoritas mirifice promovebant. Uti, quod præ reliquis, qui ex gente *Medicea* erant, itemque *Alphonsus* II Rex Neapolitanus, (a) aliique, æternum sibi nomen in promovendis litteris pepererint, nemini non est notum.

§. VI. Certe, post expugnatam à Turcis A. 1453. Constantinopolin, Viri Græce Doctissimi, silentio fere Musis per Mahumedanorum tyrannida imposito, exsules sese in ipsam Antichristi domum, Italiam (b) cum reciperent, quo à Turcarum sævitia manerent immunes, hæc ipsa Italia, unde per tenebras Papales omni vero lumini contrarias, barbaries in universum orbem dimanaverat, ex improviso velut Virorum Doctorum, quos domus Medicea liberaliter excipiebat, & Literarum sedes postliminio facta est. Quid? quod jam antehac sub finem seculi XIV. & principium seculi XV. *Emanuel* CHRYSOLORAS (c) Venetiis, Florentiæ, Romæ, Ticini, Græcas Literas adeò feliciter do-

dudum Historiam Literarum renascentium V. E. LOESCHERUS, quam num publici fecerit juris, ignoramus. Interea legi meretur *Theodori* RYCKII commentatio de *Palingenesia Litterarum*. C. S. SCHURZFLEISCHIUS in Append. ad vitam Alberti III. in Opp. Histor. p. 684-695. &, quæ à *Josepho Alexandro* FURIETTO V. Cl notata sunt in doctissima præfatione, operibus *Gasparini & Giniforti Barziziorum*, Romæ 1723. 4. editis præmissa.

(a) vid. MARIANA de reb. Hisp. Lib. XXII. cap. XVIII. p. m. 324. qui *Alfonsum hunc viris eruditione præstantibus tantum tribuisse refert, ut iis se inclinata quamvis ætate recoquendum præberet.* Obiit is A. 1458.

(b) De altera *migratione Literarum Græcarum* è Græcia *in Italiam* Disputationibus duabus Lipsiæ 1703. 4. editis disseruit Cl. C. F. BOERNERUS. Atque editum hoc ipso anno 1742. quo hæc scribimus, accepimus Londini Tractatum V. D. *Humphredi* HODII, De *Græcis illustribus Linguæ Græcæ literarumque humaniorum instauratoribus*, eorum vitis, scriptis, & elogiis, curante qui & Vitam Humphredi præmisit *Samuele* JEBBIO 8. cf. quæ C. BARTHIUS notavit ad Statium, Tom II. p. 1008.

(c) Hujus Vita *Erotematibus Chrysoloræ* Ferrariæ 1509. 8. excusis per Pontium Virunium adjecta est. Commentatus etiam de eo est PAPADOLUS in Historia Gymnasii Patavini Tom. II. p. 162. Sicuti ANDREÆ

docuerit, ut præstantissimis inclaresceret Discipulis, ex ejus schola prodeuntibus, inter quos *Petrus Paulus* VERGERIUS *Senior*, AMBROSIUS *Camaldulensis*, GUARINUS *Veronensis*, POGGIUS *Bracciolinus*, LEONARDUS BRUNUS *Aretinus*, FRANCISCUS BARBARUS, & alii jam non recensendi. BESSARIONEM quis ignorat? Antistitem Nicenum, Virum undiquaque Doctissimum, natione Græcum, & Græcorum omnium in exsilio viventium Mæcenatem, cui purpuram Cardinalitiam donavit Eugenius Papa, quique, nisi Perotti obstitisset imprudentia, A. 1471. ad ipsum Pontificatum adscendisset. *Bessarioni* coævus erat *Georgius* TRAPEZUNTIUS Cretensis, Græcarum Literarum Romæ Doctor publicus, atque in eo tamen à Bessarione dissidens, quod ipse maximus Aristotelis, qui unus ante Græcorum in Italiam adventum omnibus in deliciis erat, esset amator, cum Bessarion ex adverso Platonem, & mansuetam ejus Scholam præ cæteris sequeretur. THEODORUS quoque GAZA commemorandus hic est, Thessalonicensis, qui Græcam pariter atque Latinam Linguam ad stuporem usque dicitur calluisse, &, de quo id refertur, eum adeò singulari erga Plutarchum & ejus opera animatum fuisse studio, ut plus semel affirmaverit, posse se omnibus

B 2

DREÆ JULIANI Oratio funebris in obitum Chrysoloræ ex MSS. Bibliothecæ Lipsiensis à Doctissimo L'ENFANT est edita. Adde Cl. SAXIUM de Studiis Literariis Mediolanensium, p. 104. ubi is *Petri Candidi* DECEMBRII Elogium Chrysoloræ ex MSS. evulgavit. cf. L'ENFANT Histor. Concil. Constant. T. 1. pag. 176. qui & hoc Epitaphium ipsi Constantiæ, ubi A. 1415. decesserat, positum ab Ænea Sylvio (postea Papa Pio II.) conscriptum exhibet:

Ille ego qui Latium priscas imitarier artes
Explosis, docui, sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chrysoloras *nomine notus*,
Hic sum post vitam, & peregrina in sede quiesco.
Huc me concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Ecclesiam vexaret sæva tyrannis.
Roma meos genuit majores, me bona Tellus
Bysantina tulit, cinerem Constantia servat.
Quo moriare loco nil refert, undique cœlum
Pœnarumque domus mensura distat eadem.

nibus carere libris, si modo Plutarchi copia maneret. Praeterea *Johannes* ARGYROPULUS hic nominandus est Byzantius, Philosophorum suae memoriae facilè princeps, Porro; DEMETRIUS CHALCOCONDYLAS, Graecarum rerum peritissimus, uterque Florentiae Literarum Graecarum Professor; & MARCUS MUSURUS Cretensis, qui Patavii quondam Doctorem egerat. Ne de CONSTANTINO LASCARI, Viro Nobilissimo, dicamus, quem Laurentius Medices, patronus literarum ac eruditionis promotor maximus, teste Jovio (a) bis ad Bajazethem Byzantium misit, ut Graecos codices atque literatae Graeciae abdita in Italiam afferret.

His enim Viris Doctis effectum est, ut primum in Italia Musarum Graecarum sedes renasceretur, quae deinceps etiam trans Alpes est collocata, atque in Germaniam pariter, atque in Galliam pervenit. Etenim Emanueli Chrysolorae discipulus fuit illustris *Gregorius* TRYPHERNAS, qui Lutetiae Parisiorum primus omnium Graecas Literas publice professus est. Ab illo coeptam feliciter telam (b) pertexere laboravit *Hieronymus* SPARTIATA, Graecus, cui praeclara Nomina, *Johannis* REUCHLINI (c) & *Desiderii* ERASMI (d) Roterodami, suam in Graecis cumprimis debent eruditionem, atque celebritatem. Et est memorabile, quod de *Reuchlino*, qui & pro more illorum temporum CAPNION dicebatur, traditur, eum, cum *Spartiatam* Lutetiae docentem feliciter audivisset, à *Philippo* Palatino Electore legatum Romam fuisse missum, & *Argyropyli*, Thucydidem enarrantis auditorium ingressum, edito sui in Graeca Lingua pro-

(a) JOVIUS in Elogiis n. XXXI. p. m. 74.

(b) v. Doctiss. *Laurentii Ingewaldi* ELINGII Prof. Upsaliensis Historia Linguae Graecae, quae cum *Ad.* RECHENBERGII praefatione prodiit Lipsiae 1691. 8.

(c) Sic Joh. REUCHLINUS in Grammatica Hebraea p. 20. ipse de se testatur: *Non apud Jonas, neque ulla in Graecia, sed primum Basileae ab Andronico Contoblanca, deinde Parisiis ab Hermonymo Spartiata, post Romae ab Argyropylo Byzantico publice in Vaticano Thucydidem legente, ad extremum Florentiis & Mediolani à Demetrio Chalcondyla Graecorum Linguam frustillatim, & quasi micas de mensa Domini cadentes accepi.*

(d) De ERASMO deinceps agendi latius recurret occasio.

profectus ſpecimine, lacrymas pene excuſſiſſe Argyropylo, exclamanti, (a) *Græciam exilio Doctorum transvolaſſe Alpes.* ERASMI autem, quem feſtive *Balius* appellat *Lutheri Johannem Baptiſtam*, in Græca Lingua progreſſus, teſtantur tot Scriptores Græci ab ipſo verſi, editi, emendati, itemque Novum Teſtamentum (b) quod ſub ejus auſpiciis cum dedicatione prorſus memorabili ad Leonem X. Pontificem Romanum directa, omnium primò Græcè typis fuit exſcriptum 1516. atque Latine converſum.

§. VII. Eorum verò, qui ex noſtris hominibus in Germaniam præclaras literarum merces ex Italia, tanquam ex emporio quodam, importarunt, primus ferme fuit RUDOLPHUS AGRICOLA dictus Friſius, in cujus natalibus Groninganus ager merito gloriatur; Is enim, uti magnum ſibi in literis paravit nomen, ita Ferrariam & Lutetiam profectus, tantos ſubito, referente in Annalibus Sculteto, (c) fecit

(a) Confer quæ de REUCHLINO deinceps tradentur.

(b) De hac editione Eraſmi omnium prima 1516 præ reliquis conferri debet Cl. v. d. HARDT in Hiſtor. Literar. Reformationis P. 1. paſſim, & præcipue p. 33. ſeqq. Ipſam vero Eraſinicam N. T. Verſionem tam eſſe *integram*, *puramque & tanta felicitate converſam* teſtatur HUETIUS, in Lib. de claris Interpretibus, *ut verba verbis*, *ſententias ſententiis & ſaporem ſapore exæquaverit.*

(c) v. SCULTET. Annal. Evang. p. 2. & JOVIUS in Elogiis n. XXXII. p. 76. Cæterum de *Rudolpho* AGRICOLA non poſſumus non illud quoque, quod in Vita ejus in Vit. Profeſſ. Groning. fol. 33. enarratum legimus, commemorare. Extare ſcilicet inter Epiſtolas Illuſtrium Virorum ad *Joh. Reuchlinum* lit. q. v. & binas *Agricolæ* epiſtolas, Heidelberga, ubi tum Profeſſorem agebat, ſcriptas; alteram prima parte Græcam, alteram Latinam totam: In his inter alia ita ſcribit: *Gaudeo vicem tuam . . . . . tum vero inprimis fortunis Germaniæ gratulor, quam ſi unquam nunc aliquando expergefieri oportebit, & ab hac barbarie, qua tot jam ſeculis velut ſtupido ſopore vel potius* ληθαργῳ τινι *oppreſſa tenetur excitari.* Deinceps, ubi ſingulare ſuum in Hebraicas quoque Literas profeſſus eſſet ſtudium, ita pergit: *Reliquas Literas aliis* (id eſt, in aliorum commodum) *didici - - - - Has autem* (Hebraicas) *mihi diſcam, ſtatui enim Senectutis requiem (ſi modo ea me manet) in Sacrarum Literarum perquiſitione collocare, quum itaque neceſſe habeam tunc libros eos legis intente ſenſiculateque lectitare, videor mibi eadem opera & Literas hebraicas diſcendo, eos legere, & legendis eis Hebraice diſcere poſſe, ſimulque* την ιδιοτητα εκεινου του λογου μυστηριοις πολλοις γεμουσαν *pernoſcere.*

fecit in Græca Lingua progressus, ut cum *Guarino* soluta oratione, cum *Strozzis* carmine, cum *Gaza* in Philosophia contenderet, & quod Germanis semper difficillimum fuit, Italis non adeò de Germanis magnifice sententibus, in Græcorum & Latinorum Authorum enarratione admirationem moveret.

Ut jam non commemoremus *Richardi* CROCI Britanni, sed Germanorum in Græcis Doctoris, *Michaelis* NEANDRI, *Laurentii* RHODOMANNI, *Philippi* MELANCHTONIS, Germanorum, sed serioribus temporibus in Literas Græcas præclara merita, (a) quorum non semel in hoc Opere recurret mentio: Nam & JOHANNEM PHREAS jam seculo xv. in Anglia Græcas Literas, quas in Italia (b) publice fuerat processus, & quarum in Versionibus, Diodori, Xenophontis, Synesii, ab ipso elaboratis, luculentum dederat specimen, restituisse ferunt.

§. VIII. Silentio autem hic præterire nefas esset, FRANCISCUM XIMENEM *Cardinalem*, Virum arte non minus, quam Marte clarum, quique summa in Hispania Archiepiscopi Toletani dignitate auctus, & quod cum Præsulatu jure perpetuo est conjunctum, totius Regni factus Archicancellarius, erectione Academiæ Complutensis non solummodo nominis celebritatem perennaturis seculorum fastis inscripsit, in qua Græcarum Literarum Doctori lautius quam reliquis stipendium is decrevisse dicitur, sed &, primus A. 1515. authoritate sua, adjutus ministerio *Antonii* NEBRISSENSIS Viri Doctissimi, quique ipsi à consiliis erat sacris, *Biblia* molitus est *Polyglotta* Hebræo-Græco-Latina (c) dicta *Complutensia*, adjecta Paraphrasi *Chaldaica* ex

(a) Conf. G. H. *Goetzii* Diss. *de restauratione Græcarum Literarum per Germaniam*.

(b) Vid. BÆL. Diction. tit. PHRÆA & G. J. VOSSII de Historicis Latinis. Lib. III. cap IX. Opp. Tom. IV. fol. 197.

(c) Est verò, quod in transcursu solum notamus, notabilis illa, quæ in præfatione illius editionis ad V. T. occurrit, pericopa, & quam ridiculam allegoriam appellat IMBONATUS in Biblioth. Lat. Hebr. p. 49. *Mediam inter hos* (Græcum scil. & Hebræum textum) *Latinam S. Hieronymi Interpretationem velut inter* Synagogam & Orientalem Ecclesiam *posuimus, tanquam* duos hinc & inde latrones, *medium autem Jesum, hoc est*, Romanam Ecclesiam *collocantes*. Vid. HOTTINGER. Histor. Eccles. Tom. V. p. 106. & Le LONG in Biblioth. Sacr. Tom. I. p. 13. 20.

ex Codicibus castigatissimis; Quorum editioni, uti, exemplo rarissimo, sexaginta millia ducatorum (a) impendit, ita illud opus prorsus eximium, quo Philologiam, Theologiam & proxime instantem Reformationem, eodem quo Erasmus tempore, felicissimè juvit, *Prodromi Reformationis* nomine insigniri recte posse, est manifestum. Uti idem ille Ximenes, quò non paucas ex cultu resecaret superstitiones, Veterum *Mozarabum Liturgiam* A. 1500 imprimi, (b) & in Ecclesias suæ curæ subjectas introduci curavit. Neque vero ullius unquam majus fuisse quam *Ximenii* de Literis meritum, recte à vitæ ejus scriptoribus, & imprimis à *Nicolao Antonio* Bibliothecæ Hispanicæ conditore est observatum. (c).

§. IX. Quomodo vero cum Literis Græcis non minus exculta fuerit seculo Reformationem antegresso, Lingua Latina, & reliquæ caput extulerint Artes ingenuæ, satis inter eruditos constat. Quid enim *Franciscum* PETRARCHAM Florentinum, *Dantem* ALIGERIUM *Joh.* BOCCACIUM & alios ex seculo XIV. huc recensere attinet, cum ex solis Italis, *Laurentii* VALLÆ, *Hermolai* BARBARI, *Angeli* POLITIANI, *Francisci* POGGII, *Francisci* PHILELPHI, *Petri Candidi* DECEMBRII,

(a) Docet *Alvarus* GOMESIUS in Vita *Ximenii* conquisivisse eum multo ære Codices Hebræos aliquot MSS. præcipue ex Bibliotheca Vaticana, quibus rite inter se comparatis, & ad Masoram examinatis, Textus Originalis à variis, qui hucusque propter ignorantiam seculi irrepserant, nævis repurgari posset; &, cum conjunctæ vires in tanto labore non modo prosint, sed necessario etiam requirantur, multo stipendio eum concitasse ad repurganda Biblia Viros aliquot Linguarum Orientalium callentissimos, in his fuerunt *Antonius Nebrissensis*, *Demetrius Ducas*, *Alphonsus de Zamora*, *Coronellus*, *Alphonsus* Medicus Complutensis, *Pincianus*, *Joh. de Vergera*, Prof. Salmantinensis, *Demetrius Cretensis*, *Lopis Astuniga*, & aliquot ex Gente Judæorum conversi Christiani.

(b) Refertur is Liber *Toleti* apud *Petrum Hagenbach* Alemannum 1500 in fol. editus, inter omnium rarissimos, & dicitur Ximenes, vel in hujus impressionem quinquaginta millia Talerorum impendisse, perhibente D. *de Vayrac* dans *l'Etat present de l'Espagne* p. 553. Cæterum *de Missa Mozarabica* extat *Joh.* PINII tractatus in Limine Actorum Sanctorum mensis Julii Tom. v. vid. VOGT in Catal. Libr. rar. v. Missale.

(c) Conf. *Herm.* v. der HARDT Memoria secularis Cardinalis Ximenii Helmst. 1717. 8.

BRII, *Casparini* BARZIZII, *Jacobi* PICCOLOMINÆI, *Joh. Ant.* CAMPANI, *Leonardi* ARETINI, *Nicolai* PEROTTI, *Marsilii* FICINI, *Phil.* BEROALDI, Jo. JOVIANI PONTANI, *Pomponii* LETI, *Nicolai* LEONICENI, *Christophori* LANDINI, *Domitii* CALDERINI, M. *Ant.* COCCII SABELLICI, *Jo.* PICI, *Baptistæ* GUARINI, *Ludovici* ODAXII, *Antonii* CODRI URCEI, *Matthæi* BOSSI, *Aldi* MANUTII, & aliorum, satis nota sint nomina. Quorum equidem alii, in Philosophorum Veterum inquisiverunt doctrinas, (a) eorundemque de excolendis ingeniis, & imbuendis rerum optimarum cognitione animis præcepta instillabant discipulis suis, alii se profundius in elegantissimas quasque disciplinas abdebant, & novum quid proferre in lucem meditabantur, alii memorabiles omnium seculorum gentiumque historias ex annalium vetustate eruebant, & literarum commendabant monumentis, alii denique antiquum Romani sermonis decus & majestatem ex Veteri arcessebant Latio, omnes vero Literas dudum intermortuas in vitam & vigorem pristinum laudabili consilio revocare nitebantur.

§. X. Uti jam Linguæ Latinæ in Germania instauratores, inter quos *Conradus* CELTES, (b) *Rudolphus* AGRICOLA modò commemoratus, *Rudolphus* LANGIUS, aliique, nomen habent, non recensemus, posteaquam de Latinæ Linguæ, quam indies nitidiorem tum reddere conabantur viri docti, in Germania per XVII secula amplius *fatis*, eruditum, quique in omnium versatur manibus conscripsit commentarium, *Jacobus* BURK-

(a) Vid. MENCKENII Præfat. in Vitam Angeli Politiani à se conscriptam, ↄc ↄc 3. Cæterum quo minus hic illud *Velleji Paterculi*, in memoriam revocemus, facere nequimus, Histor. L.I. c.XVI. *Quis abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, in eandem formam, & in idem artati temporis congruens spatium, & quemadmodum clausa capso, alioque septo, diversi generis animalia, nihilo minus separata alienis, in unum quodque corpus congregantur, ita cujusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum & profectuum semet ipsa ab aliis separaverunt?*

(b) De *Conrado* CELTE extat singularis Cl. GUNDLINGII Dissertatio Observationibus ejus selectis inserta.

BURKHARDUS, (a) Uti & *Mirandulanum* illum *Johannem* PICUM, *Franc.* XIMENIUM & *Johannem* REUCHLINUM primos Hebraicæ linguæ instauratores, quique suppari ætate nituerunt, nunc digito tantum, ne propositi nostri excedamus formam, attingimus, (b) quanquam etiam hi ipsi sempiterna laude sint decorandi, atque in perpetua apud nos sint gloria.

§. XI. Sed nec deerant Principum, literarum studia & authoritate & munificentia promoventium, & liberaliter admodum foventium Nomina, æternitati consecranda. Atque ut stylum intra ea quæ proximè Reformationem attingebant tempora, solummodo coërceamus, ipse MAXIMILIANUS (c) Imperator, Friderici tertii Austriaci Filius, præ ceteris hic est commemorandus, Musagetes summus, quem inde ab A. 1493 Romano-Germanicum Imperium, quod ipse, uti à Patre Friderico, cui succedebat, acceperat, ita illud ad

C suos

(a) Cujus Libri Hanover. 1713. 8. impressi Caput IV hic evolvi meretur. Nam & Latinam Linguam quod turpissimis modis corruperint eorum temporum homines, non obscure colligitur ex *Ridiculo opere*, cui tit. *Epistolæ obscurorum Virorum*, quo inficeti seculi barbaries & striblligo cum primis deridenda exhibetur, & quod Authores habet Triumviros doctissimos, *Ulricum* HUTTENUM, *Herm.* BUSCHIUM, & *Herm.* NUENARIUM Comitem, quorum Triumvirorum Vitas itidem singularibus commentariis illustravit Doctiss. BURCKHARDUS, cum hisce tribus viris Germania potissimum debeat, quod Romani sermonis decus & humanitatis laus in ipsa sit vindicata, barbarie inde propulsata.

(b) Quod enim tum in Hispania quoque & Italia jam multi floruerint eximia literarum Hebræarum & Orientis cognitione præditi, fidem facit PAULUS COLOMESIUS in *Italia Orientali* p. 4. seq. & in *Hispania Orientali*. p. 212. conf. IMBONATI Biblioth. Lat. Heb. p. 48.

(c) Laudes Maximiliani præter CUSPINIANUM, LAZIUM, SLEIDANUM &sim. decantarunt, *Pallas* SPANGELIUS Theologus Heidelbergensis nomine Universitatis Oratione habita, *Jason* MAYNUS JCtus in Epithalamio, *Pandulphus* COLLENUTIUS, *Vincentius* LONGINUS, ELEUTHERIUS SILESIUS, *Picus* MIRANDULANUS, alii. Uti res ejus gestæ singulari Libro dicto *Theuerdank*, Lingua Germanica excuso Norimbergæ 1517. fol. exponuntur, de quo SCHELHORNIUS in Amœn. Lit. T. II. p. 430. I. aliique.

suos posteros continua deinceps & quasi hæreditaria serie ad hoc usque tempus possidendum transmisit, gubernasse notum est. Is enim quanquam ad annum ætatis nonum, teste *Cuspiniano*, propter summam in loquendo molestiam, & mutus haberetur, & elinguis, postea tamen ita literis & prudentia civili gnaviter suum excoluit ingenium, ut non inter Boni Principis exempla solum, sed &, inter præcipuos literarum omnis generis Restauratores & Promotores, summo jure collocetur, cum vel ipse ad scribendum adpulerit animum, atque de suis in Poësi & Historiarum cognitione profectibus non unum dederit documentum; Est is, qui in Comitiis Wormatiensibus (a) A. 1495. Supremum Cameræ Imperialis Judicium, manifesto documento, quam in Justitiæ patrocinium is omnes curas cogitationesque conferret, instituit, quique in iisdem Comitiis, in literarum atque sapientiæ culturam quam pronus esset, testatum reliquit, decretum ferendo, (b) ut Electores Septemviri, in suis ditionibus Academias & publicas figerent scholas, unde A. 1502. à Friderico Saxone *Witebergensis*, & A. 1506. à Joachimo Electore Brandenburgico, *Francofurtana* ad Viadrum, ab aliis, aliæ fuerunt erectæ. Quam verò is etiam, cum in aspera incidisset ac rudia, si ecclesiæ statum respicias, tempora, de corruptionibus Ecclesiæ graviter sæpe conquestus sit, ex illius ævi variis constat documentis, jam non adducendis. (c)


§. XII. In Gallia equidem LUDOVICUS XII. multis excellebat nominibus Rex, sed non æque sapientiæ fama aut literarum studio. Erat is, qui cum in Pontificem Romanum Julium II. infensissimum hostem, arma direxisset, suum animi propositum, vel ipsis nummis aureis à se Neapoli cusis, inscripsit, teste gravissimo Gallorum Historico J. A. THUANO,

(a) SCULTET. Annal. Evang. p. 3.
(b) v. Scultet. p. 3. BECMANN. Not. Acad. Francofurtanæ p. 1.
(c) Quo illud Maximiliani venationis cumprimis studiosi referri debet dicterium, quod frequens de se Imperatore summo, & Pontifice Julio II. usurpasse dicitur: *Deus æterne, nisi vigilares, quam male esset mundo, quem regimus nos, ego miser venator, & ebriosus ille ac sceleratus Julius.* v. MORNÆ Myster. Iniquit. fol. 616.

NO, (a) (cui nequicquam oblatrare annisus est *Joh.* HARDUINUS Jesuitarum parastata summus,) verbis memorabilibus, PERDAM BABYLONIS NOMEN, sicque testatum reliquit, quam exosum & grave sibi esset Pontificiæ Hierarchiæ & Tyrannidos papalis ferociter vel ipsis Regibus insultantis jugum; Fuit idem Ludovicus, qui post accuratam de Valdensium tum religione, tum vita, inquisitionem, ipsa veritate coactus, aliquando *juravit eos se suisque subditis esse meliores*, tradente apud Mornæum Carolo MOLINÆO. (b) Quanquam ceteroquin cum nimis Ecclesiæ Romanæ

 sacris

(a) THUANI verba hæc sunt. L. 1. c. VI. p. 16. „ Moribundi (vel rabidi) Senis (Julii II.) inanes diras contraria obnuntiatione revicit, cuso „ etiam Neapoli aureo nummo, qui effigiem suam ex una parte, & insignia Neapolis ac Siciliæ ex altera referebat, cum hoc elogio: *Perdam* „ *Babylonis nomen*, quales adhuc hodie multi reperiuntur „ conf. SPONDAN. ad ann. 1512. n. 4. ex PITHOEI lib. de Magnitud. Reg. Franciæ. Illustravit vero hanc nummorum epigraphen, eandemque vindicavit contra Harduini conamina, Vir Doctiss. *Sigism.* LIEBE, singulari de his *Nummis Ludovici* XII commentatione Lips. 1717. 8. edita, ex qua hunc Lectori nostro nummi hujus exhibemus ectypum.



(b) vid. MORNÆ Myst. Iniquit. fol. 632. 633. Sed juvat ipsius *Caroli* MOLINÆI, Viri gravissimi in Lib. de Monarchia Franciæ num. 155. legisse verba: *Incendebant Ludovicum Cardinalis & Episcopi aliquot adversus Merindolanos & Cabrerienses, quippe Veneficos, incestos, hæreticos, ac* *pro-*

facris adhæreret, cum fuftinere impetum non potuerit, fatisque, cum tredecim faltem annis regnaffet, infelix cedere debuerit, atque tot *adverfitatibus in vita conflictatus fit, quod tam arctam*, judice Thuano, (a) *cum Alexandro VI. affinitatem contraxiffet, & impuri Patris omnique fcelerum genere cooperti filii, crudelitates, libidines, perfidiam, fortunas denique foviffet & amplificaffet.* Ut ab eo potius ad ejus generum FRANCISCUM I. è Valefiorum fanguine, una cum regno, & illa cultura literarum, atque eruditionis in regno Galliæ, delata fuerit circa annum MDXV. gloria: Hunc enim egregium Principem, & literarum maximum fuiffe ftatorem pariter atque fautorem, cum ex omnibus ejus ævi conftat monumentis hiftoricis, (b) tum ex iis, quæ deinceps in hoc Opere defcribentur, colligere proclive erit.

§. XIII.

proinde tollendos effe fuadebant. Hi fubodorati quæ Cardinales & Epifcopi in fe confilia coquerent, mittunt ad Regem Legatos, & innocentiam fuam tutantur, exponentes fe Evangelium, Biblia, Symbolum Apoftolicum, Dei præcepta, facramenta, agnofcere atque amplecti: cæterum nec Papæ nec ipfius doctrinæ credere. Si fecus effe Rex deprehenderet, fe nullum fupplicium recufare. Ea, itane fe haberent an fecus, Rex fcire voluit. Itaque ea de re Adamo Fumæo, *Libellorum Supplicum Magiftro*, & M. Parvo *Dominicano, qui illi à Confeffionibus erat, quæftionem mandat. Illi ea in loca profecti, & quæftionibus perfectis reverfi ad Regem referunt, illis in locis infantes baptizari, articulos fidei & Decalogum doceri, Dominicos dies religiofe coli, Dei verbum exponi, veneficia & ftupra apud eos nulla effe. Cæterum fe in ipforum templis, neque imagines, neque ornamenta Miffæ ulla reperiffe. His auditis, Rex, eosne præcipiti judicio damnavit? Minime: fed jurejurando addito, ME, inquit ET CÆTERO POPULO MEO MELIORES ILLI VIRI SUNT.*

(a) THUAN. Hiftor. L. I. c. 17. fol. 15. edit. noviff. ubi cumprimis notabilia funt, ad defcribenda Alexandri VI. fcelera, ea quæ ab Hiftorico graviffimo in ipfo Opere MSS. fuerant monita, ac huic editioni in fubjunctis notis inferta, quæque ut legantur, certe funt digniffima.

(b) Conf. inprimis de Francifco I *Du* CHESNE in Antiqq. Franciæ L. I. c. 19. itemque THUANUS L. I. c. VII. p. 16. ubi: *Is ftatim* inquit *initio principatus magnam de fe omnium fpem concitavit, fpecie imperio digna, ingenio, literarum amore, comitate, rerum peritia jam dum in illa ætate (vix dum enim* XX *annum compleverat) ad regiam majeftatem accedentibus.* Et quantus is fuerit Mufageta, præ reliquis *Dionyf.* LAMBINUS in pereleganti dedicatione Horatii fui ad Carolum IX Galliæ Regem fcripta, teftatur, apud SCHELHORN. in Amœnit. Hift. Ecclef. Tom. II. p. 626-630.

§. XIII. Apud Anglos HENRICUS VII. equidem, qui circa Seculi XVI initium sceptra tenebat, superstitioni admodum devotus erat Princeps, ut proverbii loco habuisse dicatur, *se videre Christum malle quam audire*, ita tamen ut singularis ejus prædicetur prudentia politica, ut & Anglorum diceretur Salomo, & in Principis Politici exemplum positus fuerit à *F. Bacone* VERULAMIO Viro Doctissimo, in *Historia Regni Henrici* VII. Illi autem HENRICUS VIII succedebat, & eruditus ipse, & virorum doctorum, ERASMI, *Thomæ* MORI, *Reginaldi* POLI aliorumque, quanvis non æque semper constans fautor, cujus & Scriptum *pro septem Ecclesiæ Romanæ Sacramentis* adversus Lutherum extat apologeticum, (a) quo *Defensoris fidei* titulum, qui inde ab eo tempore Angliæ Regibus est tributus, à Leone X. Pontifice Romano is est consecutus. Hujus tempore *Gulielmus* WARAMUS florebat *Cantuariensis* Archiepiscopus, quem unà cum JOHANNE Episcopo *Roffensi* summis in cœlum laudibus evehit Erasmus, cum in Epistolis, tum alibi. (b) *Alphonsum* jam V. Arragoniæ Regem eundemque I. Neapolitanum, totamque gentem *Mediceam*, quæ multis annis in Hetruria (c) propter sapientiam, eloquentiam, liberalitatem, animique magnitudinem summam, admodum illustre nomen habuerat, verbo in superioribus attigimus.

 Et

(a) Ipsa originalis hujus operis Editio, cum nuper ad manus nostras pervenerit, ejus antiquum hic tradere titulum forte non erit inopportunum; Is autem ita se habet: *Libello huic Regio insunt, Oratio Johannis Clerk apud Ro. Pon. in exhibitione Operis Regii: Responsio Rom. Pont. ad eandem ex tempore facta. Bulla R. P. ad regiam majestatem pro ejus operis confirmatione. Summa indulgentiarum libellum ipsum regium legentibus, concessarum. Libellus regius adversus Martinum Lutherum hæresiarcham. Epistola regia ad illustrissimos Saxoniæ Duces pie admonitoria. Apud inclytam urbem Londinum in ædibus Pynsonianis An.* M. DXXI. *quarto idus Julii, in forma quarta.*

(b) vid. v. g. Erasm. Epist. 167. 168. 174. &sim. itemque Ejus præfat. ad primam N. T. edit. ad Leonem X. directam. Nam & huic ipsi Waramo, Hieronymi à se restituti Opera eundem dedicasse constat.

(c) Sunt *Herm.* BARBARI in Epistola quadam ad Picum Mirandulanum verba: *Debent literæ Florentinis, inter Florentinos Mediceis, inter Mediceos Laurentio.* conf. *Petri* ALCYONII Medices Legatum priorem pag. 7. & 8.

Et possemus HERCULEM commemorare Ducem Ferrariensem, RUPERTUM Palatinum, FRIDERICUM Sapientem, & alios quam multos, qui rebus literati orbis miseris succurrerunt, literisque renascentibus præsidio fuerunt ac ornamento, nisi res extra dubitationis aleam esset collocata. Quid? quod ipse, qui tum, quando Reformationis Lux exoriebatur, sedem tenebat Pontificiam LEO X. ex Medicea gente oriundus, & literarum gloria floreret, & eruditorum fautor esset & patronus summus, quod ex ERASMI, POLITIANI, BEMBI, SADOLETI, VIVIS & aliorum Historia constat, atque in ipso hoc Opere non uno comprobabitur documento.

§. XIV. Neque, ut verborum faciamus compendium, ullum disciplinæ genus erat, quod non excoli tum temporis mirifice ceperit; Quanquam, si quod res est dicendum sit, ipsa salutis Doctrina, quam *Theologiam* vocamus, cum ceteræ reformarentur disciplinæ omnes, & tenebricosa hactenus maneret, & nulli obnoxia alterationi; adeò inveterata, animisque hominum altè residebant infixa superstitionis zizania. Uti certè constat, ipsam illam fidei Pontificiæ, quam ea etiam à veri norma manserit aliena, doctrinam, per Reformatorum tamen felici successu gaudens institutum, mirifice demum à variis fuisse reformatam fæcibus, ut licet non melior, doctior tamen abinde quoque evaserit Pontificiorum Ecclesia. (a) *Medicinam* autem vindicabant (b) *Nicolaus* LEONICENUS,

(a) Neglecta certe olim sacrarum literarum studia resumta sunt, copia etiam legendi haud difficulter & plurimis ex populo data. Concionum, Catechizationum, Cantionum sacrarum introductione, ut earum, quas purgatæ Ecclesiæ nostræ instituerunt imitatione, in Germania sane effectum, ut alicubi imperitis ex plebe, aut de Religione ab externa facie judicantibus, opinio nascatur, majoribus nostris non satis graves causas fuisse, propter quas ad immanem illam rupturam perventum sit: uti egregie monet Ill. SECKENDORFIUS in Præfatione: conf. *Edw.* SANDIS in eximio de *Religione* Libello, in eoque Cap. XVIII. una cum tribus subsequentibus.

(b) SCULTET. Annal. Evang. p. 3. Est verò hanc in rem adeò memorabilis ERASMI ad Capitonem Epistola Antverpiæ 1516. d. 26 Febr. data, ut

CENUS, Romæ. *Ambrosius Leo* NOLANUS Venetiis: *Gulielmus* COPUS Basiliensis & *Johannes* RUELLIUS in Gallia: *Thomas* LINACER apud Britannos; Ne *Conradum* commemoremus GESNERUM, *Joachimum* CAMERARIUM, *Andream* VESALIUM & alios è Germanis nostris, qui cum elegantibus studiis de augmentis Medicæ artis æque fuerunt solliciti. *Jus Cæsareum* instaurabant Lutetiæ *Gulielmus* BUDÆUS, elegantioris literaturæ omnisque eruditionis Græcæ cumprimis ac Latinæ promus condus, de quo propius agendi in sequentibus recurret occasio; *Jacobus* CUJACIUS, redivivæ Jurisprudentiæ pater, de quo, licet nullo doctore fuisset usus, affirmatur, quod is ex lateritia marmoream effecerit Jurisprudentiam, & *Andreas* ALCIATUS, Bononiensis primo, deinceps Ferrariensis Academiæ Professor eximius: apud Germanos *Udalricus* ZASIUS, *Hieronymus* SCHURFFIUS, *Johannes* SCHNEIDEWINUS & similes. Inter *Philosophos*, quamquam plurimi Scholasticorum tricis essent innutriti, tamen non deerant, qui consultis vel priscorum Philosophorum placitis serenioribus, vel rationis defæcatioris præceptis, ipsam reformare viderentur Philosophiam. Nota sunt *Bernardi* TELESII, *Hieronymi* CARDANI, *Nicolai* TAURELLI, *Jacobi* ZABARELLÆ, *Julii Cæsaris* SCALIGERI, *Petri* POMPONATII, *Nicolai* COPERNICI, (a) & aliorum conamina; tametsi inter hos quoque sunt, qui tanto magis ab ipso

ut eam lectu quippe dignissimam, quæque ad eruditionis ac literaturæ omnis renatæ facit historiam, meritò his nostris subjiciamus Annalibus, ex Opere Epistol. T. I. n. 207. Vid. Docum. N. II.

(a) De his præclarius nemo atque doctius commentatus est, quam Clariss. *J. J.* BRUCKERUS in Historia Philosophica. Estque præ reliquis *Nicolai* COPERNICI Thorunienfis, in Borussia nati A. 1473. & denati A. 1543. memorabile nomen, quod ejus *Systema mundi*, in quo terra circà solem, cum reliquis planetis omnibus revolvi, sol vero in centro si non quiescere, saltem circa propriam axem volvi, supponitur, abinde, & cumprimis recentioribus nostris temporibus, ab omnibus fere præstantissimis philosophis, est receptum, multamque & incredibilem plane lucem corporum cœlestium & sigillatim planetarum phænomenis intulit, Conf. GASSENDUS in Vita Copernici.

ipſo pietatis tramite deflexerunt, quanto magis ipſam quoque veritatem ſibi habebant inimicam, vela laxantes corruptis profanæ mentis præjudiciis. Inter *Philologos*, illi, quos ſupra commemoravimus, eminebant, quibus *Antonius* addi merentur NEBRISSENSIS apud Hiſpanos, *Hermannus* BUSCHIUS apud Germanos, *Petrus* MOSELLANUS, *Johannes* AVENTINUS, *Conradus* PEUTINGERUS, *Beatus* RHENANUS, *Jacobus* WIMPHELINGIUS, *Wolfgangus* LAZIUS, *Bilibaldus* PIRCKHEIMERUS, *Simon* GRYNÆUS, & ſi qui ſunt alii, quorum nomen & merita ſtylo quoque deinceps in ipſa hac ſignabuntur Hiſtoria. Ne de illis quidquam dicamus viris præclaris, qui, quod multis ſæpe ac ſummis contingit ingeniis, in obſcuro latuerunt, quique in Monaſteriorum hactenus, tanquam ferrum humi defoſſum, quod propria exeditur rubigine, latibulis, atque inter Theologiæ ſcholaſticæ ſpineta erant enutriti, ſed qui deinceps per ipſam Reformationis lucem in apertum proferebantur, ut eorum poſtea quoque cum divinioris diſciplinæ aura gratior eos adflaſſet, celebre inter *Theologos Reformatores* & *Reformatos* fuerit nomen, prouti horum ipſorum præcipua quoque nobis habenda erit ratio, tanquam ſacræ diſciplinæ Emendatorum & doctrinæ ſacræ Reſtauratorum.

§. XV. Quum igitur, Literarum bonarum reſtauratio, ipſi Reformationi doctrinæ ſacræ viam paraverit, id quod huic exorienti lumini oblatrans agnovit *Natalis* BEDDA Pſeudo-Theologus Pariſienſis, (a) ſcribens, *per homines ſolis humanitatis Literis & Linguis inſtructos, invectam eſſe factionem Eccleſiæ*, tum ut eum, quam fieri poteſt paucis verbis, (b) ingrediamur neceſſe erit cam-

(a) Teſte SIMONIO in Hiſt. Crit. Interpr. N. T. P. II. c. 36. p. 524. Is Bedda erat JAC. FABRI Stapulenſis eo tempore Pariſiis florentis, & Scripturas N. T. illuſtrantis, itemque ERASMI ROTERODAMI adverſarius acerrimus, ſummusque eruditionis pariter atque religionis renovatæ hoſtis.

(b) Egregie admodum Ill. SECKENDORFIUS L. I. §. II. add. I. *De miſerrimo* inquit *Eccleſiæ ante Lutherum ſtatu tot extant teſtimonia, ut magna ex iis volumina compilari poſſent. Egerunt hoc Joh.* WOLFFIUS *in Lectionibus Memorabilibus. Authores Catalogorum teſtium veritatis. Joh. Hen-*

campum, *de corruptis Ecclesiæ Romanæ moribus, & depravata Religionis doctrina*, siquidem exinde ipsius Reformationis tanto clarius summa, ipsis non diffitentibus in seculis antegressis, & in ipso Reformationis seculo, viris cordatis, Principibus æque atque Episcopis, Clericis æque ac Laicis, (a) emicabit necessitas, atque divinæ gratiæ in ea sustinenda magnitudo, (de qua sine stupore nemo potest & admiratione summa judicare,) nullis obliteranda seculis.

Juvat autem gravissimam hanc causam prius ipsius MEZERÆI, (b) Scriptoris Pontificii, atque Historici gravissimi delineare verbis; Is enim ita infit: „ Nullam curam gerentibus „ Ecclesiæ Capitibus ad tuendam disciplinam, vitia atque ex„ cessus hominum ecclesiasticorum ad summum usque excreve„ runt apicem, fueruntque adeò publica, & omnium oculis ex„ posita, ut odium atque contemtum populorum in se excita„ verint. Non possumus repetere sine rubore, fœnera sive usu„ ras, avaritiam, crapulas, dissolutionemque universalem Sa-

D cer-

Henricus HOTTINGERUS *in Historia Reformationis, aliique haud pauci.* Nam & singularis extat liber, sub tit. *Discursus epistolaris Politico Theologici de statu reipublicæ Christianæ degenerantis, tum de Reformandis moribus & abusibus Ecclesiæ &c.* Francof. 1610. 4. apud Egenolphum Emmelium, de quo, quæ SCHELHORNIUS in Amœn. Litter. Tom. VII. p. 269. annotavit, digna sunt, quæ legantur. Et est lectu cumprimis dignissima *Friderici* MYCONII Descriptio Status Ecclesiæ ante Reformationem, quam ex MSS. Commentario suo inseruit Ill. SECKENDORFIUS p. 4. quamque propter vividam ejus repræsentationem inter documenta huic Operi annexa Num. III. describi curavimus. Ut ne commemorem varia illa de necessitate Reformationis scripta, ab *Herm.* CONRINGIO collecta & edita, Helmst. 1650. 4. de quibus *Fabric.* in Hist. Biblioth. Tom. IV. p. 165. seqq.

(a) Est hic ingenua admodum ipsius BELLARMINI in Concione XXVIII. die Dominica Lætare Opp. T. VI. col. 296. edit. Colon. 1617. confessio, quæ multis hodiernorum Pontificiorum dissimulationibus opponi meretur: Is enim ita: *Annis aliquot, antequam Lutherana & Calvinistica hæresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tunc vivebant, nulla (inquam) prope erat in judiciis ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in Sacris Literis eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla propemodum jam erat Religio.*

(b) v. MEZERÆI Histor. Gallic. Tom. VIII. p. 691. seq.

„ cerdotum hujus feculi, licentiam & luxuriam monachorum,
„ fuperbiam & luxum Prælatorum, eorumque omnium puden-
„ dam ignaviam, ignorantiam & fuperftitionem. Non erant
„ quidem, hæc fateor, nova fcandala, verum barbaries atque
„ ignorantia feculorum præcedentium aliquo modo ifta abfcon-
„ diderunt vitia, fed revivifcente poftea Literarum luce &
„ eruditionis, monftratæ illæ maculæ cœperunt apparere, &
„ quemadmodum mali indocti lumen illud ob oculos inde læfos
„ ferre non potuerunt, ita nec iis pepercerunt eruditi, vertentes
„ eos in ridiculum, atque propalantes illorum nuditatem pari-
„ ter atque nefandam turpitudinem.„

§. XVI. Atque ut à Capite, prouti tunc equidem cenfebatur, Ecclefiæ (a) inchoantes, tribus folummodo verbis ipfos Seculi XVI in-

(a) Huc fpectat Præfatio *Ulrici* HUTTENI ad ipfum Leonem X. præmiffa Libello, quo *Laurentii Vallæ* de donatione Conftantini declamationem refellit, quæ Kalendis Decemb. 1517. eft fcripta. Ubi inter alia ita: *In illos* (de Pontificibus Romanis loquitur) *verè deteftandi fceleris commentores Pontifices, omnia acerbiffima dicta, omniaque ferociffima facta conveniunt. Quidni? in* depeculatores, *in* fures, *in* Tyrannos, *in* latrones. *Quis violentior enim latro eft, quam qui ita rapit, ut rapiendi modum nullum ftatuat? Hi fuerunt, qui, in minimo arrepta occafione, ad immenfum progreffi funt diripiendi licentia, qui gratias venum expofuerunt, qui conditiones, qui difpenfationes, & infiniti generis bullas, qui vendiderunt tanto jam tempore. Qui in peccatorum remiffione pretium ftatuerunt, & in pœnis inferorum invenerunt fibi lucrum. Qui Sacerdotia heic, elemofynam parentum noftrorum paffi funt ab fe mercari. Qui Germanis perfuaferunt, Epifcopos non effe, qui ab fe pallia non emerint, multis aureorum millibus. Qui contenti non erant exigere extraordinem quotannis femel, fed mittebant, quoties in mentem veniffet, qui colligerent aliis alii de caufis, nonnulli, quafi bellum apparaturi contra Turcas: alii ut templum, quod perfici non curant, Romæ Divo Petro exftruant: Qui quum hæc omnia facerent, tamen falutari vulgo Beatiffimos & Sanctiffimos volebant, nec aliquid in fuos mores dici patiebantur, nedum fieri. Si quis vero Libertatis meminiffet, aut fi quis rapientibus impedimentum, aut moram fi quis omnino objeciffet, in ejus fæviebant animam, perdentes actutum --- Sic maledicendo perdebant illi animas hominum, quafi non effet Deo cara hæc poffeffio. Ergo non fuerunt Paftores, quia non cuftodiebant animas, fed perdebant, & circumeuntibus dominicum gregem lupis objiciebant Chrifti oves. Non paftores fuerunt illi, inquam, fed LUPI. Non cufto-*

inchoati, atque in deterius planè vergentis, Pontifices memoria repetamus: Ecquis Nero æquavit scelera & flagitia ALEXANDRI VI? cujus perfidiam, libidines horrendas, crudelitatem, commercium cum Turca tantum, ut ejus etiam commendatione permotus, quosdam Cardinales creaverit, turpem nepotismum, libidinem filiæ Lucretiæ, veneficia, perjuria, & tristem tandem ejus mortem, hausto quod Cardinalibus quibusdam filii sui Cæsaris Borgiæ dominationi adversis destinaverat, veneno, (a) quod ministri incuria accidit, *Johannes* BURCHARDUS Argentoratensis, Magister cerimoniarum in aula Romana & Capellæ Alexandri VI. Clericus, in *Diario vitæ illius* exposuit, quod ab Illustri LEIBNITIO circa superioris seculi finem omnium primum est publicatum; Estque illa tantò majoris æstimanda, Historia licet Arcana, quod ea consentientes habet in rei summa, GUICCIARDINUM & ONUPHRIUM, scriptores utrosque Pontificios, quibus & gravissimus adsentitur THUANUS, (b) & quotquot sunt, ex ipsis Pontificiis scriptorum cor-

custodes sed proditores & fures apud Ort. Grat. in fascic. rer. exp. fol. 65 66. Et quanquam ita rigide admodum Romanorum Pontificum ulcera tetigerit Huttenus, ne tamen hic veritati vim illatam esse quis conqueratur, efficit GUICCARDINUS Historiar. L. XVI. pag. m. 595. in eandem sententiam, qui verba facit, sed modestius; *In nostris depravatis moribus, tunc in pontifice probitas laudatur, quum ceterorum hominum nequitiam non excedit.*

(a) Legatur ALEX. GORDONI Vita Alexandri VI. quæ ex Anglico in Belgiucm est translata, & binis voluminibus Roterod. 1731. 8. prodiit.

(b) Est THUANI Historiar. lib. I. cap. V. in not. *a* fol. 15. testimonium de Alexandro VI. prorsus memorabile, quod ita se habet: „ Nam quid „ portentosius prisca vel nostra ætas vidit vel audivit, hominem sacris de„ votum largitionibus in templum Dei invasisse: ibi ferro, veneno, frau„ de, tam diu impune grassatum esse: ex nefando coitu susceptos liberos, „ omni pudore exuto, ausum propalam filios appellare, incestibus, ho„ micidiis & latrociniis infamem familiam aluisse; inde vitia domestica in „ omnem Italiam sparsisse, postremo Christiani gregis pastorem jurati „ Christianorum hostis clandestino fœdere stipendiarium fuisse? Et quidem „ hæc ab omnibus qui res illius temporis scripserunt, memoriæ prodita „ sunt, etiam iis, qui pontificii nominis reverentia multa alioqui non ta„ cenda silentio dissimularunt. Sed omnem fidem superat, quod Fr. Guic„ ciar-

datiorum; Catilina verò vix habendus est Catilina, si ferociam atque perfidiam JULII II. Pontificis (a) Alexandro, post Pium III. viginti sex dierum Papam, succedentis, cum illius moribus componas, qui donis præterea & fallacibus, quas exsolvit nunquam, Pontificatum emerat promissionibus, & Martis potius quam Christi erat famulus, publiceque jactabat (b) se fœdera cum Germanis, Gallis, & Hispanis, quos ipse Barbaros appellabat, fallendi solum & decipiendi gratia contrahere, ut non immeritò

„ ciardinus, vir fide, prudentia & eloquentia cuivis ex antiquitate com-
„ parandus, nulli certè meo judicio posthabendus, scripsit, non solum
„ duos fratres Franciscum Candianum & Cæsarem, qui postea beneficio
„ nostri Valentiæ Dux factus est, incesto Lucretiæ sororis amore exar-
„ sisse (quod ob rivalitatem Candiano perniciem adtulit) sed etiam ipsum
„ parentem tam perdite filiam deperisse, ut eam à marito priore, statim
„ initio pontificatus, quasi tanta adfinitate indigno abduxerit, mox pu-
„ dore victum Johanni Sforziæ Pisauri domino elocavisse, & postremo,
„ cum ne quidem maritum rivalem pati posset, Johannem ad res venereas
„ frigidum causatum, subornatis falsis testibus contractum cum eo matri-
„ monium dissolvisse. Quo nomine etiam à Ja. Sannazario, viro bono
„ & eximio sui temporis poeta, passim proscinditur, & illo carmine præ-
„ cipuè, cujuscunque tandem sit, quo Lucretia, filia, sponsa, nurus A-
„ lexandri fuisse perhibitur. Mitto Astorem Manfredum Faventiæ do-
„ minum eximia forma puerum stupratum, & contra datam fidem postea
„ necatum; tot illustres duces inde à filio Senegalliæ, inde à patre Romæ
„ crudeliter occisos, & venenum cardinalibus paratum, ab ipso Alexandro
„ epotum, quæ mors tali vita dignissima fuit.

(a) Conf. Dialogus sub tit. Julius II. qui & in WOLFII extat Memorabilibus Tom. II. p. 59. seqq. quem licet composuisse dicatur *Ulricus* AB HUTTEN Eques Germanus, Pontificiorum ejus temporis insultator acerrimus, nihil tamen eapropter ipsi relationi detrahi constat, cum ejus temporis annales eam comprobent, ipsaque Julii notoria scelera in comperto essent omnibus. vid. GUICCIARDIN. Hist Ital. lib. 8. 9. 10. & BUDÆUS de Asse lib. 5. p. 611. Et est mirabilis Sforziæ PALAVICINI solertia, excusantis Pauli III. P. R. scelera, dum profitetur, *Alexandrum* quidem *Farnesium* (is erat *Paulus* III.) in varia prolapsum fuisse scelera, sub Alexandro VI. & Julio II. Pontificibus, nempe in licentia eorum temporum, *quorum*, ut scribit, *memoria non sine horrore & vituperio repeti potest.* Et hæc tamen illa temporum felicitas est Ecclesiastica, quam in principio operis sui de *Lutheranismo* collaudat MAIMBURGIUS!

(b) vid. *Jo.* BODIN. Lib. v. de Republica c. 6. p. 934.

meritò tota quoque Ecclesia Gallicana Ludovici XII. Regis authoritate congregata, in Conventu Turonensi A. 1510 habito, *plenitudinem potestatis Pontificiæ*, *plenitudinem tempestatis* appellaverit & *verbum diabolicum*. Maximilianus autem Imperator eundem *ebriosum ac sceleratum*, publico dicterio proclamaverit, ipseque MEZERÆUS (a) de eo referat: *affectus illius fuisse furiosos, & digniores Sultano Turcorum, quam communi Patre Christianorum.* Sed & Sardanapalus ille, plane in numerum Philosophorum referendus erit, præ Epicuræo vitæ genere, quod vixit LEO X. (b) qui literarum licet amans esset, ob auri sacram famem tamen & imprudentiam, detestabilemque Libertinismum, illas ipsas natas de sacris discordias, uti videbimus, invalescere permisit, atque ea ratione, ita providente supremo Numine, Reformationis negotio, cui obicem ponere volebat, stimulum addidit non vulgarem, ejusque felicem vel invitus promovit (c) successum, usque dum impuram, non sine veneni suspicione efflaret animam. Atque ne quis sibi persuadeat, in his, vel odio, vel partium studio aliquid esse datum, is ipsum audiat Pontificem Romanum, has turpitudines non dissimulantem, HADRIANUM VI. Leonis X. successorem, qui per Franciscum *Charegatum*, Legatum Apostolicum, non veritus est his ipsis verbis adire Principes, & Imperii Ro. Germ. Status, Noribergæ in Comitiis A. 1522. congregatos: „ Scimus (d) in hac sancta sede aliquot jam annis

D 3 „ multa

(a) MEZERÆUS in Compendio Historiæ Gallicæ p. m. 465. edit. Amst. 1682.

(b) De Leone X. nemo, opinor, uberius, quam ANTONIUS egit VARILLASIUS in *Arcanis Florentinis*, quibus titulus, *Histoire Anecdote de Florence* 8. unde & Ill. SECKENDORFIUS in delineandis Leonis moribus hanc potissimum sequitur Lib. 1. Sect. 47. p. 190. seq. Cæterum ex professo Leonis X. vitam conscripsit JOVIUS.

(c) *De Nævis & Solœcismis Politicis* in hoc negotio à *Leone X. commissis* ex sententia GUICCIARDINI Hist. Ital L. XIII. fol. 489. & aliorum, fabulam discutiendi, ansa quidem hic nobis data esset, nisi jam alii Viri graves, inter quos Rev. REINBECKIUM Clar. KAPPIUM & Doctiss. SALIGIUM commemorare fas est, hanc causam ante nos occupassent. Sufficiat illud unicum Ill. SECKENDORFII effatum ad A. 1518. p. 58. *Nullum esse consilium hominum utcunque callidorum, quod impedire destinata à Deo valeat.*

(d) vid. RAYNALD Annal. Tom. XX. ad Ann. 1522. n. 66. seq.

„ multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus
„ in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata; nec
„ mirum ſi ægritudo à capite in membra, à Summis Pontifici-
„ bus in alios inferiores prælatos deſcenderit. Omnes nos, id
„ eſt, prælati & eccleſiaſtici declinavimus, unusquisque in vias
„ ſuas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit usque
„ ad unum. „

§. XVII. De Ignorantia Paparum ſuperiorum, *quorum*, teſte *Alfonſo* de CASTRO *Zamorenſi* ex ordine Minimorum ſcriptore Seculi XV. in Libris *adverſus hæreſes*, (a) *plures adeò illiterati erant, ut Grammaticam penitus ignorarent*, tantum abeſt, ut Sacras Literas *interpretari poſſent*; nihil adtinet dicere; Quippe cum vel in ipſis Academiis, ut *Theologia Biblica* tractaretur, eſſet vetitum, quò Statutum pertinet Epiſcoporum Miſnicorum, A. 1504. quod Lipſiæ impreſſum eſt; ubi inter alia: (b) „ Rectoribus Schola-
„ rum & ſuis conſociis mandamus, ne de cætero in ipſorum
„ ſcholis libros ſacræ paginæ declarent publice vel occulte. „
Nam & in ipſa *Pariſienſi* Academia, quæ princeps habebatur omnium, nemo quum Lutherus ſurgeret, reperiebatur, qui ex ſacris libris ipſi obviam ire auderet; Neque etiam de Monachorum grege turpi pariter atque ignavo, ſuoque ut plurimum ventri obnoxio, & in dominandi tamen libidinem, rapacitatem, luxuriem, & peſſimas fraudes ultra omnem modum proclivi, nec ullis bonis literis exculto quidpiam dicimus; cum, uti craſſiſſima omnium ignorantia, (c) doctrinæque ſacræ depravatio in-
crc-

(a) Editionis Colonienſis 1539. fol. IX. quam pericopam ex Alfonſi editionibus Pariſienſibus 1565 & ſequentibus eradere conati ſunt Pontificii; Extat autem ſingularis *Jo. Gotl. Molleri* Diſſertatio *de Alfonſi à Caſtro teſtimonio de ignorantia Paparum*. Roſtoch. 1693. habita.

(b) vid. LOESCH. Act. & Docum T. I. p. 117. 118.

(c) Et ſunt ipſius BOSSUETI in tractatu *de variationibus Proteſtantium*. P. I. L. V. §. I. verba, quibus hæc confirmari non obſcure poteſt de corrupta doctrina cauſa, ſcribit is enim; *Concionatores ejus temporis plurimos* (non erraſſet, ſi *omnes* dixiſſet) *non niſi indulgentias, peregrinationes & eleemoſynas monachis erogandas, atque adeò pro fundamentis acceſſoria propoſuiſſe, nec quantum opus erat de gratia Chriſti docuiſſe*. Scitè admodum MOS-
HE-

credibilis, summam Reformationis necessitatem demonstrabant, ita sceleratissima Clericorum, tam ex Majoritarum, quam ex Minoritarum ordine, vita, non parum eandem quoque, prout occasio se dabat, apud ipsos ad communem sensum revocatos mortales promoveret; (a) Neque huic malo fucum oblinire potuit *Æneas* SYLVIUS, postea PIUS II., Papa, tametsi quas de Papatu sententias, antehac tulerat, & quas in *Historia Conciliorum* ubertim retulit *Edm.* RICHERIUS, (b) is, Papa factus, publice in scriptis, singulari edita *bulla retractationis*, revocare est annisus, novum corruptissimi status documentum exhibens, *fassus se errasse ignoranter*, & *imitatione S. Pauli persecutum esse Ecclesiam Dei, & Romanam primamque sedem, exemplo itaque Augustini se nunc retractare.* Sunt enim Acta Conciliorum Seculo XV. habitorum, *Pisis* A. 1409. *Constantiæ* A. 1414. & *Basileæ* A. 1431. satis omnibus nota, uti in primo, *Pisano* scilicet, duo illi Seniores Babylonis, *Gregorius* XII. & *Benedictus* XIII. antea citati, sed contumaces, in causa schismatis & fidei, cum non comparerent declarati, iisque substitutus est *Alexander* V. qui tricipitem tum Ecclesiam fecit: In secundo, *Constantiensi*, iidem illi *Gregorius* & *Benedictus* sunt depositi, *Johannes* vero XXIII. qui in Alexandri V. locum successerat, quemque *Diabolum incarnatum* dixerunt ejus Concilii Patres, ut resignaret, coactus est, substituto

HEMIUS in H. E. Sec. XV. p. 819. *Certe si quæ, inquit, fuit apud Monachos hac ætate virtus & pietas, in vestimentis fuerit necesse est. Nam in ipsis hominibus nulla erat.* Conf. *Petr.* GALLANDIUS in vita Petri Castellani à *Steph.* BALUSIO edita 1674.

(a) Non inepta certe *Conradi* PELLICANI, de Reformationis in ipso exordio progressu vox fuit, *Zwinglium* (adde & Lutherum) *non tantum promovisse Reformationem concionando, quantum alii turpiter vivendo*; vid. J. H. HOTTING. Hist. Eccl. Sec. XVI. Tom. II. p. 897. Uti quod vel per ipsos blaterones Monachos propagatum fuerit Evangelium, exemplo singulari ex *Hen. Corn.* AGRIPPÆ Epistol. L. VII. Ep. 26. p. 1037. seq. comprobatur.

(b) Vid. RICHER. Hist. Concil. L. IV. p. 1. p. 97. & seqq. & MEZERÆI Histor. ad A. 1461. p. m. 288. qui recte observat, quam *nemo privatus magis laboraverit reducendæ Paparum potestati intra terminos Canonum, quam Æn. Sylvius* & nemo *tamen inter Papas magis sollicitus fuerit ut eandem potestatem ultra juris & rationis limites extenderet*, quam idem ille, *cum esset Pius II.*

tuto in ejus locum Martino V. In tertio, *Basileensi*, autem *Eugenius* IV. Papa itidem depositus est, atque in ejus locum Felix V. substitutus, ita tamen, ut, cum propter reciprocata invicem excommunicationis fulmina, nulla posset esse Ecclesiæ Pax, tandem Eugenio mortuo & in ejus locum Nicolao V. electo, *Felix* V. se ultro Papatu abdicaverit: Fuit in hoc Concilio, cum ex Bohemis Hussitæ negarent, se ullam doctrinam scripturis sacris non comprehensam admissuros esse, memorabile quidem, sed pudendum, quodque quanti essent Romanæ Ecclesiæ in doctrina defectus satis arguit, responsum *Nicolai* Cardinalis CUSANI, quod in ejus reperitur Epistolis: (a) *Scripturas non ad esse, sed, ad bene esse Ecclesia facere. Tantò dignius verbum Dei tradi, quantò ab omni scriptura remotius. Explicandam scripturam esse juxta currentem Ecclesia ritum, qua sententiam mutante, Dei etiam judicium mutetur.*

§. XVIII. Et quis gravissimas, *Synodi Pisana* centum annis post primam Pisanam habitæ, Literas ad Maximilianum Cæsarem d. XII. Novemb. 1511. datas legere potest, ut non intime de corrupto Ecclesiæ ejus temporis statu, à Pisanis prælatis, quanquam ipsi nihilo tamen essent meliores ceteris, agnito, convincatur? In iis inter alia ita (b) „ Assurge igitur, Cæ„ sar Optime, adesto, vigila, labitur Ecclesia, opprimuntur „ boni, impii efferuntur, mergitur justitia, colitur impietas, „ surgunt, in sinumque recipiuntur infideles; qui vero pro Ec„ clesia consilium capiunt, illique opem & auxilium ferunt, „ quasi hostes ejiciuntur, opprimuntur, obruuntur. Age Cæ„ sar Maxime, Majestatem tuam appellat ipsa, cujus advoca„ tum, & protectorem te fecit Omnipotens, Ecclesia videlicet „ Romana ac universalis. Tuum magna miserabilique voce auxi„ lium rogitat. „ Quibus, si sententia addatur Concilii ejusdem decretoria, in Julium II. Pontificem Romanum, neminem amplius de summa Ecclesiæ, quæ tam spurco & detestabili laborabat Capite, turpitudine dubitare posse, quippe quæ tam vera est, & tot testium myriadibus comprobata, persuasi sumus. Est

„ ve-

(a) v. Card. CUSAN. Epist. VII. ad Bohemos. et conf. HEIDEGG. Histor. Papat. p. 180.

(b) vid. RICHER. Histor. Concil. Gener. Lib. IV. P. I. p 121. 122.

vero ea hujusmodi, d. 21. April 1512. pronunciata: (a) „ Declarat (Sancta Synodus) præfatum Dominum Julium Papam II. „ hujus Sacrosancti Concilii (ultra quadrimestre & dictos XXIV „ adhuc dies eidem concessos) manifestum & continuum in sua „ perversitate impeditorem & turbatorem, ac ejusdem Con- „ cilii indictorum & suppositorum pertinacissimum insectato- „ rem, ac decretorum ipsius Sancti Concilii notorium violato- „ rem, contemtorem, & assiduum in maximum Ecclesiæ scan- „ dalum & jacturam contumacem, & in aperta rebellione per- „ sistentem schismatis excitatorem, pacis inimicum, bella inter „ fideles principes & christiani sanguinis jacturam procuran- „ tem, & promoventem, zizania & discordias in populo Dei „ seminantem, & in his omnibus enormibus continuis & noto- „ riis criminibus, incorrigibilem, induratum, inveteratum & „ obstinatum, eo ipso incurrisse pœnas in dictis decretis con- „ tentas, ab omnique tam in spiritualibus, quam in temporali- „ bus, Papali administratione, ipso facto suspensum fuisse, esse, „ & fore. „ Quamvis enim & illi, qui huic Synodo intererant Prælati, nihilo, GUICCIARDINO teste (b), fuerint meliores, sed æque vitiosi ac ipse Julius, & qui ei adhærebant, eo tamen nil quicquam corruptissimum illum ac prorsus insanabilem Ecclesiæ Romanæ statum excusari, quin confirmari potius, atque corruptionis nefandæ universalitatem, quamque una omnes occupaverit impietas & corruptio, condoceri ac stabiliri, manifestum est, inprimis cum rectè jam ab Edm. RICHERIO (c) fuerit responsum: *Quod si Prælati, qui Pisanum Concilium promovebant, tales essent, quales fingit Guichardinus: vel sic tamen illi, quia ægrotorum est medicinam morbis sanandis quærere, maxime laudandi sunt, quod moribus depravatis Ecclesiasticorum salutare pharmacum interere & condire voluerunt:*

§. XIX. Et quanquam meritò noster refugiat animus, eaque for-

(a) vid. RICHER. l. c. L. IV. P. I. pag. 286. 287.
(b) vid. GUICCIARD. Histor. Ital. Lib. X. fol. m. 354 & 355. conf. RICHER. in Hist. Concilior. Gener. L. IV. P. I. p. 85. & MORNÆ. Myster. Iniquit. fol. 621.
(c) RICHER. l. c. p. 86.

formidet dicere, quæ de turpitudine Pontificum & Ecclesiæ Romanæ apud omnes in scriptis sunt relata, nec à Reformatis primum aut Lutheranis, quod vellent equidem populo christiano persuadere Pontificii & Papicolæ hodierni, quibus hæc omnia tam vera, totque testium myriadibus comprobata pro meris habentur & exagitantur calumniis, excogitata, sed ab ipsis illis eorum temporum veritatis testibus, vel ore prolata, vel scripto consignata, silentio tamen præterire nefas esset, illam (quæ Parisiis A. 1507. publico, uti Flacius suspicatur, Parisiensis scholæ consensu omnium primo typis est impressa, quanquam jam in MSS. prius fuerit nota) *Epistolam Luciferi ad malos Principes Ecclesiasticos*, qua Lucifer Papam & alios Spirituales monet, ut strenue pergant sua impietate, *tacendoque Evangelium, infinitas animas ad inferos protrudere, suos enim eos esse non Christi vicarios:* Dicit verò etiam, Papam & Clerum esse *Babyloniam meretricem, cum qua Reges & Principes scortentur.* - - - Eos defecisse *à Christo ad Satanam;* Eos se appellare *Deos, sanctos* & *sanctissimos*, cum *scelestiores* majoresque *nequitias* exerceant, quam ipsæ *infernales furiæ* excogitare possent &c.

Est verò etiam cur hic meritò commemoremus, illam in *Lateranensi Concilio*, quod ab ipso JULIO II. 1512. convocatis præcipuè Hispaniæ, Britanniæ, & Hungariæ Episcopis, ad extinguendam hæresin, uti loquitur Papa, id est, Pisanorum Cardinalium factionem, est indictum, & à Leone X. 1513. continuatum, habitam Orationem (a) ÆGIDII VITERBIENSIS, Generalis Augustinianorum, Viri ultra Seculi genium, elegantis, politi, & cordati, quæ in prima ejus Concilii sessione est habita: Ibi enim inter reliqua, ita miserrimum Ecclesiæ graviter & cordate coram omnibus, ipso præsente Julio, nec verbis diffitente, depingit statum: „ Freta initio suis armis Ecclesia, Africam, Eu„ropam Asiam occupavit, non vi, non bello, non ferro, sed „ religionis actionibus, & sanctitatis opinione, per universum or-
„ bem

(a) vid. RICHER. de Concil. General. L. IV. P. II cap. 4 p. 5. seqq. qui simul quam integra illa atque luculenta Oratio ut tota perlegatur, dignissima sit, profitetur, ut eandem inter Documenta Operi nostro annexa in Numerum V. retulerimus.

„ bem Christiana signa circumtulit: At ubi sponsa, quæ tunc
„ ubique vocabatur, accersebatur, expectabatur, in vestitu
„ deaurato, aureum paludamentum ardentis spiritus ferreis Aja-
„ cis insani armis commutavit. Imperium duodecim Ducum
„ sanguine partum amisit, Asiam & Hierusalem perdidit, Afri-
„ cam & Ægyptum relinquere coacta est, Europæ cum Byzan-
„ tino imperio sibi eripi partem vidit, ... ita & nos
„ vidimus, cum religio vota ferro commutavit, toto fere orbe
„ pulsam, ejectam, explosam Ecclesiam, aucto in immensum
„ Mahomete. *Quod*, (vel *Qui* uti est apud Harduinum in Actis
„ Conciliorum Tom. IX. fol. 1580.) *nisi ferro relicto*, *rursum in*
„ *pietatis sinum ad aras*, *ad Dei pulvinaria redeamus*, crescet in-
„ dies magis, subiget imperio omnia, orbem universum nostræ
„ impietatis ultor impiissimus occupabit. Video, video, *nisi*
„ vel hoc concilio vel alia ratione, *nostris moribus modum impo-*
„ *namus*, *nisi nostram humanarum rerum cupiditatem*, *malorum om-*
„ *nium fontem*, *cedere divinarum amori compellamus*, *actum esse de*
„ *religione* &c......... Quando enim vita nostra mollior? Quan-
„ do ambitio petulantior? Quando cupiditas inflammatior?
„ quando peccandi licentia impudentior? Quando audacia ad-
„ versus pietatem loquendi, disputandi, scribendi, aut frequen-
„ tior aut securior fuit? Quando in populis rerum sacrarum,
„ quando Sacramentorum, quando & clavium & sanctorum præ-
„ ceptorum non modo negligentia, sed & contemtus major? &c. „
Quanto autem hæc VITERBIENSIS Oratio & illustrior esset
& verior, tanto magis tamen in ipso illo *Concilio Lateranensi*
omni Reformationi veræ & seriæ ponebatur obex, ut ejus,
maximopere licet desideratæ, spes omnis in eodem quoque de-
collaret, quod egregie ex RICHERIO, atque ex iis, quæ
Richerius affert, ejus temporis documentis & actis publicis,
demonstravit in Historia Lutheranismi Ill. SECKENDOR-
FIUS, (a) ipsam *Richerii*, hominis in Ecclesia Pontificia enutriti
atque nunquam ab ejus placitis recedentis, imò & in ejus com-
munione mortui, & Lutheranis pariter atque Reformatis infe-

 stissimi,

(a) v. SECKEND. Comm. de Lutheranismo L. I. Sec. 2. §. 11.
p. 6, 7.

ſtiſſimi, ſed ſtrenui ceteroquin, Eccleſiæ Gallicanæ libertatis aſſertoris, de Leonis X Bulla, ſuam faciens ſententiam: *Hæc eſt illa eximia & tantopere Chriſtianis nationibus à ducentis annis exoptata reformatio, vel ut verius dicam, abuſuum curiæ Romanæ incruſtatio & involutio.* Ne jam commemoremus illam *Academiæ Pariſienſis* à Concilio hoc Lateranenſi *Appellationem*, (a) quæ A. 1517. Latinè Pariſiis impreſſa reperitur, & cujus exemplum in Bibliotheca Paulina Lipſienſi extare notat SECKENDORFIUS, ex qua, quam iidem defectus, eademque crimina, quæ Imperator, Reges, Principes, tot Cardinales & Epiſcopi Piſis congregati, pro confeſſis, & notoriis A. 1511. & ſequentibus agnoſcebant, deplorabant, & emendare cupiebant, nondum A. 1517. eſſent ſublata, ſed in recenti adhuc verſarentur memoria, luculenter colluceſcit. Ut ex his omnibus illud jure merito colligamus, morbum, qui Chriſtianum orbem infeſtabat, quique & doctrinæ & moribus erat infeſtus, fuiſſe Epidemicum, ſeſeque in omnes ſtatus & ordines diffundentem, Politicum, Eccleſiaſticum, Monaſticum, Scholaſticum & OEconomicum, (b) quanvis etiam nunc operoſiorem hujus corruptionis demonſtrationem non aggrediamur.

Sunt enim nota ipſius Epiſcopi Chiemenſis in Opere, cui tit. *Onus Eccleſiæ*, eam in rem notata. Nec ipſe Hadrianus VI. Papa Ro. quod jam vidimus, id diſſimulabat. Totius Nationis Germanicæ gravamina publice tum jam edita id confirmabant. Et quam præter alios Viros ſummos, etiam MERCURINUS GATTINARA, Vir ſummus & Caroli V. Cancellarius, corruptionem Eccleſiæ maſcule Pontifici, in celebri illo congreſſu Carolum V. inter

(a) Eſt ejus Appellationis Pariſienſis hæc ſubſcriptio Gallica: *L'Appellation de l'univerſite de Paris, pour les Recteur, Profeſſeurs, Docteurs, Miniſtres Regens, Eſcoliers, & ſuppoſts dicelle & leurs adhærens des griefs & cauſes cydeſſus declarez.* uti eadem reperitur apud BOCHELLUM in Decretis Eccleſiæ Gallicanæ L. VIII. Tit. XXV. c. VIII. pag. 1249. itemque apud *Edm.* RICHERIUM in Hiſtoria Conciliorum Generalium Lib. IV. P. II. cap. IV. §. XV. pag. 44--51. ex quo eandem hiſce commentariis N. VI. ſubjunximus.

(b) Conf. J. H. HOTTINGER. Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. P. II. p. 14. & ſeqq.

inter & Pontificem Clementem VII. Bononienſi A. 1529. indicaverit & emendationem in doctrina & moribus ſumme neceſſariam indicaverit, omnique opera teſtatum fecerit, quam deberet Cæſar vel non attenta Pontificis renitentia concilium urgere, & ſe Dominum eſſe cogitare, ex iis quæ à SECKENDORFIO (a) ſunt relata, cognoſcitur. Quam DESID. ERASMUS in cernendis Eccleſiæ Romanæ erroribus oculatiſſimus Argus, & in iisdem taxandis diligentiſſimus Ariſtarchus, aperto fateatur ore, (b) *Sacerdotes illorum temporum magis incubuiſſe patinis quam paginis, & potiorem habuiſſe curam nummorum quam voluminum*, ſatis eſt cognitum. Quemadmodum idem, licet ejus ad Leonem X. datæ literæ plures una vehementer ſint adulatoriæ, tamen non veritus eſt 1516. Bruxellis ad eundem ſcribere. (c) *Spes eſt* tuis ſanctiſſimis conſiliis *tria* quædam præcipua *generis humani bona* reſtitutum iri. *Pietatem illam vere Chriſtianam multis modis collapſam. Optimas literas partim neglectas hactenus, partim corruptas, & publicam ac perpetuam orbis Chriſtiani concordiam.* Et quam in ipſo denique *Concilio Tridentino* A. 1562. 1563. hæc Romanæ Eccleſiæ in doctrina & moribus corruptio deterrima fuerit agnita, atque ab ipſis Romani Imperii Principibus, quin imò à Regum Hiſpaniæ & Galliæ Legatis, aliisque, qui Spiritum S. manticis incluſum Roma mitti poſſe, ſibi perſuadere non poterant, aperto ſatis ore & calamo diſerto in eorum Memoriis & Orationibus fuerit declarata, ex ipſis ejus Concilii Actis, à *Paulo* SARPIO *Veneto*, *Jac.* GILLOTO Senatore Pariſienſi, PUTEANIS Petro & Jacobo, Fratribus, M. VASSORIO, AYMONIO, aliisque, publicatis, extra omnem dubitationis & tergiverſationis aleam collocatur.

§. XX.

(a) SECK. Hiſt. Luth. L. II. §. XLIX. p. 143. Conf. Ph. F. HANII Profeſſoris Kilonienſis Memoria *Mercurini Gattinaræ*, quam ſubjunxit ejus *Hiſtoriæ* Sacrorum à Luthero emendatorum p. 203-207. ubi & ipſius *Gattinaræ* ad Eraſmum data in hujus rei teſtimonium legitur p. 219. Epiſtola.

(b) ERASM. variis locis annotationum in Nov. Teſtamentum. conf. in primis Ejus Epiſtol. ad *Albertum Moguntinum* quam is Lovanio d. 1. Novemb. 1519. ſcripſit, quæque inter ejus Epiſtolas Opp. Tom. III. P. I. num. 477. reperitur pag. 514. ſeqq.

(c) v. ERASM. Ep. l. c. n. 195. fol. 167.

§. XX. Cum igitur tanto opere deformata facies, atque deploratissimus esset Ecclesiæ, cum quoad doctrinam tum quoad mores, Status, cumque quotquot erant, sive sacrorum antistites, sive in scholis doctores, sive in cœnobiis monachi sive plebeji, sordibus illis essent inquinati, totusque etiam cultus esset corruptissimus, quid mirum, quod omnes quotcunque boni uno ore REFORMARI ECCLESIAM *debere* affirmarent, quorum si numerum inire vellemus, longa hic nobis testimoniorum in eandem planè sententiam pronunciantium texenda esset series. (a) Tria tamen quatuorve hic afferre, cum re ipsa data & comprobata, tum verbis prolata testimonia, præter ea quæ modo enarrabamus, operæ erit pretium.

§. XXI. Quis enim ignorat, hanc unam jam ab antiquo WALDENSIUM & *Albigensium* per varias regiones dispersorum, atque sive in *convallibus* latentium, unde prima nominis appellatio, sive *Petri Waldi* (b) Confessoris Lugdunensis seculo XII singulari pietatis laude inclyti, vestigiis insistentium, atque in Galliæ Narbonensis, Provinciæ & Allobrogum montes & convalles, Flandriam porrò, aliasque regiones cum Belgii nostri tum etiam Germaniæ, exundantium, fuisse vocem? *à Paparum obedientia alienari debere populum Christjanum, si salvari vellet, atque extincta prope Religioni atque pietati opem ferendam esse.* Quæ ipsa, cum Libertate Linguæ adversus Ecclesiæ Romanæ corruptionem, Pontificumque opes, fastum ac vitia aculeatæ mirifica, copulata vox, tantam ipsis conscivit invidiam, ut in ipsos tanquam generis humani (cum terræ potius sal essent) pestem,

(a) Legi præ reliquis meretur CORNELII AURELII Goudani, *Apocalypsis seu Visio mirabilis super miserabili statu ecclesiæ*, in Ampl. BURMANNI *Analectis Historicis de Hadriano* VI. p. 245. & conferri illa debent, quæ Doctiss. CLAUDIUS, Theologus superioris seculi inter Gallos Reformatos Summus, in Libris, quos *in defensionem Reformationis* edidit præstantissimis, *de Romanæ Ecclesiæ corruptione* atque summa Reformationis inde legitime deducta necessitate, ex ipsis Pontificiorum scriptis adtulit Lib. 1. cap. 2. 3 & 4.

(b) vid. Jo. LEGER. Hist. Gener. des Eglises Vaudoises L. 1 c. XIV. p. 156. Add. THUAN. Histor. Lib. VI. fol. 221. 222.

pestem, (a) immania quævis atque terribilia, partim per ipsum Inquisitionis maledictæ sub Innocentio III. circa A. 1200. tribunal stygium fuerint decreta: partim verò etiam ipso opere, sint effusa; Quomodo in sola urbe Biterrensi, teste VINCENTIO Bellovacensi, una cæde A. 1209. sexaginta & decem hominum millia interemta leguntur. Quomodo, BELLARMINUS ipse refert, Innocentii III. tempore in Francia, conscripto in Albigenses crucesignatorum exercitu, una clade centum Albigensium millia esse occisa, ne de reliquis immanissimorum cruciatuum generibus in ipsos exercitis quicquam dicamus; Sane de hac odii causa dubitare nos non sinit Authoris Pontificii *Bernardi de* GIRARD, (b) Domini du HEILLAN, posteaquam satis invidiose quævis Manichæorum dogmata impura his adscripserat, ingenua plane confessio. *Quamvis habuerint pravas opiniones, non tamen eas tantum Papæ & Procerum contra eos odium excitasse, quantum excitavit libertas Linguæ, qua usi sunt in reprehendendis vitiis, & dissoluta Principum ac Ecclesiasticorum vita; item in vituperandis vitiis actionibusque Papæ, ita ut hoc punctum* primarium *fuerit, quod eos odio*

(a) Juvat eorum dogmata potiora ex ipsius *Æneæ* SYLVII (postea PII II. P. R.) *Historia Bohemica* addiscere: Ita autem is cap. 34. p. 67. seq. *Pestiferæ* inquit, *ac jam pridem damnatæ factionis dogmata sunt. Romanum præsulem reliquis Episcopis parem esse. Animas è corporibus excedentes aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum; Aquarum palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones invenisse. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia, tolerandum.* Confirmationem quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem inter ecclesiæ sacramenta minime contineri. *Auricularem confessionem nugacem esse.* Baptisma pluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum. *Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari quæ juvare non possunt.* In canonicis horis canendis dicendisque frustra tempus teri. *Celebritates sanctorum prorsus rejiciendas. Jejuniis quoque ab ecclesia institutis nihil inesse meriti* &c. Quo verò jure, qui talia fovent dogmata, pestiferi dicantur, id ipsius Æneæ Sylvii pietati merito decidendum relinquimus.

(b) vid. Ejus Histor. Francic sub tit. *Histoire de l'etat & succez des affaires de France* Paris 1627. fol. Lib. x. c. 1. fol. 440. conf. J. P. PERRIN in Libro rarissimo cui tit. *Histoire des Vaudois* L. 1. c. v. p. 41. seq.

odio universali exposuerit, onerarintque pessimis opinionibus, quas nunquam habuerunt. Quibuscum si conferantur ea quæ REINERIUS *Sacchò* (a) Inquisitor Dominicanus ipsis impingit, scilicet *primò* quod *blasphemaverint Romanam Ecclesiam & Clerum*, & *secundò* quod *rejecerint approbatas consuetudines Ecclesiæ Romanæ*, facile apparebit, quam ipsa Reformationis necessitas ipsis intime perspecta fuerit & testificata.

§. XXII. In Anglia vero & Scotia sub Eduardo III. Rege, A. 1350. JOHANNES WICLEFUS & ejus Discipuli, Pontificum scita & Sacerdotum mores quomodo increpuerint, atque omni modo doctrinam instaurare sacram & mores, nequicquam oggranniente Pontificiorum, qui vel post ejus mortem, quam A. 1387. obiit, in ejus cadaver scripta & doctrinam sævierunt, caterva, corrigere depravatos annisi fuerint, ex ipsis Wiclefi scriptis, quæ plusquam ducenta dicitur edidisse, partim in MS. adhuc latentia, partim verò etiam impressa, inter quæ *Dialogorum* (b) Libri IV. summæ hodie raritatis eminent, itemque non minoris raritatis Ejus *Trialogus*, (c) conspicitur: Liberrime enim non tantum *Papam esse Antichristum & Hæresiarcham* asserebat Wiclefus, sed etiam *cultum à Creatore ad creaturas, sanctos, reliquias, imagines derivatum reprehendit. Porrò Redemtoris Sacrificium in Missæ ineptum spectaculum, mortis Christi beneficium in dispensationes, peregrinationes, indulgentias mutatum, populum à Christi merito ad propria merita, à solido crucis præsidio ad cassam operum arundinem, à Deo universi Creatore ad hostiolam panis revocatum,*

(a) Fuerat is Waldensium primo Minister, dein persecutor acerrimus, & Inquisitor Dominicanus, is in libro *adversus Waldenses*, quem *Jac. Gretserus* Jesuita edidit, has quas diximus hæreses illis primario attribuit, *liberiorem vitiorum taxationem*, impudenter appellando *blasphemiam*.

(b) Vid. Cl. BEYERI Memor. Libr. rar. p. 248. & *Joh.* LEWIS in the History of the Life of John Wiclef Lond. 1720. 8. Conf. BALÆUS in Lib. de *Scriptoribus Angliæ*, qui magno numero Wiclefi scripta recensuit.

(b) Hunc Librum D. de la ROQUE adeo existimat rarum, ut MSStis Autographis optimo jure æquiparari mereatur. Vid. VOGT Catal. Libror. p. 621. Est vero is A. 1525. 4. impressus sine mentione loci.

catum, (a) totidem verbis graviſſime querebatur. (b) Unde tota *Academia Oxonienſis*, Virum ſanctum, doctum, honeſtum, pium, omnisque hæreſeos vacuum appellavit Wicleſum, ejusque famam ac nomen diſerta Apologia aſſeruit. (c)

§. XXIII. *Johannis* vero cumprimis HUSSI & HIERONYMI *Pragenſis* hic commemoranda ſunt nomina, quippe quibus illuſtriores veritatis Teſtes atque vindices ante Lutherum & Zwinglium fere non habuimus, & quos in Pontificis dominationem & ſacerdotum vitia, fraudes, & negligentiam, acerbe admodum (d) invexiſſe conſtat, ut vel eapropter Huſſus primò Romam A. 1411. à Johanne XXIII. P. R. citatus fuerit, utrique autem deinceps in *Concilio Conſtantienſi* 1415. contra fidem à Sigismundo Imperatore publice Huſſo datam, & omnem æquitatis & juſtitiæ ſpeciem, fuerint feralibus ſubjecti flammis, & authoritate dubium an perfidia publica exuſti: Docuerat verò Huſſus, quem vel ÆNEAS SYLVIUS, *Johannes* NAUCLERUS, *Wenceſlaus* HAGECIUS, aliique ſtrenue laudarunt; ea

(a) Ex iis ſaltem colligitur, quod, licet non in omnibus vera quæ ſunt fuerit ſectatus *Wicleſus*, is tamen immaturo admodum conſilio ex catalogo genuinorum veritatis Teſtium expungatur, à Doct. LOESCHERO in Relat. Innocent. A 1712. p 558. & p. 564 ſeq.

(b) Cæterum & *Anglicanam totius Scripturæ S. verſionem* Wicleſum ex Vulgata Hieronymi Verſione A. 1383. prout Codex MSS. in Collegio Emanuelis Cantabrigienſi aſſervatus in fronte adſcriptum habet, adornaſſe pro ſingulari cognitionis amplificando Zelo, conſtat, uti notatu eſt dignum, quod in præfatione, enumeratis *Libris ſcripturæ canonicis*, non aliis, quam quos Judæi & Nosmet hodie agnoſcimus, reliquos omnes *Apocryphos* eſſe, & authoritate fidei carere, diſertis adſerat verbis.

(c) vid. CHYTRÆUS in Orat de ſtatu Eccleſiæ p. 36. Qui verò plura *de Wicleſo* ſcire avet, illi adeunda ſunt Acta Concilii Londinenſis A. 1382. habitl, quæ *Henr.* SPEELMANNUS evulgavit.

(d) Sic ipſe HUSSUS de athea & iniquiſſima Theologorum vita plura expoſuit, in Lib *de Sacerdot. & Monach. Carn. abominatione.* Operum T. 1. fol 376 ſeq edit Norimb. Et refert NAUCLERUS ipſe Pontificius in Chronico fol. 265. *Quod indies tum accreverit credentium numerus, eo quod facundia ſermonis cæteros non exſuperaret modo*, (Huſſus) *ſed quoque tangendo Eccleſiæ Romanæ ulcera, veritatem Apoſtolicam juxta S. Scripturam doceret.*

ea potissimùm, quæ jam à Valdensibus tradita atque professa ex Æn. Sylvii Historia Bohemica exhibuimus in superioribus, & cum sisterentur utrique coram judicio Concilii; (a) „se veraces, sunt professi, se sancti Evangelii æmulatores, se „ Christi discipulos esse. Romanam Ecclesiam, cæterasque per „ orbem dispersas, longè à traditionibus Apostolorum abiisse; „ quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populos, & „ primos in conviviis accubitus exquirerent, canes, equos alerent, ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam, luxumque consumerent. Aut nescire „ prorsus divina mandata, aut scientes contemnere.„ Neque adeò verum esse potest, id quod refertur â BOSSUETO Episcopo Meldensi, quasi in omnibus fidei & Religionis Christianæ articulis controversis, & inprimis in articulo de Eucharistia, solis *de Papa* & de *Communione sub utraque* capitibus exceptis, *Catholicus*, id est Pontificius fuerit Hussus; Quanvis etiam ne hoc ipsum quidem huic causæ nostræ queat esse infectum, (b) quippe qui jam doctrinæ ab ipso traditæ patrocinium in nos non suscipimus, lubenterque concedimus, primariam supplicii ab eo sumti causam fuisse, quod Papæ & Clericis in os contradiceret, & nefandas eorum denudaret turpitudines, Tyrannidem Pontificum Antichristianam damnaret, & Ecclesiam errare posse, adeoque ad Sacri Codicis normam refingi oportere, contenderet, quum vel ex hoc solo pateat, quam levissima de causa, viri etiam gravissimi, modo Romanæ Ecclesiæ meretricia tangerent ulcera, fuerint condemnati; Veluti HIERONYMI *Pragensis* ea primaria (c) erat accusatio, quod *esset sedis Apostolicæ de-*

(a) vid. Æ. SYLVII Histor. Bohem. cap. 36. pag. m. 54. edit. Helmst.
(b) Conf. BASNAG. Hist. des Egl. Reform. T. 1. p. 421-426. seq. & L'ENFANT Hist. Concil. Const. L. III. §. 56. seqq.
(c) vid. POGGII Florent. Epist. ad *Leonardum Aretinum*, *de Hieron. Pragensis obitu* in CAMERAR. Histor. Fratr. Bohemor. p. 243. De utriusque autem, morti cum essent vicini, læto animo, SYLVIUS in Hist. Bohem. c. 36. p. 54. *Pertulerunt ambo*, scribit, *constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi indicium esset. Ubi ardere cœperunt hymnum cecinere, quem vix flamma et fignis intercipere potuit.*


M. WESSELUS GANSFORTIUS GRONINGENSIS LUX MUNDI VULGO DICTUS.

detractor, oppugnator Romani Pontificis, Cardinalium hostis, persecutor prælatorum & Cleri Christianæ religionis inimicus. Fuisse autem ceteroquin in ipso illo Concilio Constantiensi alios quoque multos veritatis Testes (a) v. g. *Theodoricum* VRIE, *Nicolaum de* CLEMANGIS, *Joh.* GERSONEM, &sim. quibus doctrina & potissimùm mores Pontificum & Ecclesiæ Pontificiæ, vehementem in modum displicebant, ex eorum in eodem Concilio Actis à variis Viris doctis illustratis conspicitur.

§. XXIV. Enim vero, ut jam *Joh.* GOCHIUM (b) Mechliniensem, *Stephanum* BRULIFERUM Parisiensem, *Nicolaum* RUSIUM Rostochiensem, & alios, non commemoremus, ne *Johannem* WESSELUM sive Basilium *Hermanni*, dictum GANSFORTIUM, atque *Doctorem* ab urbe natali *Groninganum*, silentio prætermittamus, ipsa vetat, quam ejus manibus omnes debent Groningenses nostri, religio: Ejus quam præclara in omnem rem Literariam sint merita, ut à coævis etiam ex merito LUX MUNDI fuerit appellatus, constat: Quam pura ejus ac defœcata à scoriis Pontificiis fuerit doctrina, ex ipsis ejus colligitur scriptis, atque ex rotunda Lutheri (c) de eo, quem appellat *Virum admirabilis ingenii, rari & magni Spiritus, quique appareat esse vere theodidactus*, atque de ejus doctrina, confessione; Invidiæ autem illi præ cæteris, dum vivebat, fuere, partim, ea qua fulgebat gloria, partim, ea quæ docuit & scripsit contra *Indulgentias Pontificias*, (d) & commentitium *Purgatorium*, id est messem præcipuam totius ordinis rasi, & ipsius curiæ Romanæ; inprimis cum accederet de *Justificatione* hominis coram Deo doctrina multò purior, quam cætero-

F 2

(a) Horum dum authoritatem Testium adducimus, non id volumus, eos omnes veritati in omnibus litasse, aut inter genuinos Reformatores locum mereri, absit! sed id volumus, hisce judicibus constare, quam corruptus eo tempore atque depravatus fuerit Ecclesiæ status, non alia via, quam qua factum est, reformandus.

(b) v. Catal. test. verit. T. II. p. 887. 888. & 902. ubi de tribus hisce potissimùm agitur.

(c) v. LUTHERI in Epist. præfixa opusculis Wesselii editis A. 1522. v. opp. Wesselii p. 554.

(d) v. *Ubb.* EMM. Rer. Frisicor. Lib. XXIX. fol. 457.

terorum ejus ſeculi Theologorum, (a) quam ex Prophetis & Apoſtolis & ſanctis Patribus Eccleſiæ veteris, hauſtam in commentario *de magnitudine Paſſionis Chriſti* expreſſit. Celebratur ejus ex hoc ſeculo A. 1490. migraturi, ab adſtantibus excepta vox, cum diſputationum internarum æſtus aliquandiu animum ejus exagitaſſet: „Gratias ago Deo meo, quod ſuperare mihi „ Diſputationes iſtas licuerit, equidem nihil ego ſcio præter „ Chriſtum & eum crucifixum.„ Cum qua voce hilaris animam Deo reddidit. Quidquid ſit, (b) ad Gansfortium noſtrum ſenem ſalutandum, cum M. Joh. Oeſtendorpius Canonicus Templi D. Lebwini Daventrienſis, Vir multo ſtudio multaque experientia doctiſſimus, adoleſcens admodum veniſſet, deque ſtudiorum ordine conſuleret, inter cætera ab eo audivit, quaſi quod jam futurum erat, prævidente: *Studioſe adoleſcens, ad eum vives diem, quo doctrina Thomæ & Bonaventuræ & aliorum ejusdem farinæ recentiorum & contentioſorum Theologorum ab omnibus vere Chriſtianis Theologis explodetur.* Hortabatur igitur eum, ut Veteres ſcriptores, tam ſacros, quam profanos, neotericis, ſcholaſticis Theologis præſertim, præferret: *futurum enim brevi, ut Doctores illi irrefragabiles, cucullati, atrati, & albati, in ordinem ſe dignum redigerentur.* Non jam urgemus illud, quod ingeminare ſolebat Weſſelus noſter: *Qui legens divinas literas non ſibi ipſi quotidie magis atque magis vileſcit, & ſibi diſplicet ac humiliatur, non fruſtra ſolum legit divinas ſcripturas, verum etiam cum periculo.* Sed, juvat reliqua cognoſcere Capita doctrinæ, in quibus is à ſenſu ejus temporis, & conſenſu communi diſcedebat,

(a) Non ignoramus equidem Auctorem *Hiſtoriæ Epiſcopatus Groningani* (quæ Lingua Belgica prodiit Leidæ 1725. fol.) omnem navare operam, ut evincat Weſſelum pro Reformationis prodromo non rectè venditari; Sed neminem fore confidimus, qui, ſimulac ad ipſa ejus argumenta attenderit, eaque cum ipſis Weſſeli ſcriptis contenderit, ſalva veritate Viro Docto queat adſtipulari; Quod tamen quo minus hic demonſtremus, inſtituti vetat ratio, ut nunc ſolummodo ad Illuſtris SECKENDORFII Hiſtoriam Lutheraniſmi L. 1. §. cxxxiii. fol. 227. &ſq. provocemus, qui jam ea, quæ ab auctore memorato afferuntur, priusquam allata erant, ſolidè ſatis non præoccupavit ſolùm, ſed & refutavit:

(b) vid. Vit. Prof. Groningan. p. 18.

bat, ex ſcriptis ipſius & aliorum de iis teſtimoniis bona fide depromta, (a) Ea fere hæc ſunt.

„ Canonem ſive regulam fidei & religionis unicum eſſe *Ver-
„ bum Dei* Scripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum;
„ Non autem *Traditiones Eccleſiæ*, Canones Synodorum, aut
„ ſcripta Patrum. Authoritatem Verbi ex dignitate Evangelii
„ ſive ipſius Verbi, *non ab Authoritate Eccleſiæ pendere.* Licet
„ illa miniſtra ſit & magiſtra ad fidem. Dogmata Eccleſiæ ea
„ tantum recipienda, quæ cum Verbo hoc conſentiunt. Chri-
„ ſtum *ſolum eſſe Mediatorem* noſtrum apud Deum, non Angelos
„ Sanctosve defunctos. Chriſti *juſtitiam imputari* & donari no-
„ bis per fidem, absque operibus: Nec poſſe quenquam ſuis
„ meritis juſtificari. Doctrinam de *Satisfactionibus propriis* eſſe
„ falſam, blasphemam & deſperationis magiſtrum. Multipli-
„ cem eamque horrendam profanationem S. Euchariſtiæ eſſe,
„ quæ in *Miſſa* quotidie pariatur. *Indulgentias* eſſe Simoniacas
„ nundinationes. *Purgatorium* vafrum commentum fiſco curiæ
„ Romanæ locupletando: Orationes *pro defunctis* inanes. Con-
„ jugium etiam *ordini ſacro* conceſſum eſſe jure divino. Nec
„ voto perpetui cœlibatus teneri, qui donum continentiæ non
„ habent. Papam & Prælatos eſſe ipſiſſimos *Antichriſtos*, quo-
„ ties verbo & pietati contraria ſanciant. Nullum eſſe prima-
„ tum Papæ, nec unum aliquem Inſpectorem totius Catholicæ
„ Eccleſiæ. Papæ nec in hominum conſcientias, neque in re-
„ gna mundi quicquam juris competere. Nihil nocentius eſſe
„ rebus Eccleſiæ, quam *nimias* ejus *opes*, & nihil corruptius
„ moribus ipſorum Eccleſiaſticorum.„ §. XXV.

(a) vid. Vit. Profeſſor. Groning. pag. 21. Exhibentur quoque ex Weſſelii farragine excerpta quædam in Relat. Innoc. A. 1707. p. 213. digna quæ hic legantur. *Utrobique fides juſtificat non ex merito credentis, ſed ex propoſito & acceptatione Dei. Poteſt ſummus Prælatus* (Papa) *errare. Plerique ſummorum Pontificum peſtilenter erraverunt. Unitas Eccleſiæ, conſiſtit in unitate fidei, non in unitate directoris Petri vel Succeſſoris Veri Chriſtiani inveniuntur, qui neſciunt Romam. Valde in ambiguo fluctuaret fides noſtra, ſi Papæ credendum, qui ipſemet ſæpe errat, uti ex decretalibus convinci poteſt. Nemo mortalium novit, qualis ille ignis, qui uniuscujusque opus probabit. Tropica enim locutio eſt de igne Unitas Eccleſiæ ſub uno Papa tantum accidentalis eſt, adeò ut non ſit neceſſario.*

§. XXV. Hæc enim atque talia plura ita esse comparata unusquisque videt omnia, ut si Wesselii judicio res confecta fuisset, jam ante Zwinglium & Lutherum quoque Romanæ Ecclesiæ fuisset suscepta Reformatio; (a) uti sane non à scopo quis deviaret, qui vel abinde *Evangeli restaurati* AURORAM in his nostris regionibus, quæ puriorem imbiberunt doctrinam, derivaret, quam tamen hic nondum agimus causam. Cæterum Reformationem morum saltem, jam in Urbe hac nostra Groningana A. 1469. urgebat *Henricus* STUURMANNUS, (b) monachus Franciscanus, cujus apud gravissimum historicum Ubbonem Emmium recolitur memoria, quique Senatum dicitur adiisse, quæstusque fuisse de *corruptissimis Collegii cucullati moribus*, ostendisseque, reformatione omnino esse opus, quando, Senatus & XXIV. Virorum decreto, disciplina monastica, quam licentia corruperat, ex instituto auctoris arctior est restituta, obsequium à cucullatis promissum, habitus, quo solent uti regulæ observantes, iis datus, mendicandi institutum in usum reductum, procuratores & Εφοροι collegio dati ex civili ordine, qui disciplinæ firmamento essent, *Gosvinus Dulckius*, *Johannes Rengerus Scafferanus*, *Nicolaus Sculto*, *Nicolaus Alenius*. Nequitia Monastica aliquandiu compressa &c.

Sed &, quod ipsam adtinet Doctrinam, & illam cumprimis de Indulgentiis, relatum inter Testes veritatis legimus sub principium Seculi XVI. ex monasterio nostro Groningano monachum quendam Minoritam, grandem admodum natu, nomine TILEMANNUM: (c) Is cuidam civi, nomine *Hans Ludeke*, in confessione querenti, suam conscientiam nescio quibus hominum traditionibus implicatam teneri: respondit: „Multa esse, quæ de „ea materia dici oporteret, sed non esse liberum. Maximum „enim esse periculum veritatem dicenti. Sed tamen eum bre-

„viter

(a) Quanti Wesselum fecerit ERASMUS ex eo patet, quod ad fratres Germ. inf. & Frisiæ Orientalis scriberet, is ita inter alia. *D. Wesselus multa habet cum Luthero communia, sed quanto Christianius ac modestius ille proponit sua dogmata, quam istorum plerique faciunt?*

(b) vid UBBO EMM. Rerum Frisicar. Lib. XXVI. fol. 396.

(c) vid. FLAC. Catal. test. Verit. L. XIX. p. 903. 904.

„ viter jam ſic rem accipere debere. Chriſtum pro nobis eſſe „ mortuum, eum ſolum eſſe noſtrum Servatorem, in eum ſo- „ lum fidendum, reliqua omnia, ut indulgentias, & ſimilia, „ eſſe meras nugas, ideoque non curandas.„ Similia & aliis in confeſſione dixit: dicturus haud dubie & ea, & alia multo plura, ſi per tyrannidem Anti-chriſti, ejusque ſatellitum, qui veritatem oppreſſam ſepultamque tenebant, licuiſſet; Fuitque is procul dubio idem, *Tilemannus Spengerberg*, (a) qui filios & vicinos compellaſſe refertur, dicendo: „ Brevi eam religionem „ quæ tum vigebat, in ſummum venturam contemtum, tum „ eos viſuros, ſacerdotes & monachos, ob malitiam, avaritiam, „ odia, & fœditates, ejectos ex Templis & Monaſteriis diſcur- „ rere, & aliam veram tum religionem fore inſtaurandam: „ Non enim patietur Deus corruptiſſimos horum hominum mores, „ præſertim cum vix unicum verbum Evangelii doceant, & „ præterea vitam quolibet etiam Ethnico indignam ducant.„

§. XXVI. Et quis neſcit, quod in ipſa Italia, cum alii, tum *Hieronymus* SAVONAROLA (b) Ferrarienſis, perditiſſimam Curiæ Romanæ malitiam vivide ſatis depinxerit, atque *Romam Babylonis ſimilem* eſſe, multis ipſi adſtipulantibus, diſerte aſſeveraverit? Et fuiſſe eum in his ſimilibusque Veritatis Teſtem, dubium quidem eſt nullum, quamvis & in aliis, ſuperſtitionibus nimium quantum ipſe fuerit immerſus, uti quod anxie *Tranſſubſtantiationis portentum* defenderit, atque etiam *pro cultu Imaginum* & *Sanctorum* ſe præbuerit cauſidicum, ex ejus ſcriptis colligitur. (c) Cæterum, quod ad res ejus geſtas, peculiari Libro eum defendit *Joh. Franc.* PICUS Comes MIRANDULANUS, ejus ſeculi Phænix. Prouti eum cordatiores omnes inter

(a) De quo MORNÆUS in Myſterio Iniquit. fol. 609.

(b) Extant de SAVONAROLÆ rebus Diſſertationes binæ Cl. BUDDÆI in Parergis Hiſtorico-Criticis, lectu digniſſimæ, quarum *altera* eundem incuſat magis, artiumque tyrannicarum in Republica Florentina exercitarum reum facit, *altera* vero prorſus etiam excuſat, & quam inique fuerit habitus, luculentis indiciis manifeſtum facit.

(c) vid. SAVONAROL. de Veritate fidei Lib. III. c. 17. apud HOTTING. H. E. Sec. XV. p. 980. 1.

inter ipsos Pontificios, COMINÆUS, FICINUS, GUICCIARDINUS, aliique, debitis exornant laudibus, eundemque licet A. 1498. à Curiæ Romanæ Inquisitoribus flammis addictum, singulari tamen exornavit epitaphio, *M. Ant.* FLAMINIUS, egregius Poëta, atque corruptionis Ecclesiæ Romanæ testis fidissimus.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, pascitur artus
Religio flevit, dilaniata comas.
Flevit, & O! dixit crudeles parcite flammæ,
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

Celebratur etiam, *Hieronymi* hujus responsum *Philippo Cominæo* datum, cum de Caroli VIII. Regis reditu ex Italia in Galliam eum consuluisset; immitia enim Regi fata prædixit, *quia officio suo in Italia* (quam victrici terruerat partimque subegerat exercitu) *non satisfecisset, nec statum Ecclesiasticum in ordinem reposuisset*, (a) (pour ne s'etre bien acquite à la reformation de l'Eglise, comme il devoit.)

§. XXVII. Et, quidni, huc egregium retulerimus, ipsius illius modo laudati J. F. PICI Comitis MIRANDULANI Testimonium, de Corruptione Ecclesiæ Romanæ, in ipso Concilio Romano, quod in *Lateranis* ædibus coegerat post Julium II. Leo X. publice datum, habita & typis exscripta gravissima *de moribus Ecclesiæ reformandis* Oratione, cujus compendium ex authore Paralipomenon Chronici Urspergensis ad A. C. 1517. excerpere (b) juvabit, sic enim ille: „ Et cum antea sæpenumero „ sermo habitus de statuendis, legibus, ipse de legum custodia, „ contra luxum, libidinem, avaritiam, pro pietate, justitia, „ cæterisque virtutibus differit; Conquerens, quod multi Prin- „ cipes priscam simplicitatem in astutiam; castitatem, in nequitiam, liberalitatem & parsimoniam, in luxum & avaritiam „ con-

(a) Vid. Memoires de Phil. de COMMINÈS L. VIII c. 3. fol. 282. & WOLF. in Memorabil. Tom. 1. f. 927. ap. Seckendorf p 7.
(b) vid. ad Chron. *Abbatis Ursperg.* paralip. fol. 469. edit. Argentor. 1537 fol.

„ converterunt; Apud plerosque Religionis primores, ad quo-
„ rum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset,
„ aut nullus aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi
„ ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia sit: justi-
„ tia vel in odium, vel in gratiam declinavit: pietas (NB.) in
„ superstitionem penè procubuit, virtus vitio vertitur, vitia
„ loco virtutum honorari solent. Sacras ædes & templa lenoni-
„ bus & catamytis commissa, nefariis lupis optimi pastoris ovi-
„ lia demandata. Sanguine Christi redemtos non debere debi-
„ litari in plumis. Quid plumarum, inquit, feci mentionem,
„ & scortorum præterii catervas, & greges exoletorum, &
„ coëmta, & divendita sacrificia? Hortatur Leonem X. ut
„ luxum cohibeat, cujuscunque ordinis, modum ponat ambi-
„ tioni, compescat indomitos & effrenatos libidinis obscœnæ
„ furores, suspectis sacerdotum, quod & legibus Ecclesiæ cau-
„ tum est, contuberniis, frena constituat, ut piorum virorum
„ patrimonia in bonos usus dispertiantur, ne amplius ab impu-
„ ris helluonibus, ab omnium scelerum gurgitibus absorbeantur.
„ Terret Leonem, exemplo Heli, gravissimè hic punitus à
„ Deo, qui non animadvertit in liberos: ii tamen dormiebant
„ cum mulieribus; nostra tempestate fœminæ abiguntur ad eo-
„ rum libidines explendas, & meritorii pueri à parentibus ac-
„ commodantur. A sacerdotibus petit vitæ innocentiam, &
„ morum disciplinam, non exactissimam illam quidem & præ-
„ cellentissimam, sed mediocrem. Non petit, ut instar Hie-
„ ronymi saxo pectus identidem verberent, sed nec ut meretri-
„ tricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas hydaspeis
„ gemmis exornent. Nec postulat, ut Hilarionis inediæ assuef-
„ cant, sed ne sybaritarum cœnas æmulentur, aut superent.
„ Nec efflagitat, ut in spinis & nive volutentur, more Fran-
„ cisci & Benedicti, sed cum mollem cygnorum plumam in-
„ genti pecunia mereantur, aut redimendis captivis, aut virgi-
„ nibus nuptui tradendis, jure optimo dedicata, id planè dam-
„ nat. Monet, Martini exemplo, nudis vestes tribuendas po-
„ tius, quam coccineis atque purpureis pannis cooperienda ju-
„ menta. Illius maximè custodiâ legis consulat Pontifex, qua

G „ san-

„ sanctissimè cavetur, ne multa ab uno sacerdotia, quibus an-
„ nexa sit animarum cura, possideantur. *Dispensatio*, quam Bern-
„ hardus rectè vocavit *dissipationem*, effecit, ut jam non multa,
„ non plura, sed innumera teneant multi, qui ne Diaconi qui-
„ dem officio mereantur defungi. Tandem in Epilogo com-
„ monet Leonem Pontificem Romanum, ubi edomuerit pessi-
„ mæ vitæ monstra, vel extinxerit, ne postea repellulunt, ad-
„ hibenda erit legum cautio, & severior aliquantò disciplina.
„ Non in vestibus modò & sumtibus, sed in studiis sacræ Lin-
„ guæ utriusque Testamenti recognoscendæ, & cum antiquis
„ & castigatis primæ originis exemplaribus conferendæ: solem-
„ nes ceremoniæ de quibus fuere olim quæpiam difficultates,
„ prioribus oblatæ Synodis, statuendæ firmandæque sunt. Quo-
„ tidianæ preces redigendæ sunt in statum, & probatum, &
„ ordinatum ordinem, & veræ Historiæ ab Apocryphis magis
„ segregandæ. Præscribenda Principibus viris officia, ut sce-
„ lerata illa & Reipublicæ deletrix opinio, licere quæ placeant,
„ & à vulgi animis omnino amoveatur & penitus exulet. A
„ diuturnis dissensionibus tandem quiescant, daturi operam eis
„ officiis, quæ mortales evehunt ad immortalitatem. „ Ex his
enim, similibusque innumeris testimoniis id colligitur, quam
non Reformatores nostri vel primi fuerint, vel soli, qui Ro-
manæ Ecclesiæ perditissima detexerunt ulcera, quippe quæ
ita quibusvis viris cordatis erant nota & perspecta, ut nostri so-
lummodò id maxime seriò egerint, ut cum instaret visitationis
hora, atque emendationis tempus, res ipsa cum successu susci-
peretur, atque ad optatum finem deduceretur.

§. XXVIII. Superest nunc, ut paucis verbis varia quoque
quæ Reformationem veluti portendisse referuntur, vel præludia
vel præsagia, digito tangamus, quod equidem ab hoc loco non
esse alienum arbitramur. Quanquam enim, nec auguria captent
amplius viri prudentes, nec male fidæ plurimorum relationi,
sagaciorum innitatur fides, id tamen inde, nequicquam in alia
omnia euntibus adversariis, rite colligetur, fuisse illud, (cum
horum quam plurima, tum temporis, omnium ore, inter ipsos
etiam Pontificios, priusquam Reformationis negotium quoque
suscep-

susceptum esset, fuerint vulgata & promulgata) constans omnium bonorum Votum, *Reformationem Ecclesiæ Romanæ summopere necessariam esse, eandemque non aliter quam* per ipsam Dei manum *nobis affulsuram;* Quando enim à sat gravibus relatum legimus Historicis, (a) de JOHANNE HUSSO, cum ad rogum jam ex ferali Constantiensis Concilii decreto deductus esset, quod tum paulo ante mortem, ad septentriones conversus dixerit: *Nunc anserem* (*Hussum, ita enim* Lingua Bohemica anser vocatur) *assatis, post centum annos olor sive cygnus* (qui *Lutter* Bohemice vocari dicitur) *venturus est, quem non poteritis assare:* Aut, quando in ipso Seculo XV. Reformationem antegresso, cusos legimus nummos in magnorum Principum cimeliarchiis (b) adhuc conspiciendos, quorum altera pars, ipsam *Joh. Hussi* exhibet imaginem, cum illa inscriptione: *Credo unam esse Ecclesiam sanctam Catholicam*, cum aversa pars *Ipsum Hussum palo affixum sistat*, & rogo impositum, cum illa inscriptione interiore, *Johannes Hus anno à Christo nato* 1415. *condemnatur*, sed cum inscriptione marginali,

G 2 *Cen-*


(a) Vix tamen credimus hæc ita verè contigisse, ut potius hanc vocem, exoriente Luthero atque Reformationem urgente, fuisse judicemus excogitatam, atque ab ipso BUGENHAGIO in exsequiis Lutheri, teste Seckendorfio L. III. fol. 648. primò usurpatam; Ansam illi fictioni præbente, ipsa *Joh. Hussi* phrasi, qua non semel in Epistolis *se anserem* imbecillem appellabat & timidum, nec à se multum in Ecclesiam redundari posse incrementi, arguebat, quin potius Deum *alias, se majores aves* suscitaturum esse innuebat, uti sic v. gr. in Ep. VI. fol. 96. ita: *Sed quia anser, animal cicur, avis domestica, suprema volatu suo non pertingens eorum laqueos rupit, nihilominus aliæ aves, quæ verbo Dei & vita volatu suo alta petunt, eorum invidias conterent* & in eadem Epistola: *Hæc eadem* inquit. *veritas pro uno Ansere infirmo & debili, multos Falcones & Aquilas, quæ acie oculorum alias aves superant, Pragam misit, hæ alte, gratia Dei volitant, & Christo Jesu alias aves rapiunt, qui illos corroborabit, & omnes fideles suos confirmabit. Nam dicit: Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Conf. L'ENFANT *Hist. de Concile de Const.* L. III. pag. 428.

(b) Vid. L'ENFANT L. c. p. 429. & Lib. IV. p. 564. qui hunc ipsum Nummum in potentissimi Borussiæ Regis κειμηλίοις conspici tradit, simulque ex judicio Doctissimi SCHOTTI, qui Regis tum erat Antiquarius, ob-

Centum revolutis annis Deo respondebitis & mihi; Tum merito exinde colligimus, præsago animo pleniorem, quam Hussus procurare poterat, & desideratam ab omnibus, & exspectatam fuisse Reformationem: Quod ipsum & ex HIERONYMI PRAGENSIS voce cygnea, si fides est scriptoribus de ultimo ejus supplicio, (a) indigitatum legimus. Eum scilicet, cum mortem cerneret propinquam, libere adversarios suos allocutum fuisse, ac vaticinatum esse: *Vos statuistis nunc me innocentem ad pœnam rapere, at ego post meum obitum vestris conscientiis aculeos & scrupulos relinquo, atque appello ad Celsissimum simul & æquissimum Judicem Deum omnipotentem, ut coram eo centum annis elapsis respondeatis mihi:* Quomodo WESSELUS Groninganus hæc tempora provido præsagiverit animo, modo relatum est §. XXIV.

De SEBASTIANO BRANDTIO (b) Navis stultiferorum Auctore, atque singulari Argentoratensium Seculo XV. ornamento, *instare Reformationem* prædicente, jam non loquimur, nec

observat, eum esse Seculo XV. atque ita ante Lutheri & Zwinglii tempora excusum. Quod ipsum non minus afferit Catholicissimus alioqui Historicus PETRUS MATTHIAS in *Historiarum Henrici* IV. Tom. II. Lib. V. p. m. 46. vide Sculteti Annales, p. 7.



(a) v. CAMERAR. Histor. narr. frat. Bohemor. p. 236. Conf. LOESCHER. Document. Reform. T. 1. p. 148. seq.

(b) De *Sebast. Brandt* vid. *Conr.* GESNERUS in Bibliotheca universali fol. 592. 593. conf. MORNÆ Myster. Iniquit. fol. 621. 622.

nec de *Ludolpho* CASTRIKO, (a) aut de CATHARINA SENENSI, *Dante* ALIGHERIO, *Johanne* LICHTENBERGIO aut *Joh. Geilero* KEYSERBERGIO, (b) qui sub finem Seculi xv. Argentorati florebat, atque non anhelabat, sed & prædicebat ipsam plus semel Ecclesiæ emendationem.

§. XXIX. Nam & *Johannem* HILTENUM, Monachum Isenacensem, ante cœptam à Luthero reformationem, ipsum Annum 1516. quo Zwinglius omnium primus Reformare Ecclesiam aggressus est, prædixisse, in quo futura sit ingens Monachorum Reformatio, & initium inclinantis potestatis Pontificiæ, testis est ex ipsa Hilteni (c) manu MELANCHTON, (d) cui adstipulatur, & in Epistola ad Lutherum MYCONIUS, (e) & ipse LUTHERUS; (f) veluti hæc relatio in Symbolicos Ecclesiæ

(a) conf. MORNÆ. l. c. fol. 622.

(b) conf. de *Joh. Geilero*, quæ deinceps tradentur, ubi eundem in Reformatorum numero recensemus.

(c) Ulteriorem de Hilteno notitiam debemus *Melchiori* ADAMI qui in *vitis Theologorum* p. 2. & 3. multa recitat ex ipsius Hilteni scriptis, quæ ex *Abrahami Sculteti* Bibliotheca inspicienda acceperat. Et extant G. H. GOETZII Observationes Historico-Theologicæ, de *Joh. Hilteno* Lubecæ 1706 & 1717.

(d) v. Epist. *Melanchth.* ad Mathesium A. 1552. dat. in Volum. Epist. Melanchth. L. II. ep. 65. fol. 259. edit. Londin. cujus hæc sunt verba: *Fuit Isenaci Johannes Hilten Franciscanus, cujus vidi enarrationem Danielis scriptam ipsius manu. Ibi vaticinatus est, anno M. D. XVI. initium fore inclinationis Pontificiæ potentiæ, & deinceps paulatim magis ruituram esse, nec futuram esse restitutionem Pontificiæ authoritatis.* Conf. Apolog. Confess. August. quæ Melanchtonem habet authorem, in Capitis XIII. exordio p. 276. veluti & in *Melanchtonis* sermonibus, quos sub *Collectaneorum* titulo edidit Jo. MANLIUS p 76. & 258. hujus Hilteni fit mentio.

(e) MYCONII Epistolam Gothæ 1519. ad Lutherum datam ex MSS. edidit Cel. HEUMANNUS in Parergis Gottingens. P. III. p. 9. 10. 11. ubi inter alia de hoc *Ilteno* (ita enim verius & rectius ejus scribi nomen observat Heumannus l. c. p. 2) *is Romam aliquoties interpretatur Apocalypticam illam esse meretricem, & desiturum illud regnum circa annum Christi 1514. ut est in illius rotulis cernere.*

(f) *Lutherus* illum *Apologiæ* locum citat in tractatu de *Conciliis* A. 1539. edito, qui extat Tom. VII. Altenb. fol. 273. conf. *Joh.* MATHESII Concion, I. p. 4. & Concion. XIV. p. 198.

clesiæ Lutheranæ Libros est relata, quippe quæ ipsi Augustanæ Confessionis Apologiæ inserta erat à Melanchthone.

§. XXX. Neque verò *Andream* PROLEM Lipsiensem Virum Doctum hic præterire licebit & Reformationis cupidissimum, qui, cum Theologiæ Doctor esset & Augustinianorum Provincialis, tum sæpe in dicendo his dicitur usus fuisse vocibus: (a) *O Fratres! res Christiana opus habet forti & magna emendatione, quam quidem jam prope instare video.* Obiit verò is Anno ejus seculi octavo, atque adeo, ante quam illam quam prævidebat instantem Reformationem meditaretur Lutherus; Eum magni nominis magnæque fidei Virum fuisse, atque à multis pro Sancto habitum, ipse Lutherus (b) testatur: Quid? quod, *uno omnium illo tempore ferretur ore*, BAPTISTA illo MANTUANO (c) teste, quendam Prophetam brevi nasciturum, qui magnam morum & legum varietatem inducat.

§. XXXI. De *Friderico* MYCONIO, (d) quem Deus Thuringiæ suscitavit Evangelistam, quique cum antehac Papisticam doctrinam populo propinasset, deinceps verò ad Evangelium conversus, etiam fratres confirmare allaboravit, quoque refertur, (e) quod singulari monitus somnio, eoque iterato, totum hoc Reformationis negotium præsagiverit. Erat is monasterium ingressus A. 1510. ipse filius unicus inconsultis suis Parentibus. „Tum „vero per somnium visus est, sibi ingredi vastissimam eremum, „&

(a) vid. ADAMI Vit. Theologor. MORNÆ Myster. Iniquit. fol. 609. 610 SECKENDORF. Histor. Lutheran. L. 1. § LXXIII. p. 113.

(b) Luther. Oper. Altenb. Germ. Tom. 1. p. 526. *Proles ist grösses nahmens und glaubens gewesen, auch von vielen voor heilig gehalten worden.*

(c) Qui hæc in Lib. III. *de Patientia* c. 30. scripsit A. 1497. quod ipsemet Mantuamus testatur ejusdem Libri Cap. 29.

(d) vid. LOESCHER. Document. ad Hist. Reform. Lutheri Tom. 1. p. 158. 159. & SCULTET. Annal. p. 19. itemque *Melch.* ADAMI in Vit. Theologor. Germ. fol. 83.

(e) Quin imò cum ipse id retulerit, præcipuè in singulari ad P. EBERUM libello Epistolico. *de primordiis emendatæ religionis*, quem ex Annalibus P Jenitii Annæbergensis cum subjunxerit tractatui de Vita Tezelii J. HECHTIUS, tum eundem propter rei memoriam inter Documenta huic Operi annexa Num. IV. retulimus.

„ & in locis asperis, præruptisque oberrare, nunc ascendendo,
„ nunc descendendo defatigari, ut fere animam ageret. Interea
„ dum ita hæret; accedit Vir staturæ mediocris, fronte serena,
„ sed calva, capillo & barba promissa, chlamyde rubra amictus,
„ cum nodo in sinistra scapula, qualem viderat Paulum Apo-
„ stolum pingi. Hic blande eum compellans, surge, inquit,
„ & me sequere, res tuæ meliore erunt loco. Quem dum per
„ tesqua viarum subsequitur; vallis amœnissima, & in ea pra-
„ tum viridissimum, in prato rivuli leni susurro decurrentes, ap-
„ parent, sed ex iis aquam haurire ductor prohibet: Mox ad
„ fontem marmoreum pervenitur, e quo aqua copiose manabat.
„ Hic dum geniculando haurire aquam cupit, imaginem Christi
„ in cruce pendentis conspicatur, è cujus vulneribus vis illa
„ aquarum omnis scaturiebat. Eum in fontem Dux viæ My-
„ conium sitibundum injicit, ita ut capite Christi pectus con-
„ tingeret, & potu suavissime reficeretur. Extractus inde cum
„ Duce suo pergit. Hic paululum progressis campus se aperit
„ latissimus, maturis frugibus plenus, quas dux demetere jubet.
„ Myconius se excusare, laboribusque ejusmodi nunquam ad-
„ suetum dicere: cui ille, quod nescis, docebere. Propius ubi
„ accesserunt, videt messorem unum, tanto conatu fruges de-
„ metentem, quasi solus totum agrum demetere vellet. Huic
„ dux viæ jubet se adjungere, & simul falcem arripit, qua ubi
„ manipulum unum atque alterum resecuisset, sic & tibi, (in-
„ quit ad Myconium) faciendum. Aggreditur ergo opus, ubi
„ cum Ductor ille vidisset, non solum culmos, sed etiam infe-
„ riorem partem præscindentem, Domino meo, inquit, non
„ opus est stramine; modo aristæ in horrea colligantur. Inde
„ cum ad colliculum devenisset Myconius, circumlustrat cam-
„ pum, & ejus latitudinem miratus, quærit, quantum, tem-
„ poris requiratur ad fruges omnes demetendas, in tanto ope-
„ rariorum paucitate? Cui ductor, ante brumam ultima manus
„ imponenda est, ut cepisti, perge strenue, Dominus messis
„ plures mittet operarios, & statim adsunt plures, qui & ipsi
„ manus admovent. Postea fessi labore pone rivulum consident,
„ panes, pisces assasque carnes promunt, quibus illi suaviter ve-
„ scun-

„ scuntur. Interea dux se subducit. Myconius viribus exhau-
„ stus, in cubiculum infertur, cui subito liberator adstat, &
„ cum eo alius, habitu & vultu ferè Apostolico, uti Andreas
„ & Philippus pingi solent, hi cum Myconio placide collo-
„ quuntur. Quibus dum attente auscultat, iterum imaginem
„ crucifixi conspicit, macie plane extenuatam. Hic liberator
„ ille pectus Myconii tangens: Huic oportet, inquit, te con-
„ formem fieri; è tactu Myconius evigilat, quid somnium por-
„ tendat, multum sollicitus, quod tamen fraticellis suis indicare
„ ausus non fuit, sed eventus deinde perspicuè explicavit.„
De RODOLPHO LANGIO, nobili Westphalo, & Canonico Monasteriensi, sapientissimo eodem longeque doctissimo eruditionis literariæ instauratore, refertur, eum quum paulo ante mortem suam, quam A. 1519. octuagenario major obiit, Lutheri propositiones legisset, futurum non mente solùm providisse sed & prædixisse id, quod paulo post evenit, hilaritatis ac lætitiæ plenam hanc emittens vocem: *Jam instare tempus, ut tenebræ ex Ecclesiis & scholis extirpentur, & redeat puritas in Ecclesias & munditiis Latini sermonis in scholas.* (a) Extat ea de re *Hermanni Hamelmanni*, relatio, quam non uberius enarramus.

§. XXXII. Ecquid verò dicemus, de FRIDERICI *Electoris Saxoniæ* ac principis sapientissimi, Somnio, quod is habuisse dicitur, Entheato, eo ipso, quo Lutherus omnium primo adversus indulgentias disputaturus erat tempore? quod hunc in modum nobis in *Georgii Spalatini vita*, præ reliquis enarrat *Caspar* SCHLEGELIUS, Vir Clarissimus: Scilicet (b) videt (ita se habet Historiola illa) per somnum A. 1517. Fridericus, postquam de cultu *omnibus sanctis proximo die* rite præstando meditatus obdormivisset, monachum quendam decora facie filium Pauli Apostoli

(a) vid. *J. Jac* BURCKHARDI German. Eques Humanitatis propugnator, qui præmissus est Vitæ H. Buschii ab eodem editæ pag. 75.

(b) Vid. C. H. HEUMANNI *Lutheri Apocalypt.* Diss. IV. quæ tota hanc fabulam refellit, quippe *cujus* coævi scriptores nulli meminerunt, *quam* gravissimi Historici Seculi sequentis XVII. silentio præterierunt, & *quam* omnium primus fide homiletica narravit *Mathias Hoëus* Theologus circa superioris seculi principium, Lutheranus.

ſtoli γνήσιον, à Deo ad ſe miſſum, omnibus cinctum Sanctis, qui teſtes eſſent, nullam ſubeſſe fraudem, ſed Monachum illum vere Dei legatum eſſe. Volebat ille Monachus, libertatem ſibi ab Electore permitti, templi arcis Witebergenſis januæ inſcribendi. Hic per Cancellarium reſpondit, per ſe licere, ut quicquid Deus ipſi mandaverit, perſcribat. Quo audito ſtatim abiit *Monachus*, ac tam grandibus uſus literis ſcripſit, ut ſcripturam hanc etiam Sweidnici (quod oppidum 4 milliaribus Witeberga diſtat) Elector cognoſceret. Utebatur enim monachus tantæ magnitudinis ac longitudinis calamo, ut is ***Romam usque*** pertingeret, ac per ***Leonis*** cujusdam utramque transadactus aurem, ipſius ***Papæ triplicatam coronam*** feriret, ac tam vehementer feriret, ***ut nutaret illa*** jamjam humi prolapſura. Quo facto, ſtrenue occurrit Elector, una cum fratre Johanne, coronam illam, ne decideret, ſuſtentaturus. Inter hæc tantus Principem inceſſebat terror, ut evigilaret. Brevi tamen iterum ſopitus, rurſus vidit ***ſcribentem*** illum ***monachum***, ac ***leonem***, de quo modo diximus, audivit tam horribiles edentem rugitus, ut non omnis ſolum Roma conflueret, ſed Imperii quoque Romano-Germanici Ordines concurrerent: ad quos converſus Papa, majorem in modum petiit, ut temeritatem hujus cucullati coërceant, ac potiſſimum ***Saxoniæ Electorem*** moneant, in cujus quippe regione verſetur ille ***monachus***. Hoc quoque ſomnio excuſſo, fuſis ad Deum precibus, tertium obdormivit Elector optimus. Hic oblata ipſi fuit ſpecies plerorumque ***Imperii Ordinum*** diu cum ***penna monachi*** luctantium, eamque confringere annitentium, ſed nequicquam. Nam quo majori nixu id conabantur, eo majores fiebant vires calami. Tandem laſſitudine confecti diſcedebant, magiæ ſuſpectum habentes ſcriptorem monachum. Cæterum Elector noſter rogari eum juſſit, undenam hunc acceperit calamum, & quæ roboris firmitatisque ejus cauſa ſit. Ille verò reſpondit, ***hunc calamum*** decerptum eſſe ex ***tergo anſeris cujusdam Bohemici centum annos nati:*** ſe dono eum accepiſſe ***à veteri magiſtro ſuo***, à quo rogatus ſit, ut tam præſtantis naturæ calamum in ipſius memoriam aſſervaret, robur ejus inde proficiſci, quod ***anima ipſi*** (ita Germanica lingua vocatur id, quod è pennis ex-

trahitur) *non posset eripi.* Brevi post percrebuit rumor, *Witebergæ plures* ejusdem generis *pennas* ex isto calamo prognatas esse, multosque eruditos desiderio affici, potiendi aliquo tantæ raritatis calamo. Cupiebat Elector diutius sermonem habere cum illo monacho, sed interpellante quietem vigilia, cum somno monachum ipsum videre desiit.

Enimvero, hæc adeò præter vaticiniorum aut somniorum præsagientium morem, nimis exacte & luculenter *cum* enarrentur, longeque omnem somniorum vel in Sacris commemoratorum claritatem exsuperent, *nec* ullum ejus narrationis antiquum afferatur documentum, quod satis comprobatum sit, aut criticum sustinere queat examen, *cumque* ii Scriptores gravissimi, quorum maxime intererat, quique hanc rem, si vere contigisset, aut pro vera fuisset agnita, ita nescire non poterant, ut si scienter præterivissent, maximopere fuissent culpandi, eam tamen plane non commemorent, altoque potius supprimant silentio, eandem merito inter ea referimus, (a) quibus illud Grotii applicari debet: *Quod non narratur, cum narrari maxime adtineat, id nec factum censendum est;* (b) Ut is omnium minime à veritate abfuisse censeri debeat, qui felici conjectura est hariolatus, hanc fabulam, quæ, sive per piam fraudem, sive per piam credulitatem in veram transmutata legitur historiam, elegantissimæ pictorum

(a) Non ignoramus, quam omnem moverint alii quidam lapidem, ne fabularum numero hæc inscriberetur narratio, referentes *Antonii* cujusdam *Musæ*, Pastoris Ecclesiæ Rochlizensis authoritatem, qui à *Georgio Spalatino* Electoris consiliario Ecclesiastico & Pastore aulico, eam acceperit, atque peculiari sed privato scripto eandem consignaverit, unde deinceps ea fuerit propagata ad *Schoenbachium* quendam, *Matthiam Hoeum*, *Joh. Olearium*, *Dannhauerum*, *Spenerum*, *Schlegelium*, *Rothium*, *Tenzelium* &sim. prouti vel post Cel. HEUMANNI Dissertationem editam, huic fabulæ adstipulari non est veritus Doctiss. LOESCHERUS in Document. ad Hist. Reformationis Tom. 1. c. XXI. p 463-466. Sed, qui posthabita superstitione, verum indagant, remque facti non ex suo pensitant desiderio, sed ex dignis fide documentis, facile persuadebuntur, ea quæ à Cel. *Heumanno* sunt tradita, nequicquam hisce authoritatibus longè serioribus imminui.

(b) v. *Heumanni* Diss cit. p. 113, 114. ubi Grotii illud ex L. 1. de jure belli & pacis citatur cap. 2. §. 7. n. 10.

ctorum germanorum fictioni, qua calamum Lutheri pontificiæ mitræ deturbandæ admotum effinxerunt, suam debere Originem, uti vel in hunc diem non desunt exemplaria *Bibliorum Germanicorum* Witebergæ editorum, in quibus *Epistola Pauli ad Romanos præfixus* conspicitur *Lutherus*, Paulinæ de fide doctrinæ fidelissimus præco, *calamum tenens manu*, eoque feriens *Papam* juxtaque *Leonem;* Quo *Johannes* MAJOR, Doctissimus ejus ætatis Poëta respicere potuit, hoc disticho (a) in imaginem Lutheri edito:

Lutherus, Decimum confecit strage Leonem.
De clava noli quærere: penna fuit.

§. XXXII. Est vero etiam memorabile prorsus, quod à *Phil.* MELANCHTONE in Orat. funebri in *Johannem* Ducem Saxoniæ relatum (b) legimus, Visum, quod ut tribus recenseatur verbis & reliquis subjungatur dignum esse judicamus, *Fridericum* scil. *Saxoniæ Electorem cum duce fratre Johanne, & nepote Joh. Friderico*, Vinariæ 1517. *in pervigilio natalis Christi ad sacra* frequenti comitatu *iturum*, vidisse *supra arcem*, cœlo sereno, *fulgentem crucem purpuream* satis magnam, & perspicue expressa figura, stetisséque aliquandiu spectatores attonitos. *At Fridericum cum Fratre de religione colloquentem, eo signo futura certamina de doctrina, & domus Saxonicæ pericula portendi vaticinatum fuisse;* Quanquam tamen, vel ita nec fatidico ad id Spiritu instructum fuisse Fridericum, aut veri nominis protulisse vaticinium, credi debeat, cum prudenti satis conjectura, insolito ejusmodi phænomeno, parheliorum vel paraselenarum naturam imitante, perterrefactus, id assequi potuerit, quippe cui jam perspecta satis esse poterant, quæ instabant, (posteaquam semel glaciem perfregerat Lutherus,) hujus causæ fata, quæ doctrinæ Pontificiæ immutationem, suæ vero domui non leves creare poterant molestias.

§. XXXIII. Sed missis præludiis pariter atque præsagiis, quomodo Res ipsa, non sine provido Numine confecta fuerit exponen-

(a) Vid. *Joh.* MAJORIS Liber Poëmatum Witeb. 1576. 8. editus Lit. H. pag. ult.
(b) vid. MELANCHTH. declamat. Tom. III. pag. 110. 111.

nendum nobis atque ex suis deducendum esse videtur principiis. ALEXANDRUM VI. JULIUM II. & LEONEM X. (a) in primordio seculi decimi octavi Pontificalem Romæ sedem, rerum suarum satis securos, nec quidquam minus quam rerum sacrarum Emendationem meditantes, tenuisse, à nobis §. XVI. observatum est. De MAXIMILIANO I. qui Ro. Germanico tum præerat Imperio, LUDOVICO XII. & FRANCISCO I. Galliarum Regibus, itemque de HENRICO VII. & VIII. Regibus Angliæ, jam §. XI. XII. XIII. tribus verbis quædam commemoravimus. *Scotiæ* Rex tum erat JACOBUS V. sed minorennis, sub *Johannis, Ducis Albini*, Proregis tutela primo constitutus, deinceps inde ab A. 1524. regno admotus, usque ad A. 1542. annum emortualem, à quo quod ad *Mariam Filiam*, quam octavo ante ejus mortem die natam, hæredem reliquerat, (b) devolutum sit imperium, satis est notum.

Hispaniam ISABELLA, Castellæ Regina ab A. 1468. tenuit, princeps prudentissima, & FERDINANDUS, qui paternis regnis *Castellam & Legionem* per Isabellæ matrimonium, illique superadditum testamentum, quo Ferdinando Castellæ procuratio legabatur, invito Philippo, (c) Isabellæ genero, ad quem materni regni successio pertinebat, adjecit, armisque sibi per fas nefas subjecit, Regna, *Granatense, Neapolitanum*, & *Navarrenum*, sed & *Indiæ occidentalis*, tunc primum ductu *Christoph. Columbi* Genuensis repertæ, multa primus occupavit, denique, quod Mauros ejecisset, ac ferale Inquisitionis in Hispaniam tribunal induxisset, duobusque hominum concrematis millibus eam veluti dedicasset, *Catholici* titulum primus (d) ab Alexandro VI. obtinuit; Huic A. 1516. defuncto successit CAROLUS, Maximiliani I. ex Philippo Filio nepos, de quo deinceps dicendi dabitur

(a) de LEONE X. deinceps agetur specialius.

(b) vid. BUCHANAN. rer. Scoticar. l. XV. c. 1. p. 508.

(c) THUAN. Historiar. L. 1. cap. 11. fol. 7. edit. noviss.

(d) Et narrat *Alph. de* CASTRO Lib. 1. cont. Hæres. c. XIII. FERDINANDUM etiam Hispanos sub gravissima pœna prohibuisse, *ne quis Scripturam S. in linguas vulgo cognitas transferret*, *aut* ab alliis *translatis uteretur*.

bitur locus. *Lusitaniæ* regno præerat EMANUEL, sub quo *Brasilia* primum detecta, dum in Indiam Orientalem Lusitana Classis navigaret, ab *Americo Vespucio* Florentino, mox accuratius exploranda. Tanta autem videtur populo Lusitanico sub hoc Rege fuisse felicitas, ut ejus tempora *Auream ætatem* dicerent Lusitani, quippe qui longe lateque dominationis suæ fines tum extendebant, quanquam in Judæos sub ejus regimine admodùm gravia decreta, (a) & immania tyrannidos statuta leguntur exempla.

Dani & Sueci uni ad hoc tempus Regi paruerant, nam exstincta veterum Regum stirpe, Regnum suffragiis Senatus Danici ad CHRISTIANUM Comitem Oldenburgicum, hodiernæ familiæ regiæ parentem devenerat, qui & simul *Rex Sueciæ* authoritate Joh. Benedicti Archiepiscopi Upsaliensis constituebatur; Sed cum ab ipsius filiis, cum primis à CHRISTIANO II. sive, ut vulgo dicebatur CHRISTIERNO, Sueci durius haberentur, proprium sibi hi adsciverunt regem, GUSTAVUM, Erici Filium, ex Wasorum familia, à quo reliqui deinceps orti, hæreditario jure, etiam in Fœminas translato, regnum tenuerunt; *Dani* autem atque *Norvagi* eundem illum CHRISTIERNUM deinceps à regali solio cum deturbassent, patruum ejus Christiani I. Filium FRIDERICUM I. hucusque Slesvici Holsatiæque Ducem sibi Regem elegerunt, qui successorem inde ab A. 1533. habuit Filium CHRISTIANUM III. uti Pacis studiosum, ita Eruditæ Pietatis promotorem strenuum.

Hungaria, varios & externos quoque (d) habere reges solita, post mortem Matthiæ Corvini, elegerat sibi ULADISLAUM Poloniæ Regis Filium, & jam Bohemiæ Regem, itidem electum. Qui affinitatem cum Austriacis sibi concilians, liberos suos Maximiliani Nepotibus in matrimonium dedit, atque ita viam munivit Austriacis, ad regnum utrumque cum Moravia & Sile-

 sia

(a) vid. BASNAG. Histor. Judæor. Lib. IX. cap. XXV. §. XI. & seq. fol. 1799. edit. Belg.
(b) v. MEURSIUS in Histor. Danica: THUAN. Hist. L. I. c. XVIII. pag. 33, 34.
(c) v. LOCCENIUS in Tract. de rebus Suecicis.
(d) Sunt verba PERIZONII in Histor. Seculi XVI. p. 5.

ſia ſuam in familiam transferendum, ſicuti & utrumque dein, LUDOVICO filio illius in campis Mohadicis A. 1526. cæſo, ad FERDINANDUM Auſtriacum, cui Uladiſlai filia nupſerat, quique Imperatoris Caroli V. & Frater erat, & in Imperio Germanico ſucceſſor, pervenit. *Polonia* JOHANNES ALBERTUS, Uladiſlai Hungarici Frater, præerat, qui & Regnum fratribus reliquit, *Alexandro*, ac dein SIGISMUNDO, in cujus Filio Sigismundo II. defecit Familia Jagellonica, quæ Poloniam, electivum licet Regnum, per 200 circiter annos tenuerat. Exinde varios, & variarum Gentium Reges natio iſta ſibi adſcivit.

In *Helvetia* ſub ipſo Seculi initio A. 1501. *Baſilea*, (a) & eodem anno *Scaphuſium* (b) fœderi Helvetico acceſſerunt, fuitque primus fœderatus Baſileæ natus, & à Legatis Helvetiorum è baptiſmo ſuſceptus HIERONYMUS FROBENIUS Typographus, *Johannis* FROBENII, Viri eximii & typographi famigeratiſſimi filius.

Belgicam fere omnem cum *Hollandia* & *Zelandia* (c) PHILIPPUS Auſtriacus, Maximiliani I. ex Maria Burgundica filius, & Caroli V. itemque Ferdinandi Parens, à matre dudum defuncta relictam ſibi habebat. Prætendebat quidem jus quoque & vetus in *Friſiam*, ut Comes Hollandiæ, & nuper in *Gelriam* quæſitum, ex pactis Caroli Audacis, Avi ſui, cum Arnoldo Egmondano, primo iſtius Familiæ Duce initis, ſed utraque regio, cum *Ultrajectino*, *Tranſiſalano* & *Groningano* tractu reſervata fuit filio ipſius CAROLO V. qui eas omnes in ſuæ ditionis partem, reliquas fere pactionibus, at *Gelriam* armata vi, coëgit.

§. XXXIV. In *Germania* vero, poſt *Auſtriaco-Cæſaream* Familiam, nulla tum ſplendidior erat *Saxonica*, eademque non ita pridem in lineas *Erneſtinam* & *Albertinam* diviſa; Et Electoratus qui-

(a) v. URSTIS. in Chronico Baſileenſi L. VIII. c. 1. it. WALDKIRCH in E. B H. P. 1. in Append pag. 145. conf. BATTIERII Oratio ſecularis de fœdere à Baſileenſi cum Helvetica gente ante 2 ſecula contracto. A. 1702.

(b) v. *Joſ.* SIMLER de regim. fœderatorum Helveticorum lib. 1. p. 202.

(c) v. PERIZON. ad Sec. XVI. pag 6.

quidem dignitatem primo tempore servabat Ernestina primogenita. Ex qua Principes tres maxime memorabiles hoc Reformationis ævum conspexit. Fratres nempe duos, & unius fratris filium. Major Fratrum FRIDERICUS erat, cognomento *Sapiens*, (a) alter fratrum JOHANNES dictus *Constans*, hujusque Filius JOHANNES FRIDERICUS *Magnanimus* nuncupabatur, cognomentis his, uti videtur, rationem suam trahentibus ex facinoribus, in causa religionis præstitis; Altera stirps Albertina suum habebat GEORGIUM *Barbatum*, Lutheri doctrinæ, cum filiis, quibus ipse tamen superfuit, minus faventem, cui frater deinceps HENRICUS, & huic ejus filii MAURITIUS & AUGUSTUS, successerunt, in quos & Septemviratus deinceps in bello Smalcaldico dignitas ab Ernestina stirpe sublata A. 1548. devoluta est.

Electoralem *Brandenburgicam* Dignitatem (erat enim & hæc in binas tum familias divisa domus, quarum altera *Electoratus* insignia, *Marchicis terris* annexa habebat, altera *Franconicam* hæreditatis portionem possidebat) tum JOACHIMUS I. Nestor dictus, gerebat, cujus frater ALBERTUS Magdeburgensem, Halberstadiensem, quin & deinceps *Moguntinum* regebat Archiepiscopatum, ex eo ipso capite itidem Germaniæ Septemvir, & Ecclesiæ Romanæ Princeps Cardinalis. Pala-

(a) v. HAHN. Hist. sacror. emendator. P 1. c. 11. ubi de statu agit orbis politico circa ævum reformationis. *Friderici* Sapientis, quippe sub cujus regimine ipsa Reformatio Lutheri asylum invenit tutum satis atque præstans, elogium, quod ERASMUS in Epistolis P. 1. n. 12. fol. 559. nobis suppeditat, hic legi meretur: Is ita ad Ge. Spalatinum d 11. Jul. 1520. *Quid enim*, scribit, *in isto Principe non aureum? qui pro magnitudine animi plusquam heroica contempsit ultrò delatum Imperium, qui pro singulari fide & integritate sua nullis præmiis vinci potuit, quo minus ei decerneret Imperium, quem oneri ferendo judicasset unum omnium hujus ætatis Principum maximè idoneum, qui tantum auri vim à nostris oblatum pertinacissimè respuit, qui mira quadam prudentia dexteritateque inaudita ditionem suam ornat ac locupletat, idque nulla finitimorum injuria. Sed omnium potius publico bono: qui nova schola rem Christianam auxit, quam annis perpaucis ex rara frigidaque, omni literarum ac linguarum genere florentissimam reddidit, ea moderatione favens optimis studiis, ut tamen non sit veteris doctrinæ patronis, quod de illo querantur. Ingratissimæ literæ, nisi hujus Herois merita monimentis consecrent nunquam intermorituris.*

Palatinam quod concernit domum, tres illis temporibus florebant lineæ, *Electoralis* nempe, *Simmerensis*, & *Bipontina*, quarum nulla non suas in Reformationis negotio vices habuit. Elector erat LUDOVICUS Pacificus cognominatus, ex cujus fratribus FRIDERICUS II. itidem Sapiens (a) dictus, singularem in Historia Reformationis celebritatem adeptus est, uti is deinceps post Fratris mortem A. 1544. *Electorali* quoque adauctus est *dignitate*. Inter Palatinos autem Comites *Bipontinos* LUDOVICUS est connumerandus cum filio WOLFGANGO, & Fratre RUPERTO sub quibus res Reformata mirum in modum promota fuit.

In pernoscendis amplissimæ *Brunsvico-Luneburgicæ* Familiæ rebus, conducet observasse, in *tres florentes domos* eam tum fuisse divisam, sed ita ut ipsorum Principum in religionem diversa essent studia, diversique effectus: Infensissimus cum primis juratusque Reformationis & Reformatorum, ipsiusque cumprimis Lutheri, hostis erat HENRICUS X. Junior dictus, Dux Brunsvicensis, cujus filius *Julius*, deinceps Academiam condidit *Helmstadiensem* ex suo nomine dictam *Juliam*. ERNESTUS autem, ex adverso Luneburgo-Cellensis, dictus *Pius*, Reformationi jam inde à principio favebat, atque in ipsis Comitiis Augustanis inter reliquos Confessores Principes numerabatur, (b) cujus posteritas hodiedum & in *Guelpherbytana* & in *Hanoverana* domus Principibus Celsissimis est conspicua.

Apud *Hassos* rerum potiebatur PHILIPPUS, itidem ex rebus in causa Religionis potissimum susceptis, dictus *Magnanimus*, idem, qui omnium primus cum Johanne Electore Saxoniæ, inter *Protestantes* nomen habet, quique præter alia multa in hoc Opere evolvenda, *Academiam Marburgensem* eo fundavit consilio, ut officina Religionis, sapientiæ & eloquentiæ esset, in qua fundamenta & firmamenta doctrinæ, de Deo, artium porrò, & Linguarum traderentur atque propagarentur, & plus præsidii ac

(a) *Historiam Friderici* II. Sapientis dicti, nemo melius ac plenius enarravit, quam *Hubertus Th. Leodius* singulari Libro de vita Friderici II. 1624. 4. edito.

(b) vid. Jo. SAUBERTI Miracula Confessionis Augustanæ p. 125. seq.

ac roboris haberet Reformata Ecclesia, ad tuendum sua dogmata & refutandum contraria. (a)

Wurtenbergici Principes erant ULRICUS & GEORGIUS, quorum alter Ducatum principalem *Stutgardiæ* regebat, alter *Montis bellicardi* divisam possessionem erat nactus; Prior post aliquot turbas ipsum Reformationis negotium ursit mirificè; Posterior *hodiernorum Ducum Wurtenbergensium* parens fuit.

Badenses Marchiones hoc seculo, erant BERNHARDUS & ERNESTUS, *Christophori* A. 1527. demortui, filii, è quibus ille *Badensis*, hic autem *Durlacensis* lineæ hodie florentis conditor extitit.

Inter *Anhaltinos* Principes WOLFGANGUS cumprimis & GEORGIUS tum eminebant, quorum alter, inter primos jam Evangelii *Confessores* publicos nomen habet, alter (b) verò doctrina & scriptis, *Evangelii restitutionem* miris modis promovit.

Pomeraniam tum regebat communis ultimorum Pomeraniæ Ducum parens, BUGISLAUS, A. 1523. demortuus, cujus filii GEORGIUS & BARNIMUS, itemque Nepos PHILIPPUS, Evangelio mirificè faverunt. (c)

Apud *Mecklenburgenses* Principatum tum obtinebant Magni II. Ducis Megapolitani filii, HENRICUS dictus *Pacificus*, & ALBERTUS (d) dictus *Pulcher*, quorum hic Evangelio infestus, ille addictus erat.

Inter *Bavariæ* Duces Evangelio renascenti admodum infesti erant Principes Fratres, WILHELMUS, qui Monachii, & LUDOVICUS, qui Landshuti sedem habebat, quibus deinceps unicus Wilhelmi successit Filius, ALBERTUS, qui totam tenuit *Bojoariam*, atque præsentis Electoralis familiæ caput est.

(a) vid. DRESSER. Millenar. 6. part. 2. p. 511 & 512. apud SAUBERTUM l. c. p. 128.

(b) Hujus vitam *Joach.* CAMERARIUS edidit, quæ vitæ Melanchtonis vulgo adjecta habetur. Cæterum de Scriptis à *Georgio Principe* relictis vid. BECMANN. de Historia Anhaltina L. VII.

(c) Quod ex *Dan.* CRAMERI Chronico Eccl. Pomeraniæ majori, quod Sedini 1628. fol. prodiit inprimis colligitur.

(d) Conf. *Zachar.* GRAPIUS in Rostochio Evangelico.

Moguntimum Præsulem & Electorem jam diximus ALBERTUM, Marchionem Brandenburgensem, & simul Romanæ Ecclesiæ Episcopum Cardinalem.

Trevirensis Elector RICHARDUS erat, usque ad A. 1531. ex illustri *Greiffenclaviorum de Volrath* prosapia oriundus.

Coloniensis Archiepiscopus HERMANNUS erat Comes Wicdanus, primò infestissimus Lutheri hostis, deinceps ejus fautor atque Confessor solertissimus & Constans, quippe qui & exemplo peculiari ditionum suarum Reformationem, licet incassum, tentavit.

Atque hæc quidem per transennam veluti prolata, sufficient illustrandis iis, quæ deinceps referentur, modo id monuerimus unicum, TURCAS *Constantinopoli*, proximo seculo capta, mox hoc *sexto decimo ineunte*, in summum adscendisse potentiæ fastigium, sed ab illo tamen etiam dein tempore, sensim robur eorum elanguisse, & quasi consenuisse.

§. XXXV. In Julii II. Pontificis Romani locum electus fuerat A. 1513. mense Februario, JOHANNES *Laurentii filius*, Cardinalis MEDICEUS, patria Florentinus, sumto, cum Pontificatum subiret, nomine LEONIS X. ex recordatione insomnii materni, quæ *grandem* se *Leonem* peperisse prægnans sibi in somno visa fuerat. (a) Hujus mores paucis nobis restant delineandi. Eruditorum quidem amans, & moribus suavis nec ineruditus is erat, modò majorem sacrorum religionisque cognitionem, atque paulo majorem ad pietatis studium propensionem habuisset, (b) nec voluptati potius, ambitioni, & avaritiæ fuisset mancipatus totus, quod ejus ævi & sequentium temporum Scriptores Pontificii, non diffitentur ipsi; Fuerat is *Angelo Politiano*, *Demetrio Chalcondyla*, & *Petro Ægineta* Viris undiquaque doctissimis usus præceptoribus: Familiaritatem verò, antequam Pontificatum adiret, coluerat cum *Joh. Pico Mirandulano*, *Marsilio Ficino*, *Joh. Lascari*, *Christophoro Landino*, aliisque Viris literatissimis. Et extant de ejus erga literas amore *Desiderii* ERASMI, *Petri* BEMBI, *Jac.* SADOLETI (qui posteriores utrique Secretarii munere apud Pontificem functi erant,

(a) vid. VARILLAS Anecdot. de Florence. Lib. VI. pag. 253-258.
(b) v. SARPII Histor. Concil. Trid. L. I. p. 3.

erant, utrique ad Cardinalitiam quoque dignitatem per ipsum ſunt evecti) teſtimonia omni exceptione majora. Ne ipſius LEONIS, cum Pontifex eſſet, commemoremus litteras ad *Regem Daniæ* A. 1517. datas, (a) itemque alteras ad *Albertum Moguntinum* exaratas eodem anno 1517. d. 26. Novembris (b) quibus utrisque, quam nullis in conquirendis ingenii monumentis & promovendis humaniorum Literarum ſtudiis ſumtibus pepercerit, abunde comprobatur. Quod moribus eſſet ſuavis, atque joculatorius ipſe, præterea ex variis collucefcit ſpeciminibus, quæ ab ejus vitæ Scriptoribus (c) enarrantur; Uti præ cæteris memorabilia *Pauli* JOVII (d) ſunt verba: ***Has præclaras liberalis excelſique animi virtutes, cum nimia ſæpe vitæ luxuria, tum objecta libidines obſcurabant: ita tamen ut jucunditate blandæ facilisque naturæ potius, ac regia quadam licentia, quam certo depravati animi judicio in ea vitia prolabi videretur.*** Hinc illæ, quæ de ipſo referuntur, multifariæ facetiæ, quibus vehementem in modum delectabatur, uti Poëtarum, hominum ridicule inſanientium & morionum inſtar voluptatem ipſi creantium, tota cohors ipſum plerumque cingebat, quod JOVIUS, ROSCIUS, (e) BLONDELLUS, (f) MATTHÆUS, (g) &ſim. teſtantur. Quod verò mediocriter admodum in religione eſſet inſtitutus, nec re-

I 2 rum

(a) vid. *Nov. Litterar.* Maris Balthici p. 348. & BÆL. in Dictionar. v. Leo p. 86, 87.

(b) In quibus, quas l. c. BÆLIUS ſuo inſeruit dictionario, hæc inter alia leguntur: *Fraternitati Tuæ committimus & mandamus, ut poſtquam acceperit dictum librum* (XXXIII) *Titi Livii* (de bello Macedonico) *ipſi Johanni Heytmers, ſolvat ſeu ſolvi faciat,* 147 *ducatos auri de Camera ex pecuniis indulgentiarum conceſſarum per illius provincias in favorem fabricæ Baſilicæ Apoſtolorum de Urbe, quam quidem &c.* Ex quibus ſimul id colligitur, quam etiam non omne quod per Indulgentias corradebatur, fuerit in uſum Baſilicæ S. Petri converſum.

(c) Conf. BAEL. Dictionar. v. Leo p. 82.

(d) vid. JOV. Vit. Leonis p. 188.

(e) v. *Jan. Nic.* ERYTHRÆI Pinacoth. P. II. p. 110. in vita Jo. Dominici.

(f) v. BLONDELL. in Examine bullæ Innocentii X. p. 3.

(g) v. BAEL. Dictionar. v. *Leo* p. 82. & v. *Machiavel.*

rum ſacrarum valdè tangeretur amore, id cum ex *Paulo* SARPIO, tum ex hujus æmulo *Sforzia* PALLAVICINO, utrisque *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* ſcriptoribus, addiſci poteſt. Prior (a) dicit: „ In Leone ad Pontificem numeris omnibus abſolven-„ dum, nihil deſideraſſes, ſi ad iſta addidiſſet vel mediocrem „ ſacrorum religionisque cognitionem, nec non ad pietatis ſtu-„ dium majorem paulo propenſionem, quorum utriusque ni-„ miam præ ſe ferebat incuriam. „ Poſterior (b) ita ſcribit: *Opponit Suavis, magis Leonem in Literis profanis verſatum, quam in ſacris & ad religionem pertinentibus. Haud quidem illi repugno; Leo ingenio capaciſſimo, ac ſingulariter ſtudiis addictus à Deo, vix pueritiam egreſſus, cum ſe in ſupremo Senatu Eccleſiæ collocatum cerneret, ſuo plane officio defuit, neglecta in Literarum ſtudio parte non ſolum nobiliore, ſed ſuæ magis congrua dignitati.* Gravior apparuit deformitas, quando *trigeſimo ſeptimo* ætatis anno *Præſes ac Magiſter religionis conſtitutus, non continenti ſolum ſtudio* profanarum Literarum curioſitati *ſe totum impendit, ſed in Regiam ipſius Religionis majori cura eos arceſſivit, quibus eſſent* perſpectæ Græcorum fabulæ, Poëtarum deliciæ, *quam Eccleſiæ hiſtoria, ac Patrum doctrina* &c. *Non æque Theologorum ac Poëtarum conſuetudine eſt delectatus, nec juxta* ſacram eruditionem *promovit ac profanam.* Mox Num. 4. & 5. SUAVI objectanti, Leoni haud magnæ curæ pietatem fuiſſe, largitur SFORZIA; *in Leone, cum Pontifex electus eſſet*, tantam pietatis curam non *eluxiſſe, quantam celſitudo illa pene divina poſtulabat. Nam*, (inquit,) *ut ea prætercam, quæ ſub fama ſuſpicione magis, quam affirmatione deliteſcunt; conſtat*, venationes, facetias, pompas adeo frequentes, *fuiſſe in* Leone *vitia partim ſeculi, partim potentiæ, partim etiam ingenii, non tamen exigua in eo inter mortales faſtigio, cui nil par eſſe poteſt, niſi ſumma perfectio.* Poſt, Num. 6. ait, *Leonem in ſede Romana collocatum paſſum eſſe ſe dementari ab ea ſpecie, quæ magnificum cum bono confundit, plauſumque multitudinis cum Reipublicæ emolumento.* Prætcrimus jam, cum dubia authoritate id referri videatur, quod is

(a) v. P. *Suavis Polani.* ſive SARPII Hiſtor. Concil Trident. p. 3. & 4.
(b) v. PALLAVICIN. Hiſtor. Concil. Trident. L. 1. c. 2. n. 2. fol 3. & 4. & apud *Heidegger.* in *Hiſtor. Papatus* pag. 206.

is Petro Bembo (a) aliquando dixisse fertur: *Quid mihi narras istam de Christo fabulam?* itemque illud, quod de duobus refertur Philosophis, tanquam qui moriones ejus mensæ adsistebant, jussis ab ipso *de Immortalitate animæ* disputare, quando Pontifex ipse definita sententia sic litem diremisse perhibetur. (b) *Etsi tu* (ita allocutus fuit affirmantem) *pulchras & bonas rationes habeas, tamen ego sententiam hujus* (negantis) *probo, ceu firmiorem, & quæ faciat bonum vultum.* Quodsi enim hæc, vel his similia vera essent, haberent Pontificii, quæ conciliare possent, cum ejus persona, quæ vicarium Christi in terris, caput & sponsum Ecclesiæ, veritatis oraculum, summumque & Divinum hæresium judicem repræsentare debebat. (c) Cæterum, de vita ejus voluptuosa turpi & lasciva nemo non Scriptorum Pontificiorum testatur: JOVIUS (d) certe refert: *Eum non caruisse infamia, quod parum honeste nonnullos è cubiculariis* (qui ipsi erant ex tota Italia nobilissimi) *adamaret, & cum his tenerius atque libere jocaretur.* VARILLASIUS (e) non obscurè innuit, cum morbo Gallico la-

I 3 bo-

(a) v. BÆLII Diction. v. Leo X. qui, quam tota hæc narratio unius innitatur *Joh.* BALEI L. VII. de Actis Romanorum Pontificum p. 428. Scriptoris Anti-pontificii testimonio, quod minus avide à nostris fuerat arreptum, ostendit.

(b) Equidem hoc à LUTHERO in ejus Commentario in Genesin ad Cap. XIX. ad vs. 13. fol. 129. relatum legimus, apud SECKENDORFIUM Hist. Lutheran. L. III. fol 676. Sed BÆLIUS hanc quoque relationem historica veritate cassam esse evincere conatur.

(c) vid. SECKENDORF. L. I. §. 47. p 191.

(d) v. JOV. Vit. Leonis X. p. 192.

(e) v. VARILL Hist. Anecdot. de Florence Liv. 6. p. 253. „ Lorsque la mort du Pape Jules II. l'obligea de sortir de Florence, pour aller „ à Rome, il se fit porter dans une litiere, à cause d'un abces qu'il avoit aux „ parties que la pudeur defend de nommer, & vojagea si lentement &c. & „ p. 257--- Son abces s'ouvrit, & le pus qui en sortit exhala une telle puanteur, que toutes les celules, qui n'etoient separees que par de legeres cloisons, furent empestées .... les Medicins repondirent, que le Cardinal „ de Medicis n'avoit pas encore un mois à vivre. Cette condamnation le „ fit Pape, en ce que les vieux Cardinaux pensans etre plus fins que les „ jeunes leur voulurent donner une satisfaction, qu' ils presumoient ne „ devoir pas etre de longue duree &c. „ Conf. BAEL. Dictionar. l. c. & SECKENDORF. Histor. Lutheran. L. I. Sect. 47. p. 190.

boraſſe, cum ad conclave poſt Julii II. mortem proficiſceretur, atque ſuo fœtore cum ipſum adimpleret conclave, Medicique faterentur, eum vitam per unicum nequidem menſem protrahere poſſe, hanc rem electionis cauſam ſubminiſtraſſe, eandemque mirum in modum, uti ſunt purpuratorum Patrum Pontificatui inhiantium ingenia, facilitaſſe: GUICCIARDINUS (a) & alii referunt, tanto luxu vel inaugurationem ejus fuiſſe peractam, ut eo die centum aureorum nummûm millia ab eo fuerint effuſa; *quantum luxum prudentes Viri, minime Pontifices decere, neque præſentium temporum ſtatum, ut pecunia à defuncto Pontifice cumulata inutiliter conſumerentur, poſtulare cenſebant, majorem gravitatem, moderationemque deſiderantes.* PALLAVICINUS, (b) *Legitur etiam*, inquit de Leone, *in aulaa ſacris hiſtoriis picturata ad Pontificium Sacellum exornandum, eum ſimul inſumſiſſe quinquaginta aureorum millia, quæ ad ætatem noſtram collata, ducentorum millium ſummæ reſpondent.* Eſt vero memorabile prorſus luxus & intemperiei ſpecimen, quod apud HADRIANUM JUNIUM (c) refertur, de Auguſtino quodam Chieſio, Leoni X. & Cardinalibus repotia quædam, ob filium ab illo baptiſmi lavacro tinctum, conſtituente. In his enim non ſatis fuit eduliorum omnis generis miſſuumque exquiſitiſſimorum apratui modum omnem ademiſſe, niſi etiam lances, pinaces, cæteraque cum eſcaria vaſa, tum potus inſtrumenta, ex argento affabre facta, omnia in Tyberis præterlabentis alveum, inani luxus oſtento præcipitarentur, idque non una modo, ſed pluribus quoque vicibus, quotiescunque ſcenicum illud ferculorum & menſarum choragium mutandum foret: *Atque iſta*, (verba ſunt JUNII) *parvo conſtitiſſe æſtimandum erat, niſi & alieno ex orbe*

(a) v. GUICCIARDIN. Hiſtor. Italic. L. XI. fol. 402, 403. Conf. MORNÆ. in Myſter. Iniquit. fol. 618.

(b) v. PALLAVIC. Hiſtor. Concil. Trid. L. I. c. 3. p. 5.

(c) vid. *Hadr.* JUN. Animadverſ. L. IV. cap. 8. p. 224. & 225. Hæc & ſimilia BERNARDUM SACCUM Hiſtoriæ Ticinenſis Scriptorem impulerant, ut L. X. c. 4. p. 788. ſcriberet: *Leo Mediceus, epulis, cantionibus ac voluptatibus immerſus plura ſuſcitavit murmura, quæ in Scandalum progreſſa Romani Pontificis honorificentiam & decorem comminuerunt.*

orbe petitarum immani pretio avium (quas *Psittacos* nominamus) *sola Lingua variis in patinis condita, ultimo ferculo omnem luxus ostentationem longe superassent.*

§. XXXVI. Ambitioni verò quod vehementer litaverit, quis, cui vel sola Concilii Lateranensis ab ejus Decessore Julio A. 1512. inchoati & à Leone continuati, ut quæ in Concilio Pisano decreta erant, rescinderentur Acta, sunt inspecta, dubitare aut inficias ire poterit? Quippe in quo se *Leonem* appellari passus est, (a) *de tribu Juda, radicem Davidis, Salvatorem & Libertatem Israëlis*, uti familiares in hoc ipso Concilio de Pontifice erant phrases: *Respectus vestræ divinæ Majestatis: Sponsi Ecclesiæ, Principis totius mundi:* Sunt memorabilia BALTHASARIS DEL RIO, Protonotarii Apostolici verba, (b) quibus Leonem alloquendo, æquiparat ipsi Deo, summosque Deo proprios ipsi adsignat honores „ Tu prædicebas, „ *Cum exaltatus fuero, omnes traham mecum.* Dicas Deo: *Quos* „ *mihi dedisti non perdidi ex iis quenquam.* Excita Domine po- „ tentiam tuam & veni. Tu alter Leo hominum, hominum „ non alter Rex tantum, sed Rex Regum & Orbis terrarum „ Monarcha. Tu duos gladios habes Spiritualem & Tempora- „ lem, vinces quia vicit Leo de tribu Juda „ (c) *Antonius* quoque PUCCIUS Orationem in hoc Concilio habens verba *Psalmi septuagesimi secundi versus undecimi*, ad hunc hominem peccati applicare non est veritus, „ In te uno vero atque legitimo „ Dei & Christi vicario, Propheticum illud debuit rursus im- „ pleri: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient* „ *ei*, Non ignari Christiani Principes, omnem tibi uni in cœ- „ lo


(a) v. Acta Concil. Lateran. Session. VI. p. 1687. edit. Harduin. in oratione Begnii Episcopi Modrusiensis.

(b) vid. Acta ejusd. Concil. Sess. VII. p. 1704. & 1705. item, apud LOESCHER. in Document. Reform. T. 1. p. 546.

(c) Est autem ante omnia notabilis qui in Leonis X. gratiam cusus est nummus, ab altera parte qui Leonis exhibet faciem cum Inscriptione *Leo X. Pontifex Max.* ab aversa verò, Leonis animal, cui de cælo Angelus subministrat coronam, cum Inscriptione: VICIT LEO DE TRIBU

„ lo & in terra traditam à Domino potestatem. (a) „ Novus parasita, Archiepiscopus Patracensis, STEPHANUS ita eundem allocutus fertur: (b) *Omnis potestas Tibi data est, qui omne dicit, nihil excludit.* Ne jam de abolitione *Sanctionis Pragmaticæ*, quo nomine Legem de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversus Curiam Romanam ipsa praxi observandam, jam Ludovicus IX. Galliarum Rex appellaverat, quicquam dicamus. Erant enim quædam Decreta circa Ecclesiæ in capite & membris reformationem facta in Concilio Basileensi A. 1438. quæ eodem tempore ab ipso Carolo VII. Galliæ Rege, ad quem ea à legatis Concilii illius erant transmissa, in congregatione Bituricensi (c) approbata sunt non solummodò, & confirmata, sed & in Edicti solennioris formam redacta, & sub nomine ac titulo *Sanctionis Pragmaticæ* promulgata; In his omnes Curiæ Romanæ Exactiones, omnis in conferendis beneficiis Simonia, omne jus collationis Papale, sub amit-

BU JUDA, quem ex CLAUDII MOLINETI *Historia summor. Pontificum ex nummis* fol. 35. hic exhibemus.



(a) v. Acta cit. Seff. IX. p. 1763.
(b) v. Acta cit. Seff. X. p. 1789. Præter hæc vero etiam extat Oratio *Christophori Marcelli* Electi Archiepiscopi Corcyrensis ad Leon. X. in Thes. novo Anecdot. Marten & Durand. T. II. fol. 1787. De sumenda in Turcas provincia, ubi inter alia, *TE*, inquit, *in excelsa hac Pontificatus sede collocatum tanquam DEUM ALTERUM veneramur.*
(c) v. L'ENFANT Hist. de Concile de Basle T. II. p. 83. 84. DU PIN de Scriptor Eccles. Sec. XVI. P. XIII. p. 2. seqq.

amittendi beneficii pœna, Prælatis, qui collationem sibi à Papa fieri paterentur, prohibentur. (a) Hæc itaque, tanquam absolutæ Monarchiæ Pontificiæ contraria, per Leonem ita sunt abrogata, atque in eorum locum tum quædam fuerunt substituta *Concordata*, inter Franciscum & Leonem X. inita; quibus tamen, quod tota Ecclesia Gallicana solenniter reclamaverit, Universitates, Parlamenta, Clerus universus, & inprimis Academia Parisiensis, jam in superioribus est monitum; Sordidus denique atque nefandus nummorum corrasor quod fuerit LEO, atque *auri*, *patrio more*, *sitientissimus*, his ipsis verbis PAULUS LANGIUS, (b) Monachus testatur, addens hæc etiam, *nimirum cum Romanorum avaritia, Florentinorum accesserit cupiditas, aurique sacra fames creverit in immensum, crescatque usque modo amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, sæviorque ignibus Ætna ardet amor habendi, quemadmodum & Naso inquit*

Creverunt & opes & opum furiosa libido
Quo mage sunt pota plus sitiuntur aqua.

Sed, ut hanc Leonis immanem undiquaque corradendi nummos atque profundendi pariter libidinem, alio comprobemus specimine, necesse non est, quam eo ipso, quod per singularem providentiam divinam toti Reformationis negotio ansam subministravit, atque occasionem præbuit: „ Nam cum alioqui, „ (sunt THUANI (c) verba,) ad omnem licentiam sponte sua fer- „ retur, Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui ni- „ mium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sum- „ tus (d) undique corrogaret, Leo, missis per omnia Christiani

K „ Or-

(a) vid. *Carol.* MOLINÆI tractat. de Monarchia Francorum.

(b) v. *Pauli* LANGII Cygnæi Chronicon Citizense ad A. C. 1513.

(c) vid. THUAN. Histor. L. 1. ad 1515 & 1516. Cap. VIII. p. 18. ed. noviss.

(d) Quod sumtus immodicos faceret Leo, jam observavimus, & extant eorum impensorum exempla, non modo in cognatos, aulicosque & literatos, sed in sororem quoque Magdalenam, quæ *Francisco Cibo* Innocentii VIII. Pontificis spurio (uti loquitur SARPIUS) connubio juncta erat;

„ Orbis regna Diplomatis, omnium delictorum expiationem,
„ ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod
„ quisque pro peccati gravitate penderet, in eamque rem per
„ provincias, quæstores, & æraria ordinavit, quibus additi præ-
„ cones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum com-
„ mendarent, & orationibus artificiose compositis, propositis-
„ que palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent.
„ Quod licentiose nimis, in Germania præcipue fiebat, ubi vi-
„ dere erat, eos qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice
„ conduxerant, per lustra & popinas quotidie sine pudore in
„ aleæ lusum ususque turpissimos, potestatem extrahendi ani-
„ mos defunctorum ex igne expiatorio profundere. „

§. XXXVII. Atque hæc illa detestabilis erat *Indulgentiarum*, vocabulo in Ecclesia Romana recepto, ita dictarum, Nundinatio, quam Pontifices per aliquot retro secula (a) exercuerant, inde

erat; Quin imò in ipsam *Ciborum* familiam, quæ ipsi, cum Alexandri VI. iram effugiens Genuæ viveret, magnam pecuniæ vim mutuò dederat, cui restituendæ magna æris copia conflanda erat: Præterquam quod in extructionem ædificiorum magnificentissimorum multa profuderit, teste PALLAVICINO, atque cumprimis in extructionem Basilicæ D. Petri, quam à Julio II. jam inchoatam splendidissimam atque magnificentissimam perficere allaborabat, qua de re, inter Diplomata Pontificia à P. BEMBO edita, duæ extant ad Raphaelem Urbinatem ipsius Leonis Epistolæ, ex quibus in suam rem quædam profert PALLAVICINUS pag. 5. l. c.

(a) Quid jam olim obtinuerit, ex versibus constat leoninis, qui *Biturigibus* in templo cathedrali D. Stephani ad altare Cardinalis antiquo inscripti lapidi exhibentur, & quos Lubecensium Consul D. Herm. Verholdius J. U. D. olim sua manu descriptos tradidit Chemnitio, vid. ej. P. IV. Exam. Concil. Trid. p. 361.

Hic des devote, cœlestibus associo te,
Mentes ægrotæ per munera sunt tibi lotæ
Ergo venitote Gentes à sede remotæ
Qui datis estote certi de divite dote
Te precor, accelera, spargas hic, dum potes certa
Et sic revera secure cœlica spera.
O si tu scires, quantum data prosit ibi res,
Tu juxta vires donares, quod dare quires.

Te

inde scilicet à Seculo XI. quando primum equidem sub Alexandro II. certas visitantibus Ecclesias, indulgentia pœnitentiæ concessa fuit, (a) quam Urbanus II. & successores illius aut proficiscentibus contra Turcas, aut impensas in bella sacrá suppeditantibus largiti fuerunt, veluti sub hoc obtentu immanes abhinc pecuniarum exactiones sunt factæ, (b) quæ maximam partem in longe alios usus erogabantur.

His enim vestigiis & decessorum, cumprimis Alexandri VI. (c) & Julii II. (d) insistens, & cum ceteroquin acquirendi artem haud

satis

Te miser à pœna dum tempus habes aliena,
Ut tibi sit pœnæ venia, sit aperta crumena.
Consors cœlestis fabricæ, qui porrigit, est is,
Crede mihi crede cœli donaberis æde.
Nam pro mercede Christo dices mihi cede.
Hic datur exponi Paradisus venditioni
Currant ergo boni rapientes culmina throni,
Vis retinere forum, mihi tendas pauca obolorum
Pro summa quorum referabitur aula Polorum
Hic si large des, in Cœlo sit tua sedes:
Qui serit hic parce, parce comprendet in arce,
Cur tardas? Tantum nummi mihi des aliquantum,
Pro solo nummo, gaudebis in æthere summo.

(a) De Origine Indulgentiarum memorabilia *Polydori* VIRGILII de rerum inventoribus sunt verba apud HOTTINGERUM Sec. XVI. P. II. p. 187. Conf. P. SARPIUS in Hist. Concil. Trid. p. 4.

(b) Extat Cel. MUHLII Disquisitio prolusoria sub hoc titulo: *Quantum & respublica & ecclesia Indulgentiæ nocuerint, quamque verè ac merito, cum Reformationi Evangelicæ, tum schismati in Occidente enato caussam ac occasionem suppeditarint*; quam M. Lutheri Propositionibus pro Declaratione Virtutis Indulgentiarum & ejusdem Resolutionibus Disputationum de Indulgentiarum Virtute Hamb. 1717. 8. à se editis præmisit.

(c) De *Alexandri* VI. Indulgentiis & Indulgentiarum bulla à monacho Ulmensi impudentissimis encomiis celebratis, v. SECKENDORF H. R. L. 1. p. 9. Lit. c.

(d) de *Julii* II. Indulgentiis vid. COCHLÆUS de Actis & scriptis Lutheri pag 3. PALLAVIC. in Hist. Concil. Triden. lib. 1. cap. 2. num. 7. it. KAPP. in Collectione diplomatum ad Indulgentias spectantium p. 18. seqq. & in diss. de Quæstoribus quibusdam Indulgentiarum p. 21, 22. 23.

satis per se calleret, Puccii consilio morem gerens Leo nefandum in modum ita non forum solummodo aperuit Indulgentiarum, missis quaquavorsum qui venalia illa Diplomata ferrent, & pecuniis corradendis præficerentur, sed &, quod omnem excedere fidem videri posset, ut ipsæ Indulgentiæ & earum nundinatio, hasta veluti (a) subjicerentur, harum publicandarum potestate facta, iis, qui eas plurimo licitarentur, pudendo certe consilio effecit ipse Nundinator scelestissimus.

§. XXXVIII. Neque vero unius generis indulgentiæ à Leone X. erogatæ fuerunt. Ut jam non de *Laurentii Campegii* Cardinalis Commissariatu in Anglia vice Pontificis Indulgentias nundinantis, quicquam dicamus, aut de *Francisco Tripontino*, ad partes Alemanniæ Commissario Pontificali, qui emuncta nummis tota fere Germania, Curiam Varisceorum se contulit, (b) itemque de *Alexandro de Neronibus*, (c) aliisque, quidquam referamus. Anno enim statim primo (d) Pontificatus sui MIC XIII. III. Non. Sept. proficiscentibus ad bellum contra Turcas tam amplas proposuit Indulgentias, ut si quis Protestantium eas recenseret, vix fidem ei ab omnibus habitum iri, sit existimandum. Enimverò, quum illas *Odoricus* RAYNALDUS, infensissimus Lutheranorum hostis & calumniator, sine dubio ex MSS. Vaticanis, quæ alias crepat, enarret, nullus dubitationi hac de re locus relinquetur. Ita vero RAYNALDUS (e) de his Indulgentiis testatur. *Et ut in prosecutione tam sancti & necessarii operis ad ejus prosecutionem ipsius Regis Hungariæ non suppeterent facultates, Christi fidelium suffragia sunt plurima necessaria, quo exinde majora animarum suarum commoda adipisci possint*, & eis pro tam salubri bono portas paradisi & perennem gloriam cum sanctis Apo-

(a) Enim verò hoc non diffitetur ipse PALAVICINUS in Histor. Concil. Trid. L. 1. c. 3. p. 5, 6. edit. Latinæ, quamvis inepte factum hoc excuset.

(b) v. KAPP. Differt. de nonnullis quæstoribus Seculo XV. & XVI. c. 1. §. 28. p. 32, 33.

(c) v. SECKENDORF. Hist. Luther. fol. 15.

(d) Conf. KAPP. diss. cit. §. XV. XVI. p. 25. 26. ex quo hæc sunt depromta.

(e) RAYNALD. Annal. Ecclesiast. Tom. XX. ad A. 1513. p. 160.

Apostolis & gloriosis Martyribus reserari, *universis fidelibus eisdem qui ad* &c. plenariam omnium peccatorum suorum cum Altissimo reconciliationem, indulgentiam & remissionem, *qualis per prædecessores nostros dari consuevit*, concedimus pariter & indulgemus, ac eorundem omnium animas, quos in sancta expeditione proficisci contigerit, sanctorum Angelorum consortio in cœlestibus æterna felicitate mansuras perpetuo decernimus aggregandas; (*plura adjecta, qui milites ad sacrum bellum miserint; vel stipem pro opum suarum tenuitate vel amplitudine porrexerint, vel qui in Exercitu Opem locaverint, aut in itinere obierint*) Quis non obstupescit, hac potestate, quam Leo X. sibi arrogavit, portas Paradisi & perennem gloriam reserare, quaque omnium animas consortio Angelorum decrevit aggregandas?

Anno sequenti ad novas Indulgentias in emolumentum reparationis Basilicæ S. Petri in Europa distribuendas prolapsus est Leo, quibus in Coloniensi, Trevirensi, Saltzburgensi, Bisuntinensi, Bremensi & Upsalensi Provinciis, illarumque ac Cameracensi, Tornacensi, Morinensi, Atrebatensi, civitatibus & dioecesibus promulgandis 11. Decembris *Johannem Angelum* ARCIMBOLDUM, I. V. Doctorem, Præpositum de Arcisate Sedis Apostolicæ Protonotarium & Leonis X. Referendarium SS. præfecit; qui, ut majori successu spartam sibi demandatam exornare, & hoc Indulgentiarum negotium in commodum fabricæ Basilicæ promovere posset, in Italia sine dubio statim post susceptam hanc provinciam imprimi jussit 2. plag. in 4. *Avisamenta, Instructiones, & Statuta ad publicandum & exequendum Indulgentias & Facultates pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de urbe* &c. quæ ex antiquo Volumine in Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis asservato (a) edidit Vir Cl. *Jo. Erh.* KAPPIUS. Nec suffecit hic Arcimboldi Libellus magnifice licet Indulgentias extollens, verùm, quò felicius in Misnia & Episcopatu Camminensi, hæc animarum nundinatio succederet, ipsius Maximiliani edictum necessarium esse videbatur, quod & Arcimboldus A. 1516. d. 27. Augusti ab Imperatore obti-

(a) Vid. KAPP. Nachlese nutzlicher Reformations-Urkunden Part. III. n. XV. p. 164-217.

obtinuit. (a) Qui etiam mandatum anno 1515. d. 7. Martii promulgatum, quo Indulgentiarum pecuniæ à Dominicanis ad Monasterium eorum Augustanum ædificandum collectæ detentæ, & Indulgentiæ ipsæ prohibitæ erant, d. 13. Aprilis ejusdem anni revocaverat. (b) Usus verò est Arcimboldus in Germania (antequam Septentrionales Regiones adiret) agyrta callidissimo *Johanne* TEZELIO (c) & *Jacobo* DOCKENSPOELL, (d) subcommissariis; Quando ipse ARCIMBOLDUS (e) ad Balthici literis urbes est profectus, atque immensam vim pecuniæ ex Saxonia collectam, Lubecæ partim luxu prodegit, partim per mercatores Coloniam & inde Venetias transscripsit.

§. XXXIX. Sed, jam anno 1515. novos quoque Leo X. constituerat Indulgentiarum commissarios, ALBERTUM (f) nempe Sanctarum Magdeburgensis Ecclesiæ & Moguntinensis sedis Archiepiscopum, Primatem & Sacri Romani Imperii in Germania Archicancellarium (g) una cum *Guardiano* Fratrum Ordinis minorum de Observantia conventus Moguntini, & *Christophorum de Forli* seu *Forolivio* Titul. S. Mariæ in Arà

(a) Vid. LOESCHER. Acta & Docum. Reform. T. 1. p. 387. TENZEL. in Histor. Reform. p. 102. HOTTINGER in Primit. Heidelbergens., qui hujus mandati nobis exhibet exemplum, quod exinde depromtum inter documenta Num VIII. exhibemus.

(b) Vid. CYPRIAN. Præfat. ad F. Myconii Histor. Reform p. 12. qui ipsum hoc quoque posterius nobis mandatum, quo prius illud, de quo deinceps, revocatur, communicavit.

(c) Uti sic Cl. KAPPIUS in libro cui tit. schauplatz des Tezelischen ablas Krams pag. 23. &seqq. ejusmodi diploma indulgentiarum Arcimboldi à *Joh. Tezelio* subcommissario subscriptum nobis exhibet.

(d) vid. Taxa Cancellar. Apostolicæ Sylvæ Duc. in 8. impress. p 68. ubi exemplum Indulgentiarum Arcimboldi ab ejus subcommissario Dockenspoellio subsignatum & notis illustratum exhibetur.

(e) Verba sunt CHYTRÆI in Saxonia L. VII. p. 217. Cæterum de ipso *Arcimboldo* Legato Pontificio, Reformationis Evangelicæ in Suecia occasione, extat singularis HARTMANNI Disputatio.

(f) De hoc *Alberto Moguntino*, & quid in eo desideraverit Lutherus, tribus verbis exponit SECKENDORF. L. 1. §. VI. p. 12. n. 2. conf. quæ de eo observata sunt in Miscell. Groning. Tom. II. pag. 253. seq.

(g) vid. KAPPII Diss. cit. p. 30. 31. cujus hæc sunt verba.

Ara Cæli Presbyterum Cardinalem, ac totius ordinis Magistrum Generalem super 25 provinciis in Bulla numeratis, & sub quibus etiam tota Italia, Sicilia, Corsica, Creta, Cyprus, Rhodus usque ad Hierosolymam, Dalmatia, Croatia, Bosnia, Hungaria, Austria, Bohemia, Polonia, ac insulæ maris mediterranei, continentur, illum quidem ultima Martii, hunc vero VII. mensis Augusti. (a)

Quod ad hanc *Forlivii* nundinationem attinet, pro cujus purpura Franciscanorum ordini triginta millia florenorum exsolvenda erant, in illa circumferenda *F. Bernhardini* SAMSONIS de Mediolano, Ordinis Minorum Regularis observantiæ opera usus est, qui hanc mercaturam tanta impudentia apud Helvetios exercuit, ut dubium fere sit, cujus cucullionis *Tetzelii* in Germania, an *Samsonis* in Helvetia major fuerit impietas, avaritia, impostura. (b)

Quicquid sit, Alberto Archiepiscopo Moguntino, nec non Guardiano fratrum ordinis Minorum de observantia conventus Moguntini, cum hoc indulgentiarum negotium esset commissum, hi de novo, communi equidem nomine, sed ita ut cum Guardianus huic negotio se subduxisset, solus *Albertus* hanc rem, sed titulo tamen communi, ut ex Actis patet, ageret, subdelegerunt *Dominicanos*, cum primum *Franciscanos*, teste Myconio, ei admovere negotio voluissent, sed qui ob invidiam facti id à se amoliebantur, (c) & ex illis sibi constituebant Subcommissarium, procul dubio, tum ex commendatione Arcimboldi, cujus antehac is fuerat Subcommissarius, sed qui nunc Septentrionales Regiones, Daniam & Sueciam adierat, tum ex communi fama sibi jam notissimum, tum verò etiam, quod is ipse suam illi operam ac studium offerret, *Johannem* TETZELIUM Agyrtam callidissimum, atque in his procurandis & venundandis versatissimum atque celebratissimum, (d) edito statim singulari

(a) Utriusque negotii annum & diem PALLAVICINUS in Histor. Consil. Tridentini indicavit.

(b) Teste *Friderico* MYCONIO in Historia Reformationis p. 18.

(c) vid. SECKENDORF l. c. p. 17.

(d) v. MYCON. Hist. Reform. c. 3. p. 19. Is enim jam inde ab A. 1504.

lari Libello, sub Titulo *Instructionis Summariæ pro Sub-commissariis* &c. (a) cujus libelli, quo amplior deductio continebatur ipsius Bullæ Papalis Septemviro concessæ editionem, quod ipse Tezelius Archiepiscopo omnibus modis tanquam rem huic negotio maximopere accommodatam suaserit ac persuaverit, credere fas est. Atque hic est ille libellus, cui Lutheri quamplurimæ Theses disputationis primæ erant oppositæ, cujusque ipse Lutherus in *Literis* prid. Kalendas Novembres A. 1517. eo ipso die, quo theses suas is ventilandas proposuerat, ad Albertum Moguntinum datis mentionem facit; (b) cujus etiam deinceps A. 1541. meminit in *Apologia adversus Henricum Ducem* Brunsvicensem; Ab hoc autem libello alium libellum itidem tum temporis editum esse novimus, sub tit. *Instructionis Sacerdotum* (c) &c. quo superioris libelli, sive *Instructionis subcommissariorum* brevis conspectus sub forma trium Concionum exhibebatur, & cujus ipsum *Tezelium* authorem fuisse, sunt, qui credant, quamvis alii, utrumque hunc libellum Romæ conceptum esse verosimilius suspicentur. His libellis, ex quibus etiam nunc horri-

A. 1504. variis in locis, hanc emungendi argento homines artem exercuerat, & impudentiæ erat incredibilis, uti ex ejus Vita à *Jo.* HECHTIO descripta apparet.

(a) Quem Libellum, cum is antehac jam censeretur deperditus, tandem singulari cura in lucem extractum ex Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis edidit Cl. KAPPIUS in tractatu, cui tit. *Sammlung einiger zum Päbstlichen ablaß &c. gehöriger Schriften.* Leipsig. 1721. pag. 93-286. Est verò hic ejus titulus: *Instructio Summaria pro Subcommissariis: penitentiariis & Confessoribus: in executionem gratie plenissimarum indulgentiarum: ac aliarum plenissimarum facultatum in favorem Basilice principis Apostolorum de urbe: per Sanctissimum Dominum nostrum Papam Leonem Decimum modernum in forma Jubilei largissime concessarum sub deputandis & ordinandis.* Uti eundem ob rei memoriam inter documenta huic Operi subnexa conspiciet Lector, Num IX.

(b) Scribendo: „ Accedit ad hæc, Reverendissime Pater in Domino, „ quod in instructione illa Commissariorum sub tuæ Paternitatis nomine „ edita &c. „

(c) Cujus Libelli excerptum nobis dedit Cl. H. v. d. HARDT in *Histor. Literar. Reform.* Part. IV. fol. 14. seqq. & longè accuratius Cl. KAPPIUS in lib. cui tit. *Schauplatz des Tetzlichen Ablaskrams.* pag 40-60.

horribiles Quæstorum Indulgentiarum excessus cognoscuntur, incitatus & innixus A. 1517. *Tezelius*, inter eos subcommissarios fax & tuba, suas Indulgentias tanquam venales merces populo Christiano in Saxonia, Misnia & circumjacentibus locis tanta cum loquacitate, tot artibus, fictionibus & imposturis obtrudere est conatus, ut ipsam quoque superaverit impudentiam.

§. XL. Erat ipse *Johannes* TEZELIUS Misnensis ab initio hujus seculi in nundinatione hac occupatissimus, & A. 1509. à Thoma Cajetano jam Inquisitor hæreticæ pravitatis institutus (b) homo scelestus, quemque ob adulterii crimen capitis aliquando damnaverat Maximilianus, atque ut Oeniponte (Inspruk) in flumen præceps daretur jusserat, (c) quem tamen malo, dubium, an bono Saxoniæ fato, precibus suis Fridericus Saxo liberavit.

Is itaque cum sociis suis, nam & ipse, (quem ceterorum antesignanum, titulo ad decipiendum incautos, terrendum verò prudentiores composito, *Commissarii Apostolici & heretica pravitatis inquisitoris specialis*, constituerat Moguntinus) de novo sibi Subcommissarium elegit, Dominicanum Monachum nomine *Bartholomaeum*, (d) & alium *Hermannum Bereboem* (e) hanc Indulgentiarum mercaturam strenue pariter ac impudenter exercuit, effectum earum supra modum extollens, & promittens pro nummis, gravissimorum peccatorum, nec præteritorum tantùm, sed etiam futurorum, si quis vel virginem Deiparam (f) violavisset, remissionem à pœnis purgatorii.

L Ex

(a) vid. KAPP. Sammlung zum Ablass &c. p. 104. 105.

(b) Quod enarrat *Vincentius Maria Fontana* in Monumentis Dominicanis p. 409. libro rarissimo, apud *Kapp.* Nachlese zur Reform. Urkunden P. III. p. 221.

(c) v. *Joh.* HECHTIUS in Vita Tezelii p 21. SECKENDORF. Hist. Luth. L 1. §. VII. in addit. p. 16. SLEIDAN. Lib 13. p. m. 222.

(d) v. VEIELIUS in Hist. Reform. ex Georgio Anhaltino p 194.

(e) v. LOESCHER. Act. & Docum. P. 1. p. 393. & Seckendorf. fol. 15. a.

(f) Notum est, quam ipse LUTHERUS in *Thesibus Indulgentiariis primis* id ipsi exprobraverit, & quam is in Ep. ad *Albertum Mogunt.* id commemoraverit, vid. Epist. Luth. Tom. 1. p. 38. uti SERPILII singularis extat

Ex ejus Indulgentiarum libellis (a) certe apparet, quam plenis buccis affirmaverit afturco, ſe abſolvere hominem, qui pecuniam daret, ab omnibus delictis hactenus per eum commiſſis, quantumcunque enormibus, remittere ei omnem pœnam in Purgatorio debitam, & reſtituere eum innocentiæ atque puritati ei, qua erat, quando baptizatus fuit, Ita, ut illi decedenti clauſæ ſint portæ pœnarum, & ſint apertæ januæ Paradiſi deliciarum &c.

Sed & eum tradidiſſe refertur, (b) quod crux rubra in templo poſita ejusdem cum cruce Chriſti eſſet efficaciæ, quod plures ipſe animas per Indulgentias, quam Petrus per conciones ſuas ſalvaverit, quod ad primum nummorum tinnitum manes ex purgatorio in cœlum evolent, quod montes ipſorum Deus, propter Indulgentias, in ſolidas aurifodinas converſurus ſit.

Ne jam varias commemoremus ejus impoſturas, quarum ut conſervarent memoriam (c) optime fecerunt Majores noſtri, quod eæ res ceteroquin poſteritati futuræ eſſent incredibiles; quanquam non ſemel etiam impudentiſſimæ frontis homo, atque va-

extat Diſquiſitio Hiſtorica, *num calumnia adverſus ſanctiſſimam Dei Matrem Jo. Tezelio cum ratione imputari poſſit?* edita Jen. 1718. 8. quam CYPRIANUS inſeruit *Hilaribus Evangelicis* à ſe editis p. 967. ſeq. conf. Sleidan. Lib. XIII. ad A. 1541. p. m. 222. a.

(a) v. LOESCHER. Act. & Docum. T. I. p. 378. conf. ea quæ ex *Inſtructione Sacerdotum* excerpſit HARDTIUS P. IV. p. 14. ſeq. LOESCHER. T. I. p. 415. & inprimis p. 416. quæ omnem exſuperant fidem.

(b) vid. MYCON. Hiſt. Reform à Tenzelio edit. p. 14. & quæ ſtatim ad § XLI. annotabimus, horum autem multa ex Lutheri theſibus n. 35. 28. 33. 75. 79. & ſim. colliguntur.

(c) Huc illud quod ex *Sacco* in concione funebri *Levini Schulenburgii* de Monacho Franciſcano Magdeburgenſi, qui Deum dixerat peccata gratis remittere, non inſtitorum more vendere, & quem ea propter vel *igni* vel *exilio* adjudicandum dixit Tezelius, refert SCULTETUS p 16. referri debet, & inprimis quod ex Chronico Zwiccavienſi retulit SECKENDORFIUS p. 25. de *die Juvenalis* &c. conf. CRUS. Annal. Suevic. p. III. p. 516. ſeq. ubi ſingulare enarratur quæſtoris Indulgentiarum *Iſelini*, qui Tezelii præcurſor erat, factum commemoratione dignum.

vaferrimus impoftor illufus fuerit, (a) ut lucro, cui inhiaverat fruftraretur.

§. XLI. De reliquo autem, cum adeò immenfos, hiftrionica fua eloquentia indulgentiarum thefauros aperiret, non deerant omnis ordinis homines (tanta erat temporum ignorantia & ftupiditas) qui accurrerent, imò etiam aliunde ad eum ipfum in oppida pariter ac pagos in quibus nundinas celebrabat confluerent, fuisque rebus profpicere fe ita poffe crederent, (b) ut nulla vel netrix vel paupercula, quæ non indulgentias aut pro fe aut pro fuis redimeret, fermè inveniretur.

L 2 Et

(a) Huc pertinet id, quod HECHTIUS commemorat Vit. Tezelii p. 46, 47. nimirum non defuiffe, qui peridoneam deridendi ejus occafionem quærerent, quique veteratorem callidum calliditate fua fuperare niterentur; „ *In his cumprimis erat* eques aliquis, vel, ut nonnulli „ planius loquuntur, nobili & equeftri familia ortus, præmium, labore „ dignum pro fraude commodum relaturus. Atque id confilium ut fe„ licius fuccederet, conveniendi ejus facultatem fibi fumfit, ab eoque, „ numne illius, quod perpetrare animo deftinaviffet, criminis veniam „ impetrare poffet, exploravit. Sibi enim rem effe cum homine quo„ dam, mentitus eft, in quo injuriam fibi temere illatam, ulcifci vellet „ gravius, ita tamen, ut vitam quidem incolumen, memoriam vero vin„ dictæ acerbioris diutius fervaret. Non difficilem fefe præbuit Tezelius, „ fed libenter accepit conditionem, folutis tamen ante, quos poftulabat, „ triginta numis imperialibus, id fieri poffe enunciavit. Nulla nobilis „ ille eques mora temporis, cum perftaret in fententia mercator, inter„ pofita, illam pecuniæ fummam attulit, atque diploma, ipfius figno „ Tezelii communitum pro admittendo crimine accepit. At non ita mul„ to poft hunc facerdotem facrum ex urbe difcedentem, exploraio per„ opportuno itineris loco, imprudentem inopinantemque aggreffus eft, „ atque luculenta pecuniarum copia, quam in urbe agrisque male quæ„ fitam fecum tulit, privatum, verberibusque affectum ab fe demifit, „ caufam interferens, illud ipfum effe delictum, cujus fibi paulo ante „ veniam ipfe dediffet. Quod factum fuis in finibus accidiffe, initio qui„ dem indigne Princeps tulit, fed tamen, cognita rei ferie, placatus „ iterum fuit, nullamque nobili mulctam, uti quidem commemorant, „ irrogavit. conf Seckend. l. 1. §. XII. add. 1. p. 25.

(b) Sane quod fuperftitionibus ita effent omnia oppleta, ut celebris monafterii Neuhufani in Vangionibus abbas dixerit, *fi Lutherus non veniffet, fe perfuafuros fuiffe populo, ut fæno latrantem ftomachum placaffent*, refert SCULTETUS Annal. ad A. 1517.

Erat mirifica hujus hominis, (a) ubi urbem quandam quæstus exercendi, & venales exponendi merces gratia, ingrediebatur, pompa, quippe qui in ipso introitu, Bullam Pontificiam, libro in holosericum vel aureum involucrum compacto impositam sibi præferri solenniter curabat. Obviam præcedebant omnes sacerdotes, monachi, senatus, schola, viri, feminæ, pueri, cum vexillis & tædis, sonabant campana & organa, in medio templo rubra crux erigebatur, (b) appenso Pontificis vexillo, ut, si ita loqui fas sit, vel Deus ipse majori cum gloria atque splendore recipi non potuisset.

Tametsi verò intra unius Alberti, à quo conductus fuerat, fines, qui Archiepiscopatu Magdeburgico & Moguntino itemque Episcopatu Halberstadiensi terminabantur, additis terris & locis Marchionatus Brandenburgici (c) subsistere debuerat, tamen eousque progressus audaciæ est, ut non tantum vicinas regiones invaderet, sed remotiores quoque terras ac nationes adire iterum nihil dubitaret, (præ se ferens procul dubio sibi vel ab ipso Leone X. cui parebant omnia, hanc datam esse potestatem.) (d)

Atque ita in *Saxonicis* maxime *terris* tantoperè desæviit ille injustus nundinatorum furor, ut etiam Princeps Elector, cum cives opibus penitus exhaustos vidisset, curam omnem ac diligentiam adhibere cœperit, ad insatiabilem istam mercandi libidinem tandem aliquando compescendum. Imò, ut JOHANNES VI. *Præsul*

(a) vid. MYCONIUS in Hist. Reform., quæ à Cypriano subjecta est Narrationi Tenzelianæ p. 106. not. Prouti eadem pompa *Arcimboldus* Lubecæ atque alibi receptus fuit, teste *Hermanno* BONNO in Chronico Lubecensi MSS. apud LOESCHER. in Actis & Docum. T. 1. p. 378, 379.

(b) De qua *rubra cruce* cum insignibus Pontificis in templis suspensa vele recta, affirmabat, quod modò vidimus, Tezelius, quod *ea ejusdem cum cruce Christi esset efficacia*: v. LUTHERI Apolog. adv. Henricum Brunsvicensem apud Seckendorf. L. 1. p. 16. quæ verba deinceps à nobis adducentur.

(c) vid. Diploma Alberti ex *Paulo* SEIDELIO quod HECHTIUS exhibet p. 38, 39, 40. & ipsum Tezelianum diploma. ibid. p. 43, 44. ex quibus fines quos continere oportuit quæstores Pontificios cognoscuntur.

(d) vid. LOESCHER Act. & Docum. T. 1. p. 383. qui à Leone X. TEZELIO concessionem eam datam fuisse comprobat.

Præsul Misnensis (a) ex nobilissima Salhusiorum familia oriundus circulatores nomine & authoritate Antistitis Magdeburgici emissos, jam antehac suæ diœceseos aditu prohibuerit, hominumque pecunias in cistam, ad quam recludendam nemo clavem possideret deponentium, impudentiam acrius reprehenderit, & summas seculi superstitiones gravius notarit. Est is, qui, præter alios Christianum *Baumgartnerum* Norinbergensem, pecunias itidem contra Russorum gentem, quæ Livoniam invaserat, colligentem, intercludere ingressu ausus fuit, quique, cum ille contra, factum hoc censura pontificia dignum, judicasset, atque excommunicationis sententiam in ipsum Præsulem tulisset, fortiter hoc ipsum ad Pontificem Romanum delatum, magno sumtuum impendio defendit. Quid? quod eundem præsulem, cognito Tezelii furore, non solum fassum fuisse, tradat ex Chytræo SCULTETUS, (b) se Sacra Biblia legentem, Religionem à præsenti valde dissimilem invenire, sed & paulo ante quam è vita excessit prædixisse: *Hunc fore institorem indulgentiarum ultimum, quod nimia ipsius & intoleranda esset impudentia.* Nec mirum, quod & alii, se huic circumscriptori impudentissimo & ejus sociis, qui corrasam pecuniam ut plurimum in tabernis alea vino & venere dilapidabant, opponerent, sive inter principes (c) qui tantum pecuniæ ex Germania efferri ægre ferebant, sive inter præsules & clericos, (d) qui, ubi nondum om-

 nem

(a) vid. FABRIC. rer. Saxonicar. L. VII. p. 846. CHYTR. Saxon. L. II. fol. 55. SECKENDORF. pag. 256. HECHTIUS p. 43--46.

(b) CHYTRÆI Saxon. L. II. p. 50. SCULTET. Annal. p. 16.

(c) Extat sane ipsius Maximil. edictum A. 1515. datum, quo is Memmingensibus, ne à familiæ Dominicanæ monachis indulgentiarum mangonibus loculos sibi emungi paterentur, prohibet quod SCHELHORN inseruit Amœn. Literar. Tom. VI. p. 312. ex quo illud huic Operi inter documenta N. VIII. inseretur. Quanquam, uti jam §. XXXVIII. dictum est, hoc ipsum Imperator eodem adhuc anno revocaverit.

(d) *Sebastianus* certe *Erfordiensis* & *Jo. Rus* Rostochiensis, itemque *Ludolfus Castricus* Magdeburgensis se aperte indulgentiis opponebant, & *Conradus Kraft* Ulmensis ipsam Tezelii personam est aggressus, dicendo: *Es ist ein Lockvogel aufgestanden, der euch das geld gerne aus dem beutel schwätzen wolte, glaubet demselben nicht, liebe freunde; Christus allein ist unser*

nem decoxerant fidem, aut ejurarant conscientiam, tot veræ pœnitentiæ impedimenta objici ægre ferebant. Cum alii è contrario, vel per ipsos hos impetuosos horum turbonum clamores ad veritatem fuerint revocati, inter quos Annebergæ *Fridericus* (a) MYCONIUS, Lipsiæ *Johannes* HELTUS, *Joachimus* CAMERARIUS, aliique connumerantur. Nec aliter fieri poterat, quam ut Viri graves & rerum periti, vel prorsus, quæ talibus firmabatur fulcris, aspernarentur religionem, vel in ipsa his imposturis inimica veritate tanto stabilirentur magis, cum jam inde à longo tempore in Indulgentiarum Pontificiarum Quæstores pronunciavissent Viri Docti. Certe DECEMBRIUM, (b) egregium Seculi XV. Criticum & Oratorem Mediolanensem, accepimus impostoribus annumerare præcones ex aliena provincia venientes, & bullatas Literas magno populi concursu præ se ferentes, qui omnium animas delictis & pœnis absolutis ad cœlorum regna se transmissuras esse persuaderent, cum prius è stolida plebe pecuniam sint emuncturi. Quid WESSELUS Groninganus de iis senserit, luculentum in modum ex Ejus Epistolis, quæ ejus Opusculis leguntur subjectæ, conspici potest. Et sunt cumprimis memorabilia ejus Verba in Epist. ad Jacobum Hoek decanum Naaldwycensem: (c) *Neque parum horrori mihi est verbum tuum illud, quo mones, quod magis quam pro ratione mihi esse debeat auctoritas Papæ. Numquid Parisiensi Facultati Theologicæ non dico ratione majus fuit, imò nunquid fuit pro ratione Clementis auctoritas, quando temeritatem illam*

An-

unser Ablas und versühnopfer, so vor unser sünde gnug gethan und bezahlt. Et extat ipsius TEZELII ad *Johannem Ruellium* Epistola à SCHELHORNIO Amœn. Lit. Tom. III. p. 243. inserta, ex qua constat, jam ante tempus, quo Lutherus theses suas publicavit, fuisse in ipsa Lutheri patria *Islebia*, qui Tezelii mores & arrogantiam, quæ vel ex ipsa illa pellucet epistola, ægrè ferebant.

(a) vid. SECKENDORF. L. I. p 179. & LOESCHER. T. I. p. 405-409. itemque *Chr.* WEIS. in Vita Myconii Lips. 1739. edita.

(b) vid. DECEMBR. Politiæ Literariæ L. I cap. 4. apud HEUMANN. in Luth. Apocalyptico. p. 34, 35.

(c) vid. WESSEL. Opuscul. p. m. 892.



MARTINUS LUTHERUS NAT. 1483. DENAT. 1546.

Lutherus decimum confecit strage Leonem
De clava noli quærere penna fuit.

Angelis in cælo præcipientem reprehenderunt & correxerunt? quando cruce signatis ad eorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiebatur. Item, quando indulgentias à pœna & culpa publicabat. Horum tamen errorum hodie bullæ plumbatæ reperiuntur. Quid *Facultas* PARISIENSIS de Indulgentiis senserit, ex ejus decreto (a) liquet, quo pronunciat, „ illam sententiam, quo asseritur animas ex purgatorio volare in Paradisum soluto nundinatoribus nummo, esse *falsam*, scandalosam, suffragiorum „ pro defunctis substractivam, tenorem Bullæ cruciatæ excedentem, & si fuerit prædicata, temerarie assertam fuisse, & pro „ conscientiarum quietatione revocandam. „

XLII. Inter reliquos autem in Saxonia Septemvirali, sive, Electorali, qui illum hominum ad Indulgentias, instinctu pudendo prorsus atque incredibili concursum ægerrime ferrent, erat quoque MARTINUS LUTHERUS Saxo Islebius, (b) Monachus Augustinianus, Theologiæ Doctor. Witebergensis, qui in monasterio suo homines monere cœpit: *Agerent prudenter, neque merces istas, Juterboci, (oppido Wittemberga vicino) à Tecelio expositas tanti emerent, præstare facultatibus suis sublevare pauperes, quam incertam gratiam certa pecunia redimere.*

Atque hæc PRIMA fuit immutandæ atque à scoriis repurgandæ Religionis Pontificiæ occasio, quam ut uberius illustremus necesse est.

Certè dubitari nequit, quin Lutherus, qui jam in ipsa Juventute, pio satis, pro temporum illorum ratione, consilio, studio Juris, cui incumbebat, renuntiaverat, atque ad Sacra se receperat studia, votoque, (quod consternatus fulmine & violenta per illud commilitonis morte A. 1505. susceperat,) obstrictus, invito licet parente, se ad collegium monachorum ordinis Augustiniani quod Erfordiæ (ubi jam A. 1503. Magister artium anno ætatis vigesimo fuerat renunciatus,) erat, contulerat, conscientiæ stimulis actus hanc gravem prorsus ac difficilem susceperit causam.

Erat

(a) v. Caroli du PLESSIS D'ARGENTRE Collect. Judiciorum de novis erroribus T. I. P. II. p. 385. unde hoc Judicium inter Documenta Num. X. retulimus.

(b) v. MATHESIUM in Vita Lutheri & ex eo Scultet. p. 6.

Erat is usus antehac in schola Isenacensi, per triennium præceptore Viro Docto, & prouti illa ferebat ætas, Philosopho JODOCO *Isenacensi*, (a) atque ab eo Philosophiæ equidem Scholasticæ erat innutritus, ut simul tamen etiam addisceret, in rebus fidei solis Libris Canonicis S. Scripturæ, (quos tamen Lutherus Erfordiæ prima vice integros vidisse (b) dicitur,) fidem habendam esse. Fuit is deinceps A. 1507. sacerdotio initiatus, cui satis strenue quod invigilaverit, vel hostes ejus non diffitentur. (c) Erat jam ipse, cum inde ab A. 1508. Witebergæ versaretur, ibique Aristotelis Logicam & Physicam in Augustinensium monasterio publicè doceret, A. 1509. conquestus in Epistola (d) ad Braunium, *violentum sibi esse studium Philosophiæ, quam lubentissimè cum Theologia mutaturus esset, eâ nempe, quæ nucleum nucis & medullam*

(a) Edidit is *Jodocus* A. 1517. *Summam Philosophiæ naturalis*, cui EOBANUS HESSUS hoc præfixit elogium.

Garrula stelliferum mirari desinat orbem
 Fama Syracusium composuisse Senem.
Vulcani clypeos, Asiam Europamque ferentes
 Afferat, invenit fabula prisca fidem
Quandoquidem exiguo naturæ summa libello
 Tam bene composita est docte Jodoce tibi.

(b) v. GOETZ Emend. Sacr. per Lutherum p. 23.

(c) Sunt *Casp.* ULENBERGII de Vita Lutheri p. 8. verba memorabilia: *Cæterum ab eo tempore, quo Sacerdotio perfungi cœpit, quotidie fere sanctissimum Missæ sacrificium offerre consuevit: donec tandem in Novo Testamento nec sacerdotium nec sacrificium externum esse*, per Satanam *rationibus quibusdam sibi passus est persuaderi.*

(d) vid. Ep. Luther. L. 1 ep. 2. p. 3. & 4. Et quanti is æstimaverit Aristotelis nugas, quas perdita sui seculi studia appellat ex Epist. ad Joh. Langum data A. 1516 (vid. p. 10. Ep. L. 1.) apparet: ubi: *Nihil ita ardet animus, quam histrionem illum, qui tam vere Græca larva Ecclesiam lusit, multis revelare, ignominiamque ejus cunctis ostendere. Habeo in manibus commentariolos in primum physicorum, quibus fabulam Aristei denuo agere statui, in meum istum Protbea, illusorem vaferrimum ingeniorum, ita ut nisi caro fuisset Aristoteles, vere eum Diabolum fuisse non puderet asserere, Pars crucis meæ vel maxima est, quod videre cogor Fratrum optima ingenia bonis studiis nata, in istis cœnis vitam agere & operam perdere.*

lam tritici & ossium scrutaretur. Romam missus (a) A. 1510. jam profanam multorum ibidem sacra administrandi rationem vidit & notavit, quos, dum hostiam consecrabant hæc verba demurmurasse audiverat: *Panis es & panis manebis*, quique ipsum, quod non celeriter satis sacram missam celebraret, maledictis incessere non verebantur.

Cum Theologiæ deinceps in Auditorio Witebergensi Professio ipsi demandata esset, ipseque A. 1512. Theologiæ Doctor per *Andr. Bodenst. Carolostadium* esset renunciatus, ante omnia Epistolas Paulinas enarraverat, quas cum Augustino sedulo evolvens exinde didicerat genuinam de *Justificatione gratuita* (b) *per fidem* & de *Servo arbitrio* doctrinam, quam utramvis abinde strenuè pariter atque constanter est tuitus, ut eum redivivæ Theologiæ merito appellemus Patrem.

Scripserat jam A. 1516. ad amicos, inter alia, hunc in modum. (c) *Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt & regnant in nostra universitate Deo operante. Aristoteles descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam.* Quin imo etiam publicam *de libero arbitrio* Disputationem jam hoc ipso anno 1516. conscripserat Lutherus, in qua, cum videret, doctrinam ejus temporis non esse sobriam ac sanam, nec cum verbo divino con-

M gruen-

(a) Extat de *hac Profectione Lutheri in Urbem Romam* narratio DRESSERI, hodie rarò obvia:

(b) Sunt memorabilia ejus A. 1516. ad Ge. Spalatinum Ep. L. 1. ep. 20. p. 27. b. scripta verba, in quibus Erasmo obviam it, atque ita inter alia: *Nequaquam igitur*, infit, *Justitia Legis seu factorum tantum est in cerimoniis, sed rectius etiam in universi Decalogi factis. Quæ quando fiunt extra fidem Christi, etiamsi faciant, Fabricios, Regulos, & plane integerrimos viros apud hominem:* non *tamen plus sapiunt justitiam, quam sorba ficum. Non enim ut Aristoteles putat, justa agendò justi efficimur, nisi simulatione: Sed justi* (ut sic dixerim) *fiendò & essendo, operamur justa: prius necesse est, personam esse mutatam, deinde opera, prior placet Abel, quam munera ejus.* Sic iidem in Ep. ad Jo. Langum Ep. L. 1. ep. 25. p. 34. *Video* inquit, *quod non ideo quis sit Christianum vere sapiens, quia Græcus sit & Hebræus, quando & beatus Hieronymus quinque Linguis monoglossen Augustinum non adæquavit, licet Erasmo aliter sit longe visum. Sed aliud est judicium ejus, qui arbitrio hominis nonnihil tribuit, aliud ejus, qui præter gratiam nihil novit.*

(c) v. Lutheri Ep. L. 1. ep. 27. p. 35. a.

gruentem, (a) *Voluntatem hominis sine* Numinis *gratia* tantum ad *peccata* propendere & *liberam* ideò dici *non* posse, evincit. (b)

§. XLIII. Atque inter hæc ea, quæ de Indulgentiis ubivis spargebantur, acciderunt, accedente occasione quadam proxima, sed quæ maximi prorsus est momenti, tametsi ab omnibus quoque non observata: Quod scilicet A. 1517. quidam, peccata sua Luthero solenniter confessi, licet criminum atrocium sibi conscii, injunctas à Luthero, pro more seculi, pœnitentias recusarent, eo obtentu, se diplomatibus indulgentiarum esse munitos. (c) His etenim, spreta quam allegabant exceptione, absolutionem denegabat Lutherus, sicque pœnitentiam inter ea eximiè referebat, quibus conscientia constricti tenemur & à quibus nulla humana quenquam liberare poterat Indulgentia.

Hi verò, apud Tezelium, qui in vicino Juterbocensi oppido concionabatur, haud leviter questi, ita eum irritaverunt hominem, ut mirum in modum in contemtores Pontificii beneficii & juris debaccharetur, & inquisitionis, quæ Dominicanis contra hæreticos demandata erat, rigorem minaretur, aliquoties etiam ad incutiendum terrorem rogum in foro instrui juberet.

Atque hæc res Lutheri fervidum ceteroquin fervidius inflammavit animum, ulterius ea quæ proposuerat prosequendi atque efficacius tuendi, unde literas omnium primo exarandas judicabat ad ipsum, cujus authoritate fiebat hæc nundinatio curæ suæ pastorali invisa adeò, Albertum Moguntinum, itemque ad Hieronymum Episcopum (d) Brandeburgensem tanquam tractus Wittebergensis Ordinarium, & forte etiam ad Episcopum Merseburgensem, uti hi pro munere suo vellent injustam reprimere institoris mercandi libidinem, propterea quod verendum esset

(a) Vid. v. SEELEN Strom. Luth. p. 185.

(b) Quemadmodum Lutherus antequam è Papismo plane egrederetur in multis cœperit sapere, peculiari disputatione à *Jo. Gottl.* MOLLERO est evictum.

(c) vid. *Frid.* MYCON. Histor. Reform. à Tenzelio edit. & ex eo SECKENDORF. L. I. §. VII. p. 17. b.

(d) Hujus Hieronymi Antistitis Brandenburgensis Vitam exponit M. HANKIUS de Silesiis indigenis eruditis Cap. 64. p. 191. conf. *Kapp.* in Collect. rer. ad Indulgent. p. 386. seqq.

esset alioquin, ne gravius aliquod inde incommodum oriretur. Simul verò etiam è re esse judicabat, publice ut affigerentur *Theses adversus hanc turpissimam Nundinationem* xcv. quas in hac causa *omnium primas*, pridie Kalendas Novembres A. 1517. affixas novimus. (a) Quibus statim quod fuerint additæ Conciones à Luthero adversus Ecclesiæ Romanæ abusus habitæ, notari debet, una cum Sermone *de Indulgentiis*, quem Lingua Germanica eodem tempore publicabat. (b)

§. XLIV. Totam hanc causam ipso Luthero melius nemo enarraverit: Ita verò is, in acerrima *adversus Henricum Brunsvicensem* A. 1541. edita *Apologia* (c) Accidit, inquit, anno 1517. „ Monachum Dominicanum Johannem Tezelium, clamatorem „ insignem, Indulgentias prædicare, & pecunia ut poterat ven„ dere. Hunc Fridericus Elector Oeniponte à pœna submer„ sionis à Maximiliano I. illi decreta liberaverat; neque id ne„ gare Tezelius est ausus, cum id Wittebergenses atrociter cri„ minanti, Principis jussu objicerent. Illo tempore in cœno„ bio Wittenbergensi concionator & Doctor eram, vigens an„ nis, & recens quasi ex officina scholæ, multumque fervidus „ & alacer in Scripturis. Cum igitur vulgus magno numero „ Wittenberga in oppida, Jutterbock, Servestam & alia excur„ reret, ego verò (ita me Christus Servator meus salvet!) ne„ scirem, quid essent illæ indulgentiæ, neque magis id scirent „ alii, placide concionari cæperam, esse, quæ rectius fierent, „ quam excursiones illæ ad indulgentias adipiscendas: idem in „ templo arcis pro concione jam antea innueram, malam à Fri„ derico Electore (nam & hic speciales pro Ecclesia illa indul-

M 2 „ gen-

(a) Has Theses (quas huic Operi subnecti Num. xi curavimus) *Documentis Reformationis* Tom. 1. p. 439. seq. inseruit V. E. LOESCHERUS, easdemque de novo Latine & Germanice accuratissime edendas curavit Cl. KAPPIUS in libro cui tit. *Schauplatz des Tetzelischen Ablaßkrams*. pag. 77-107.

(b) vid. LOESCHER. Act. & Docum. Reform. T. 1. p. 469. seq. quanquam Cl. KAPPIUS in Collect. Indulgent. p. 303. & 304. dubitat, num is *sermo* tum jam fuerit editus, quippe cum omnia Exemplaria præ se ferant, annum sequentum 1518. aliaque sint quæ obstent, quo minus tum jam illum Sermonem prodiisse credi possit.

(c) apud SECKENDORF. Histor. Lutheranismi L. 1. p. 16. 4.

„ gentias dudum impetraverat) gratiam reportans, quia multum æstimabat Ecclesiam illam à se fundatam. Sinebam ita „ & negligebam omnia, cum ad me perferretur, quanta de Indulgentiis jactaret Tezelius„ Narrat inde vulgata illa de *peccato in B. Virginem* commisso, & quod *crux rubra* cum insignibus Pontificis in templis suspensa, ejusdem *cum cruce Christi efficacia* esset, quod plures animas salvasset per indulgentias suas, quam S. Petrus concionando, item de celerrima animarum ex purgatorio liberatione, quando *nummus tinniret*, & quod gratia Indulgentiarum eadem esset, ac gratia, qua homo cum Deo conciliatur, nec pœnitentia vel contritio necessaria esset, & quod pro futuris etiam peccatis venia daretur, & alia id genus, solius pecuniæ comparandæ causa instituta. *Nesciebam tamen*, pergit, *cujus usibus cederet pecunia, sed interim libellus edebatur sub Insignibus Magdeburgensis Archiepiscopi, quo Quæstoribus predicatio illa demandabatur. Constabat inde Tezelium, quia stentor maximus erat, ab Archiepiscopo Alberto conductum ad predicandum fuisse; tenebatur enim Albertus pro adepto Moguntino Episcopatu pallium Roma redimere, nam brevi tempore tres Archiepiscopi decesserant, Bertoldus, Jacobus, & Uriel, palliique pretium, quod quidam* 26000 *alii* 30000 *florenorum esse dicunt, toties solutum erat. Invenit igitur hanc conquirenda pecunia Fuggeris Augustanis, qui eam prænumeraverant, restituenda artem, & hunc nummorum per clamores extorquendorum Magistrum, qui etiam magnam jam summam confecerat, ex qua tamen dimidia pars Pontifici ad Fabricam S. Petri mitti debebat. Ista omnia ab initio nesciebam. Scripsi ergo ad Albertum, measque Theses misi, rogans ut pro officio suo, predicandi illam licentiam Tezelio inhiberet, timendum enim esse, ut tandem mali aliquid per illam oriretur. Idem ad Episcopum Brandenburgensem ut ordinarium scripsi, qui mihi valde favebat. Hic respondit, me potestatem Ecclesiæ impugnare, magnasque mihi molestias concitaturum esse, sibi satius videri ut quiescerem. Cogitabant, ut arbitror, uterque, Pontificis potentiam mihi homini misero & mendico gravissimam fore. Ita editæ fuerunt propositiones meæ contra Tezelium, & intra dies quindecim totam fere Germaniam pervaserunt. Omnes enim querebantur de Indulgentiis, & de Articulis inprimis*

Te-

Tezelii. Tacebant Episcopi & Doctores, metu Dominicanorum, hereticæ pravitatis inquisitorum, qui igne grassabantur, & Tezelius pastores aliquos, qui aliquid mussitaverant, acriter represserat.. Itaque pro egregio Doctore laudabar, qui unus tandem rem aggredi ausus essem, sed mihi ista fama non placebat, cum dubius hærerem, quid essent indulgentiæ, & negotium supra vires meas esse metuebam. Das Lied wolte meiner Stimme Zu hoch werden.

§. XLV. Tria sunt potissimum, quæ in censum hic veniunt, atque ab Adversariis Pontificiis referuntur, hic refellenda malevola, quibus *Jo.* COCHLÆUS, *Laur.* SURIUS, *Jo.* RAYNALDUS, *Nic.* SERARIUS, Sforzia PALLAVICINUS, *Ant.* VARILLASIUS, *Lud.* MAIMBURGIUS atque alii, hanc causam obfuscare atque gravare annisi sunt, præjudicia: *Primum* est, ipsum Lutherum aulæ Romanæ fuisse infestum, quia quod ambierat, assecutus non esset, atque adeò eum gloriæ cupidum occasionem inclarescendi lubentissime arripuisse: *Alterum est*, Johannem Staupitium, Vicarium Augustinianorum Generalem, invidia ductum fuisse, quod cum antea Augustinianis ea munia quæstoria fuissent demandata, nunc in Dominicanum ordinem ea honorifica pariter atque lucrosa translata essent, eumque adeò Lutherum instigasse, ut quantum in ipso esset, huic instituto, suo ordini & damnoso & injurioso obniteretur. *Tertium* est, Ipsum Fridericum Electorem Saxoniæ singulari ductum fuisse invidia, adversus Albertum Moguntinum Cardinalem, totamque Domum Brandenburgicam, eundemque adeò clam instigasse Lutherum, ut in odium Alberti Archiepiscopi (Pontificis mandato Indulgentiarum Præcones commendantis) disputationes illas & inchoaret & continuaret. Præjudicii *tertii* cum jam sparsa esset calumnia A. 1518. incrustator HENRICUS inprimis erat *Brunsvicensis*, (a) magnus ille Lutheri & Saxonicorum Principum hostis, quippe qui publico scripto Fridericum, quod odio Moguntini, cui Archiepiscopatum Magdeburgensem inviderit, Lutherum foverit, & tumultum illum excitaverit, criminatus est: Præjudicii *Secundi* promulgatores

(a) vid. SECKENDORF. L. 1. §. XII. addit. II. fol. 27. a.

tores ſunt *Cochlaus*, *Bzovius* & *Maimburgius*, facti invidiam equidem à Luthero amolientes, ita tamen, ut vel ita ipſius conſiliis adhæſerit macula. *Primi* præjudicii cum ſecundo arctiſſimè connexi, authores ſunt iidem illi, quos jam nominavimus *Cochlaus*, *Varillaſius*, *Rainaldus* aliique, uti Maimburgius diſertis verbis dicit *Lutherum gloria cupidum occaſionem libenter arripuiſſe.*

I. Enimverò quam longe à vero diſſideant hæc omnia, atque meris inſcribenda ſint calumniis, quæ ſine die & conſule pro lubitu ſaltem effinguntur, ex ipſa jam enarrata conſtat Hiſtoria. Præterquam enim quod ſolis conjecturis noviter & impudenter excogitatis hæc innixa, meritò, donec certis & fidis teſtimoniis probentur, rejiciantur. Quis quæſo rerum, quæ tunc gerebantur, gnarus, non agnoſcit, hac ratione ſi gloriæ ſtimulis actus hoc theatrum ingreſſus fuiſſet Lutherus, eum non tam ambitioſi & honoris cupidi, ſed vel maxime inſani hominis characterem præ ſe tuliſſe? Neque enim, ut prætereamus, quod cum imperitiſſimis impudentiſſimisque adverſariis congrederetur, poterat neſcire, quæ ſibi odia imminerent, propter gratiam, quam illi ex quæſtura ſua ſibi apud eos, quibus rerum ſumma commiſſa erat, acquirebant. Uti nec cum ulla veri ſpecie dici poteſt, Lutherum æmulatione erga Tezelium concionatorem eloquentiſſimum ductum fuiſſe, atque adeò, quæ *Varillaſii* eſt inepta ratiocinatio, Lutherum id egiſſe, ut cum Tezelio de laurea veluti diſputaret, utque eo ſuperato pro maximo in tota Germania Concio-

(a) vid. MAIMBURG. Hiſt. Luth. L. 1. Sect. 7. apud Seckendorf. fol. 15. cujus hæc ſunt verba: *Sive igitur Vicarius iſte*, (*de* Staupitio loquitur) *ægre ferret, & pro injuria reputaret, quod Dominicani in Indulgentiis prædicandis præferrentur ordini ſuo, qui antea illo munere in Saxonia fungi ſolitus erat. Sive verè commoveretur corruptelis, quæ palam in publicatione indulgentiarum apparebant; querelas ſuas ad Principem detulit, & omnibus viribus reſiſtere Dominicanis decrevit. Quoniam autem adjutoribus contra adverſarios tam potentes & formidabiles opus ſe habere judicabat, ex toto religioſorum ſuorum & Doctorum etiam cœtu uti conſtituit viro, qui ſine contradictione maxima tunc exiſtimatione in Univerſitate Wittebergenſi florebat, celebri nempe Martino Luthero, qui præcipuus Author infelsis Schismatis fuit.*

cionatore haberetur: Non enim ulla (a) æmulatio de concionibus fuit, sed de Dogmatibus, & Tezelii insanos clamores si imitari voluisset, aut in iis præripere ipsi lauream, indignum plane illo ingenio atque eruditione, quam paulo ante in Luthero laudaverat ipse *Varillasius*, is commisisset facinus.

II. Sed &, quod *Staupitio* instigatore, aut tibias hujus litis inflante, Lutherus hæc non fuerit aggressus, imò &, quod privata inter Dominicanos & Augustinianos æmulatio, hanc nobis non cuderit fabulam, qui rerum rite ponderat rationes, esse poterit persuasissimus: Quid enim? an ægrè ferrent, qui Augustini (b) regulam sequebantur, rem, quæ absque molestiis multifariis atque impudentia incredibili suscipi non poterat, sibi non demandari, aut, an inviderent Dominicano Ordini, quod huic illa commissa essent latrocinia, quæ sine conscientiarum læsione patrari nullo modo poterant? inprimis cum nequidem ipsis solis, neque etiam ipsis primum, hæc indulgentiarum nundinatio mandaretur. Constat enim *Guardianum*, Alberto Electori in hoc munere datum fuisse *Socium*, ex *Francisci familia* monachum, eundemque (c) admodum invitum hanc suscepisse provinciam, quæ vel toti Franciscanorum Ordini dicitur displicuisse. *Tezelii enim excessus*, (uti MYCONIUS loquitur,) *jam in suspicionem venerant*, *quod omnia pecuniæ causa nec in animarum commodum agerentur.* Ut Franciscani speciatim quererentur, se jam satis molestiarum habere, ut ea quæ ad victum proprium, atque ædificiorum conservationem spectabant, mendicando conquirerent, neque adeò sibi commodum esse, ut pro ipso etiam Pontifice & pro Cardinalibus novam colligerent stipem. Quid? quod, iidem, ne Pontificis, bene de ordine (quippe ex quo nuper *Christophorum de Forlivio* Cardinalem creaverat, quanquam ad

(a) vid. SECKENDORF. L. c. p. 25.

(b) Facit huc cumprimis *Joh.* MOLLERI Theologi Hamburgensis *Lutherus adversus Pontificios defensus.* vid. BAYL. Dictionar. T. II. p. m. 1944. conf. BUDDEI Diss. *de Providentia Divina circa Reform. b. Lutheri* Jen. 1717. 4. editam.

(c) vid. Hist. Fr. Myconii ap. Seckendorf. p. 17. a.

ad id obtinendum triginta florenorum millia ordo utut mendicus contribuiſſet,) promeriti iram in ſe concitarent, dicantur conventum Vinariam indixiſſe, in quo Guardianus Moguntinus, Arnſtadienſis, Iſenacenſis, Salzenſis & alii, quo pacto ſine offenſa Pontificis ab hoc onere ſe liberarent ipſi, diſquiſiverunt: quando *Guardianus* Moguntinus poſt multam deliberationem id in ſe recepit, ſe Cardinali ſuo, ubi ea res in diſceptationem veniret, multas difficultates excitaturum, & in omnibus contradicturum eſſe, donec is, cum ſatis nota eſſet ejus ſuperbia animique faſtus, excandeſceret; quando tandem ad eum placandum, abdicationem injuncti ſibi à Pontifice negotii oblaturus eſſet, quò ex Cardinalis ſolius arbitrio tota res deinceps expediretur. Se ſperare ajebat, id ei gratum futurum eſſe, ſin minus, unicum ſupereſſe addebat refugium ad Pontificem, ut à concurſu cum Cardinali, cui ſatisfacere non poſſet, liberaretur. Concordant hæc cum iis, quæ *Sylveſter Prierias* in *Libello contra Lutherum* retulit, ſe *neſciviſſe quod Dominicanis Indulgentiarum præconium commiſſum eſſet, putaſſe, Franciſcanis id fuiſſe demandatum.* Idem confirmatur per Diplomata Indulgentiarum, quæ Albertus Cardinalis diſtribuit, in quibus Guardiani Franciſcanorum ſibi à Pontifice adjuncti mentionem facit. Neque verò etiam Alberto & Guardiano huic, ſolum in Moguntina, Magdeburgenſi, & Halberſtadienſi, ſed & in viginti quinque aliis provinciis, (quod jam in ſuperioribus viſum eſt) *Chriſtophoro de Forlivio*, modò laudato, Indulgentiarum promulgatio demandata erat, cujus vicarius quod SAMSON fuerit, *Franciſcanus Mediolanenſis*, qui Helvetiorum crumenas emunxit, ex deinceps enarrandis clarius pateſcet; Cum ex his ſaltem id colligi poſſit, quam nulla ſuperfuerit *Auguſtinianis*, vel *Staupitio* Auguſtinianorum Vicario provinciali, cauſa, cur hunc moleſtiſſimum certe & minimè invidendum honorem *Dominicanis*, hæreticæ pravitatis dudum inquiſitoribus, inviderent, quippe qui Auguſtiniano ordini concreditus fuerat nunquam, quia Franciſcanis potius, atque etiam toto decennio ante, ipſis jam Dominicanis, quando ſanè jam tum potius ille, ſi qui fuiſſet, ſe prodere debuiſſet Auguſtinia-

norum



JOHANNES TETZELIUS.

Monachus Dominicanus

Indulgentiarum Quæstor. mort. 1519.

norum vel invidiæ livor, vel æmulatio. (a) Accedit, quod nil quicquam in Actis temporum illorum, nec in Scriptis Lutheri reperiatur, quod eam ullo modo firmet suspicionem, cum tamen Lutherus, quo erat candore, ne defectus quidem suos tacere soleat. Sed quid hæc uberius adstruxisse (b) opus erit? cum ipse PALAVICINUS hic pro nobis sententiam pronunciet, atque huic conjecturæ à SARPIO aliquatenus suppeditatæ nil esse tribuendum judicet, dicens: *falsum est consuevisse hoc munus injungi Eremitanis, cum à Julio Minoribus impositum fuerit; Atque similiter Leo, Minorum Moderatori una cum Archiepiscopo Moguntino commiserat in pluribus Germaniæ locis die ultima Martii anni* 1515. *Equites etiam Teutonici paulo ante Patres Prædicatores adhibuerant ad promulgandas quasdam similes Indulgentias, ipsis collatas à Pontifice in subsidium adversus Turcas.* Ne jam dicamus, quod, si vel maxime aliquid humani ab initio Staupitium (c) (quem tamen consilii Lutheri plane ignarum fuisse constat, ut nec probari possit, illum cum Principe hac de re aliquid egisse,) aut ipsum etiam Lutherum stimulavisset, ansamque disputandi dedisset, (quanquam id temerè & sine fundamento traditur) nihil tamen vel hoc officeret veritati. Nam hæc, sæpe alia, imò contraria intendentibus & agentibus, ex divina irradiatione improvisa affulget, ne perfectioni hominum tribui possit, quod Dei solius benignæ præventioni & operationi debetur.

III. Quisquamne verò est, qui etiam credat, *Fridericum* Saxonem æmulatione & invidia ductum adversus Cardinalem & Domum Brandenburgicam, Lutherum instigasse, ut adversus hanc nundinationem diplomatariam, cornua erigeret? Cum tamen, ipso Principe prorsus inscio, *Lutheri positiones primæ* fuerint publicatæ, & ipse LUTHERUS (d) jam aliquid hujus susurrationis videatur percepisse, sub finem anni 1517. quando is ita ad Spalatinum: *Positiones nostras nolui in nostri Principis illustrissimi aut ali-*

(a) vid. WERNSDORF de primord. emend. relig. thes. 10. §. 1. 2. TENZEL. de orig. & progressu emend. sacrorum p. 133. seq.
(b) PALLAVICIN. lib. 1. c. 3. § 7. fol. 6.
(c) verba SECKENDORFII fol. 15. a.
(d) v. Epistolarum Lutheri Supplementum à Buddeo editum Ep. 2. p. 2.

alicujus aulici prius venire manus, quam eas percepissent ii, qui sese in illis notari crederent. Ne forte crederent, eas vel jussu vel favore Principis in Episcopum Magdeburgensem fuisse editas, sicut jam audio à multis eorum somniare. Sed salvum est nunc etiam jurare, quod sine scitu Ducis Friderici exierint. Prouti uberius hanc calumniam A. 1518. jam à quibusdam sparsam, sub ipso mensis Februarii medio refutavit in Epistola ad Ge. Spalatinum (a) alia Lutherus: quando, *Unum*, inquit, *illud te nosse volo, quod vehementer doleo, videlicet: illi ipsi rabulæ & multi alii cum illis nova machina instructi, ubique garriunt, Principis nostri illustrissimi esse totum, quod ego ago, tanquam inductus ab eo ad invidiam Archiepiscopi Magdeburgensis. Tu, quæso consule, quid hic faciendum: Principine sit aperiendum? Ego mei causa Principem in suspicionem venire, ægerrime omnino fero, & inter tantos Principes dissidii origo esse, valde horreo & timeo. Possum sustinere, ut me princeps offerat ad quamcunque Disputationem vel Judicium* (modo publica mihi detur fides) *tantum ne innocentem Principem in meam quoque invidiam involvant. Vide monstrosum hominum genus & tenebrarum populum lucis inimicum.* Quum verò deinceps A. 1541. de novo *Henricus Brunsvicensis* hanc incrustaret calumniam, tum de novo quoque Lutherus, uti jam diximus, (b) in edita adversus Henricum Apologia eandem diluit, commonstrando: tantum abfuisse, ut Saxo, Alberto Archiepiscopatum inviderit, ut potius omnem quoque impenderit operam, ut Albertus fieret Archiepiscopus Magdeburgensis, siquidem ex Saxoniæ Ducibus nemo quoque tunc esset, cui Fridericus eam dignitatem procurare potuisset; Simul verò etiam indicando, quam ipse antequam in Comitiis Wormatiensibus A. 1521. faciem Principis vidisset, non nisi semel, Lochauiæ scilicet A. 1519. eundem viderit, & cum eo sit collocutus, qui tum impensè Albertum quoque laudaverit. Addit SECKENDORFIUS, (c) tam properanter ad electionem

(a) vid. Epist. Lutheri ab Aurifabro edit. L. 1. ep. 39. pag. 51. b. 52.
(b) Conf. SECKENDORF. fol. 27 & 28. itemque V. E. LOESCHERI Differt. singularis *de Friderico sapiente ex profanis rationibus Sacra non mutante* Witteb. 1697. 4.
(c) v. SECKENDORF. fol. 27.

nem Alberti processisse Canonicos, ut, teste *Fabricio*, Ernesti defuncti mortem per aliquot dies celaverint, cadavere etiam fenestris admoto, donec rata fieret Alberti successio, ita ut nulli negotiationi ne locus quidem fuerit relictus.

§. XLVI. Atque ita, quod antehac verbo monebamus, collucescit, quam revera conscientiæ stimulis actus LUTHERUS, atque providi Numinis nutu hanc caussam fuerit aggressus; Et si libet ex hoste tanto lucidiorem pernoscere veritatem, En *Laurentii* SURII (a) verba: *In ipsis hujus tragœdiæ initiis visus est Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo Zelo moveri, planéque nihil spectare aliud, quam Ecclesiæ Reformationem, cujus quidam deformes abusus non parum malè habebant bonos omnes.* Vel, si authoritatem velimus recentiorem: Ita *Casp.* ULENBERGIUS (b) *Fatemur*, ait, *liberè (enimverò velimus nolimus) non sine causa vitia eorum, qui animarum curam agere debebant, a Luthero fuisse reprehensa. Multi enim non oves, sed lanam, non gregem sed adipem gregis quærebant.*

§. XLVII. Sic itaque, in SAXONIA jacta erat Reformationis alea. Quomodo in HELVETIA res successerit, porro enarrandum nobis est.

Helvetiorum Gentem, non æque literis & doctrina, quam armis inclytam ab antiquis accepimus. Erat ea, posteaquam excusso jugo Austriaco se in auream libertatem vendicasset, arcto satis nexu Pontificibus Romanis copulata, & singulari amicitiæ fœdere ipsis innexa. Quum verò universalis plane esset Ecclesiæ Pontificiæ corruptio, totque Viri præclari & veritatis Testes heroico conatu & plus quam solita alacritate se errorum exundanti flumini velut opponerent, tum nec in Helvetia de-

N 2 ficie-

(a) In Commentar. rerum in orbe gestarum ad Ann. 1517. ap. HOTTING. Sec. xvi. T. n. p. 88.

(b) v. ULENBERG. ad Florim. Remund. de Orig. hær. L. 1. c. 8. conf. EUND. in Lib. de vita & moribus Lutheri c. 2. pag. 18. ubi profitetur, *factum esse, ut partim concionatorum importunitate*, partim *vulgi credulitate & imprudentia*, partim *etiam antistitum incuria & securitate abusus quidam in hoc negotio subnascerentur*. Conf. GUICCIARD. Hist. Ital. L. xiii. fol. 480.

ficiebant, quibus ea res curæ esset cordique. Inter hos, uti circa seculi *Decimi quinti* finem, celeberrimus eminebat Scaphusanus, *Joh.* GEILERUS dictus KEISERBERGER, (a) ita singularem in modum is purioris doctrinæ semina jam *Argentoratensibus* inde ab A. 1477. usque ad A. 1510. per 33 annos instillavit, ibique non tam viam Reformationis negotio stravit, quam ipse reformavit Ecclesiam, deinceps tantopere florentem & longè latèque splendentem; Circà seculi autem *decimi sexti* principium eminebat THOMAS WITTENBACHIUS, Patricius. Biellensis, A. 1472. natus, Professor primo Tubingensis, dein Basiliensis, ubi circa A. 1526. plena cum fidei parrhesia mortalitatem deposuit: Hunc enim & *Indulgentias publica disputatione* Basileæ in consessu publico, in schola ac palæstra Theologica (b) jam *improbasse*, & mortem Christi *unicum pro salute Lytrum* esse diserte (c) professum fuisse, atque id ipsum quoque discipulos ejus cumprimis in Academia Basileensi docuisse, ex illorum temporum fide dignis novimus Documentis; Uti quod *pro Sacerdotum conjugio* strenuè disputaverit ac eruditè, ex thesibus illis, quas in ejus Vita (d) nuper publicata videmus exhiberi, collucescit; Et quantus is fuerit, ex LEONIS JUDÆ Epistola, quam Annotationibus Zwinglii super Evangelistas præmisit, abunde patet, qui sic de eo scriptum reliquit ad Senatum populumque Biellensem: (e) *E vobis prodiit nobis D. Thomas ille Wittenbachius, Vir in omni disciplinarum genere exercitatissimus, & qui propter multijugem eruditionem omnibus istius seculi doctissimis hominibus miraculo & stupori, & Phœnix quadam habitus est. Quo preceptore Zwinglius & ego, uno eodemque tempore*

circa

(a) Conf. *Beati Rhenani* narrationem de *Geilero Keisersbergio*, itemque vitam ejus, à *Melch. Adami* editam in Vitis Theologorum Germanorum. fol. 3. 4. 5. 6.

(b) Vid. VERHEIDEN Vit. & effig. claror. Vitor. in Vita *Zwinghi* p. 51. & ZWINGL. Operum T. 1. p. 37, 38. apud Hotting. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 205.

(c) v. Vita Th. *Witenbachii* nuper à Cl. SCHEURERO Ling. Germ. edit. p. 14.

(d) vid. L. c. p. 27-30.

(e) apud PANTALEON. in Prosopograph. Tom. III. p. 43.



HULDRICUS ZWINGLIUS NAT.1487.CÆSUS AB HOSTIB:AN.1531

Zwinglius et calamo et signis dum pugnat utriq̃ue
Victo et vincenti par data palma fuit.

circa annum Domini 1505. Basileæ Literis operam navantes formati sumus. Nec solum in cultioribus disciplinis, quarum erat callentissimus, sed in Scripturarum quoque veritate. Ut enim homo ille præter singularem eloquentiam, acuto erat ingenio, multa quæ posteris temporibus ab aliis prodita sunt, prævidebat & præsagiebat, ut de Indulgentiis Papisticis, & aliis rebus, quibus Romanus Pontifex stultum mundum aliquot jam seculis dementaverat. Ex hoc hausimus quidquid nobis fuit solidæ eruditionis, atque hoc ei etiam debemus.

Inter hujus itaque discipulos, uti ZWINGLIUS, & LEO JUDÆ fuerunt, ita *Conradum* PELLICANUM, *Fabric. Wolfg.* CAPITONEM, & *Joh.* OECOLAMPADIUM inter ejus coætaneos fuisse certum est.

Sed de his, quædam nobis, antequam ulterius in rerum gestarum expositionem uberiorem nos immittamus, sunt recensenda.

§. XLVIII. Erat HULDRICUS ZWINGLIUS, non minor certè apud Helvetios, quam apud Saxones Martinus Lutherus, Doctrinæ à scoriis Papisticis & Ecclesiarum à veneno Antichristiano Reformator, atque Evangelii purioris Restaurator. Natum hunc nobis dedit comitatus Toggii pagus non ignobilis dictus *Wildenhaus*, (a) altissimis propemodum montibus adæquatus, atque tanti viri natalibus in posterum nobilior; Ibi verò ex antiqua pariter atque honesta familia (non, obscuro genere, quod PALLAVICINUS asserere non erat veritus) ipsis Kalendis Januarii Anni 1484. lucem primus adspexit: Literarum tyrocinia is *Bernæ* posuit apud *Henricum Lupulum*, magni tum nominis virum atque doctissimum; *Viennæ* in Philosophicis cumprimis se informari passus est, atque inde *Basileam* reversus, ubi jam infantiles quoque antehac sub *Gregorio Binzlio* in schola triviali transegerat annos, animum sub laudato *Th. Wittenbachio* ad Theologica appulit, quem ipsum Zwinglius deinceps per omnem vitam, præceptorem (b) est veneratus, atque ingenuè semper con-

(a) vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 193. seqq.

(b) Extat in Archivo Tigurino Epistola MS. *Huldr. Zwinglii* ad Wittenbachium, Biennam A. 1523. scripta, ubi initio statim: *Quod quereris, frustra te ætatem tam tuam, quam nostram in sophismatum nugis detrivisse, non-*

confeſſus, ſe ab eodem Wittenbachio, primum edoctum, intellexiſſe, (a) *Jeſum Chriſtum nobis à Patre juſtitiam & ſatisfactionem* pro peccatis mundi factum eſſe. Urbs *Glaronenſis*, opportunum illi ad miniſterium ſacrum præbuit aditum, eumque jam inde ab A. 1506. habuit Concionatorem ita dictum plebanum, legitime vocatum, qua in functione is per integrum verſatus eſt decennium, atque tum cummaxime verbi divini ſcientia & literarum humaniorum, ultra quam ſeculi ejus mores ferre poterant, notitia multifaria animum perpolivit, uti de eo refertur, quod tum jam impenſe adeò, illum rerum ſacrarum Doctorem Paulum adamaverit, ut cum ſibi non ſolum in exemplum poneret, ſed &, ut ne quid ſibi ex ejus doctrina & ſcriptis animo elaberetur, omnes ejus Epiſtolas ex Græco Codice ſua manu deſcriberet, ſibique eas ita redderet familiares, ut hunc ſuum quoque Epiſtolarum librum (quem in Bibliotheca civica tanquam κειμηλιον ſervant Tigurini) ex Patribus, (b) Origene, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo atque aliis, decerptis obſervationibus ac notis illuſtraret, atque fideliter penitus eundem, ipſas Pauli Epiſtolas complexum, memoriæ imprimeret, eumque in promtu haberet. Præterea verò etiam hæc ipſa urbs *Glaronenſis* eum de rebus ſacris diſputantem non ſemel, & concionantem, officiumque ſtrenue facientem vidit, quando abuſus Pontificios & ſuperſtitiones non ſolum magna cum linguæ libertate reprehendit, verum etiam ſanioris doctrinæ ſemina pridem concepta, nemine extra patriam in conſilium adhibito, inter eos ſparſit, atque aliis, ut ad ejus Exemplum, imitationemque doctrinam inſtituerent, exemplo fuit, inter quos præcipue illuſtres Glaronenſis urbis Reformatores

Fri-

non injuria facio. Quanquam nihil eſt, quod noſtra cauſa turberis. Dedimus hoc jam olim temporum injuriæ. Verum pœnitendo nihil efficimus, quam quod aliis exemplo ſumus, qui paulo ſunt ingenio magis ingenuo, ne illi diutius, quam par ſit inhæreant, à quibus nos eſſe avulſos, ut vehementer gaudemus, ita non parum dolet, ſerò nimis avulſos.

(a) Vid. Rod. GUALTHERI præfat. in prior. partem Homiliar. in Evang. Matthæi. cf. *Miſcell. Tigur.* T. III. p. 101. ſeqq.

(b) HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 196.

Fridolinus BRUNNERUS, (a) *Valentinus*, *Petrus*, & *Ægidius* TSCHUDIUS, atque plures alii, deinceps enarrandi, ceteris excelluerunt; Cæterum, quod is præcise Anno millesimo *quingentesimo decimo sexto* jam Evangelium, misso scilicet Papalibus imposturis, & hominum commentis, nuncio, prædicare inceperit, ipso in hac causa fide omni dignissimo teste, novimus, *tum scilicet, cum Lutheri nomen* (b) *iis in regionibus planè auditum nondum erat;*

Ut hos Heroes utrosque à Deo suscitatos, atque ad ingens illud Opus suscipiendum divina virtute instructos, ex compacto quodam egisse, atque communicatis consiliis Papales nænias expugnasse nemo suspicari possit: Quæ eo tamen fine potissimum à nobis monentur, ut, quam non humana arte aut provido hominum consilio Reformationis negotium, cœptum, promotum & perfectum fuerit, sed solo nutu, atque provido ipsius DEI consilio, constet; non autem, quasi ullo modo præjudicare hæc res vel Lutheri meritis gravissimis, vel Lutheri nomen professis debeat, quippe cui libenter Heroicam illam tribuimus fortitudinem, qua omnium primus tanto cum fervore, tantoque cum strepitu Civitatem Papalem, stomachuum monachorum & coronam Pontificiam oppugnare est ausus, uti nec ejus asseclis ullo modo invidemus, ut nobiscum in hoc Viro Dei, atque magis adhuc, in ipso DEO, hos Viros Ecclesiæ suæ divi-

(a) vid. J. H. HOTTING. l. c. p 377. ubi BRUNNERUS hunc in modum ad Zwinglium. *Ne te lateat, in omnibus nostris Glareanis Ecclesiis Evangelium pulchrè procedere Deus det & augeat gratiam .... Audeo ego intrepide omnem Ecclesiæ abusum, & omnia humana præcepta, in enuntiatione verbi Dei damnare* &c. conf. J. J. HOTTING. Helvet. Kirchengesch. T. III. p. 13.

(b) Hæc sunt ZWINGLII verba Operum T. I. p. 37. *Cœpi ego Evangelium prædicare anno Salutis decimo Sexto supra millesimum & quingenterimum, eo scilicet tempore, cum Lutheri nomen in nostris regionibus ne auditum quidem adhuc erat. Sic autem prædicavi, cum Missa adhuc in usu esset Pontificiis, Evangelium quod in Missa legebatur, populo proposui explicandum*; Explicandum, *inquam non hominum commentis, sed solo Scripturarum Biblicarum collatione* &c. Sunt quoque verba *Wolfg.* CAPITONIS in Epist. ad Bullingerum (apud Hotting. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 207.) *Nam antequam Lutherus in lucem emerserat, Zwinglius & ego inter nos communicavimus, de Pontifice dejiciendo, etiam dum ille vitam degeret in Eremitorio &c.*

divinitus excitante & tanquam è Cœlo demittente, glorientur & exsultent, (a) cum sane quæcunque hic in homines manat gloria, ea, uti à Deo profluxit, ita in Deum solum redundare debet.

§. XLIX. Quidquid sit, Zwinglium, quod is gratia polleret atque facundia, (b) amoremque suorum sibi comparasset, eodem anno 1516. circa autumnum ab Administratore & Præfecto Monasterii Benedictinorum Einsidlensis, (vulgo *Eremus Helvetiorum* dicti) D. Theobaldo Barone à GEROLDSEGK Viro illustri & pio vocatum fuisse novimus, ut in illo Virginis Eremitanæ templo, per totum orbem Helveticum & Superioris Germaniæ celebratissimo, Pastoris & Ecclesiastis munere fungeretur. In quo monasterio, is, cum Præfecti, tum Abbatis amicitia, atque favore fovebatur, uti *Franciscus* ZINGKIUS, Sacellanus Pontificis, *Michael* SANDERUS, *Joh.* OECHSLINUS, aliique Viri Docti, (c) tum in eodem cœtu cele-

(a) Totam hanc causam melius componi non posse judicamus, quam verbis *Johannis* STURMII Argentoratensis, tum temporis Academiæ qui Rector erat, is in Antipappo IV. P. 1. p. 1, 2. ita; „ Prima laus Evan„ gelici luminis debetur Friderico Electori Saxonico, & Philippo Land„ gravio Hassiæ, inter Imperii Principes; Extra Imperium, ut multi ju„ dicant, primam laudem inter civitates, Tigurinorum Respublica sibi „ jure potest arrogare.

„ In Imperio & in liberis civitatibus nostra Respublica (Argentora„ tensis) prima fuit, quæ ceteris urbibus exemplo esset. Quanquam etiam „ Helvetiis cum Imperio vetusta necessitudo est.

„ Fridericum Saxoniæ Ducem & Imperii Electorem *Martinus* LU„ THERUS excitavit, Tigurinos *Huldricus* ZWINGLIUS. In urbe „ nostra (Argentorato) *Mathias* ZELLIUS extitit, qui Pontificis autho„ ritatem ausus fuit contemnere, & doctrinam populo Argentinensi ex„ plicare Domini nostri Jesu Christi.

(b) Quæ verba sunt PALLAVICINI de Zwinglio in Hist. Conc. Trid. L. I 19. 1. fol. 26. Tantum abest, ut illa Monachorum quorundam, quibus *Bucelinus* inhæret & *Bzovius*, fabula, seu potius calumnia, fidem mereri possit, referentium, Zwinglium à Glareanis civibus ejectum fuisse atque expulsum; conf. HOTTING. Helvet. Kirschengesch. T. III p. 14. Uti quoque alteram fabulam, quasi *odii vel vindictæ studio religionem mutaverit Zwinglius*, refutat HOTTING. H. E. Sec XVI. T. II. p. 212.

(c) Vid. *Miscell. Tigurin.* in Vit. Leonis Judæ T. III. p. 26. & 27.

celeberrimo florebant, Linguis, Verbò Dei & Studio Patrum operam navantes, diligenterque *Reuchlini*, & *Erasmi* & deinceps *Lutheri* quoque scripta pervolventes. Ipse verò Zwinglius in id juxta incumbebat, ut à cultu sanctorum (a) ad fidem Christi, atque ab hominum figmentis ad Scripturæ S. placita & doctrinam, transferret populum, suæ curæ pastorali demandatum, dum interea Literas etiam plures unis ad Episcopum *Constantiensem* (b) & ad Cardinalem *Sedunensem* (c) exarabat, quibus hos Præsules, utrosque sibi faventes, nec admonitionibus asperos, ut Ecclesiam sua authoritate reformarent, omni opere hortabatur, manifesto indicio, rectius Palavicinum Sarpio, (in aliis licet minime fidus sit P. Sarpii hyperaspistes) in eo rationes subducere, quod tradit, *non ab adventu F. Sampsonis*, ac pro inde, à Romana libidine pecunias emungendi, *novam Zwinglii* (uti appellat) *hæresin deduci debere*, quippe quæ N B. *jam viguerit, antequam F. Samson* (d) *accessisset*, itemque, quod refert, *novarum rerum initium Zwinglium non fecisse occasione Indulgentiarum*, sed longe graviorum ac difficillimorum *articulorum*. Sed & meretur id commemorari, quod de Zwinglio, *Osv.* MYCONIUS retulit, eum ab initio, inde ab eo tempore scilicet, quo Lutheri scripta priora (e) in Helvetiorum manus deveniebant, (quod jam mature factum esse, notum est,) prorsus abstinuisse à lectione Librorum Lutheri, ne videretur scilicet ex Luthero hausisse, quæ per Scripturarum & Patrum primorum lectionem,

O item-

(a) ZWINGL. Opp. Tom 1. p. 37. & 230. & RUCHAT. Hist. de la Ref. de la Suisse T. 1 p. 41.

(b) Is erat HUGO Vir heroica corporis proceritate, comitate singulari, homo sincerus & absque fuco, absque supercilio, non militaris, ut fere solent apud Germanos, sed vere sacerdotem agens, teste ERASMO Ep. n. 650. p. 754.

(c) Is erat *Matheus* SCHEINER, magna prudentia & singulari eloquentia Vir, de cujus virtute bellicosa in favorem Maximiliani Imp. vid. PANTALEON lib 3. fol. 25. conf. Epistol. Erasm. n. 163.

(d) Enimverò, nisi præcisè adventum Samsonis in Urbem Tigurinam intendat Palavicinus, quomodo hæc cum rationibus temporum conciliari possit, non apparet.

(e) vid. Osw. *Mycon.* in Vit. Zwinglii ejus Epistolis præmissa n. 3. b.

itemque per Spiritus ſummi Doctoris illuminationem vera eſſe cognoverat, ut publicè tamen & pro ſuggeſtu non ſemel ſuos, ad eos emendos pariter atque legendos fuerit cohortatus, quò vel ſic populus videret ſpiritus in utroque unitatem ex divinis Literis hauſtam.

Inter hæc Eccleſia Tigurina parocho primario deſtituebatur, atque, non deerant, qui omnem navabant operam, ut Zwinglius ei ſubſtitueretur, id quod brevi poſt, ſub finem Decembris A. 1518. operâ *Oſwaldi Myconii*, (a) factum eſſe novimus. Ibi protinus in Canonicorum Concilio, (b) quid, quave ratione eſſet populum docturus, exponit, *Hiſtoriam nempe Chriſti Servatoris univerſam*, qualiter eam deſcripſit *Matheus*, morem illum à Caroli M. temporibus receptum, atque à jejunis Monachis & Papiſtarum concionatoribus inertiæ deſidiæque litantibus retentum, *Evangelicas Perciopas* easque vel *Dominicales* vel *Epiſtolicas* exponendi, cum reprobaret, tanquam ignorantiæ pulvinar; Atque ejus conſilii utiliſſimi ſtatim in ipſo muneris primordio, primordia cepit in ipſis Chriſti Natalitiis, fauſtoque deinceps Numine, nec ſine benedictione divina, in eccleſia cathedrali frequentiſſima & populoſiſſima id eſt exſecutus, atque ea ratione ſaluberrimos doctrinæ ſalutaris fontes, quos obturaverant Pontificii, de novo aperuit, atque ex iis hauſtus animam ſanantes populo propinavit.

§. L. Erat hoc tempus, quo *Bernhardus* SIMSONIS de Mediolano, Indulgentiarum à *Chriſtophoro Forlivio* Cardinali ſubſtitutus Nundinator, non minori cum impudentia in Helvetia, quam in reliquis Germaniæ regionibus Tezelius & ejus ſimiles, Indulgentias urgebat, merceſque ſuas ſacras, tam incredibili cum protervia venum exponebat, ut omnium ferme odium is jam incurriſſet, quando & Zwinglius, (dudum antehac qui doctrinæ puritatem jam ſectatus erat, atque Evangelium à ſcoriis Pontificiis repurgatum annunciaverat,) impiam illam atque deteſtandam ſimoniam gra-

(a) Erat is *Oſwaldus* MYCONIUS Vitæ Zwinglianæ conſcriptor, tum ludi Tigurini literarii moderator, & magnæ apud Tigurinos authoritatis.

(b) MYCON. l. c. n. 3. a.

graphice depingebat, idque unà cum reliquis efficiebat, apud ſuos Tigurinos, ne hujus blateronis imposturæ in urbem Tigurinam intromitterentur, ſed ipſe Impoſtor ſolum vertere, atque relicta Helvetia, quam per octodecim fermè annos jam emunxerat, Italiam repetere cogeretur. Tum verò etiam ſimul ad ipſum Pontificem Leonem X. datas eſſe à Tigurinis Literas deinceps videbimus, quando totam hanc ſcenam Indulgentiariam apud Helvetios repræſentatam exhibebimus.

§. LI. LEO JUDÆ, quem jam diximus ipſius Zwinglii commilitonem, quemque *heroica pracellentia virunculum* appellat nonnemo (a) *& talem, cui quidquid in bonum Virum laudis dici poteſt, non tam adeſt, quam ſupereſt abundè*, natus erat ex familia honeſta ac nobili Alſatica A. 1482. atque primis ætatis ſuæ annis in urbe Seleſtadienſi (quam plurimorum Virorum doctorum tum temporis fuiſſe patriam novimus) ductu *Cratonis* Ludimagiſtri literarum didicerat rudimenta, quibus perceptis deinceps Anno *novi ſeculi quinto* apud Baſileenſes ſtudiorum ſeveriorum rationem eſt proſecutus, ſeque ſacratiori ad pedes *Wittenbachii* cumprimis dedit ſcientiæ, ibique, una cum Zwinglio (tum jam apud Glaronenſes Paſtore) A. 1512. artium Magiſter eſt declaratus, neque illam, quam cum Zwinglio iniverat conſuetudinem atque familiaritatem, deinceps diremit unquam, fidiſſimus ejus amicus, comes, collega, atque in non uno munere ſucceſſor. Primò equidem in Alſatia ad S. Hippolytum (b) quod is Paſtoratus munus acceperit, in deſcriptione Vitæ ejus traditur, unde tamen ſtudiorum, quæ Baſileæ florebant, gratia redux Baſileam eſt reverſus, ibique ad ædem S. Theodori Eccleſiaſtæ munere functus eſt. Deinceps relicta Baſilea ſeſe recepit in Eremum (c) Helvetiorum, modo dictam, quando

 Zwing-

(a) *Joh.* LIECHTENBERGER ad Zwing. ap. HOTT. Helv. Kirchengeſch. p. 15.

(b) Vid. *Miſcell. Tigurin.* T. III. pag. 13. ſeq.

(c) v. Epiſt. *Zwinglii* ad Leonem Judæ A. 1518. d. 15. Decembris ap. J. H *Hotting.* H. E. Sec. XVI. T. II. p. 363, 364, 365. ut Doctiſſ. RUCHATUS Hiſt. Ref. de la Suiſſe T. I. p. 11. humani quid paſſus videatur,

Zwinglium amicum veterem ad Tigurinos migrasse noverat, cui quò esset proprior, tantò se fortunatiorem judicare solebat. Ibi itaque, cum non longius sex horarum itinere ab eo abesset Zwinglius, in ejus locum Leo noster sufficiebatur, gavisus amicitia pariter atque favore, cum ipsius Baronis *Theobaldi Geroldseggii*, Monasterii illius administratoris & reliquorum Virorum Doctorum, quorum ibi non vulgaris erat copia, tum verò etiam Abbatis illius monasterii Viri pii ac docti, cui nomen erat, *Cunradus à Rechenberg*, quem jam tum quoque superstitionum osorem, & missatici sacrificii non obscurum hostem tradunt Annales, (a) quique inter alia aliquando, ut Missam celebraret, hortantibus, eruditè non minus quam piè respondisse fertur: *Si verè Christus est in hostia, indignus sum, qui illum intuear, indignior, qui Patri offeram. Si non est in hostia; væ mihi, si panem pro Deo, populo adorandum proponam;*

Enimverò cum Leone suo, in gravissimo illo, quod Tiguri susceptum erat Reformationis negotio diutius carere non posset Zwinglius, is omnem movere lapidem, ut eum de novo sibi collegam haberet & socium in ipsa urbe Tigurina, quod Anno millesimo quingentesimo *vigesimo tertio* factum esse demum ex Zwinglii & bonorum omnium voto docemur.

§. LI. Ipse autem Leo, interea dum in Eremo versabatur, non humanioribus solummodo literis, quod supererat ipsi à ministerio publico temporis, impendebat, verum cumprimis, ut Evangelii renati nuper apud multos causam, strenuè promoveret, navabat operam. Certè quod is tum jam in legendis Reuchlini, Erasmi, & Lutheri scriptis fuerit sedulus, ea quæ ab ipso deinceps in publicam utilitatem sunt edita, arguunt. *Lutheri Expositionem in Orationem Dominicam* quod strenue legerit,

tur, quando Leonem Zwinglii in Eremitorio jam Diaconum, sive, Vicarium fuisse refert, quanquam is sibi præeuntem habeat *Hartmannum* Monachum in Annalib. Einsiedlens, p. 445. apud J. J. HOTT. Helv. K. G. p. 15. qui Hottingerus eadem authoritate nixus, id refert.

(a) *Sculteti* Annales Evangel. I. p 19. ex *Myconii* Vita Zwinglii & *Bullingeri* Chronico MSS. Conf. de eo quædam ab Authore Vitæ Leonis Judæ in *Miscell. Tigur.* T. III. p. 28. tradita.

rit, ipsasque in illa Expositione traditas veritates suis communicaverit, ex ejus patet, jam anno *decimo nono* ad Matrem data Epistola (a) *Erasmi* vero etiam tum in N. T. *Paraphrasin* eximiam prorsus, atque auro gemmisque pretiosiorem is in linguam Germanicam, quo ad plures veritatis inibi assertæ & explicitæ doctrina manaret, transferre ferrea prorsus industria in se suscepit, uti cumprimis *Epistolam ad Galatas* jam tum in Eremo, deinceps verò totum illud Paraphrasium Opus, cum Tiguri versaretur, occultato licet proprio nomine, aggressus est.

Quod *Reuchlini* scriptis inhæserit sedulus, fidem facit ejus in literatura Hebraica non vulgaris certe peritia, quæ & perinsignem illam nobis procuravit *Bibliorum* ab ipso adornatam *Versionem Germanicam* primò, deinceps & *Latinam*, (b) cujus in sequentibus à nobis refricabitur memoria. Uti non minor reliquorum ab eo vel auctorum vel scriptorum editorum deinceps habebitur ratio.

§. LII. *Conradum* PELLICANUM, à patria *Rubeaquensem*, (quod Rubeaci (*Rüffach im Elsas*) in Alsatia A. 1478. d. 8. Januarii natus esset,) dictum, præterire nefas esset: Is equidem puer admodum, cum scilicet sedecim annos esset natus, monasticæ vitæ se mancipaverat, ægrè id ferente avunculo ejus materno JODOCO GALLO (c), sed deinceps tamen, abjecto cucullo, eximium plane in manu Dei ad promovendum Reformationis negotium fuit instrumentum. Et mirum est, quantus jam inde à pueritia ardor, qui virtutis ut plurimum eos est,

 eum

(a) vid. *Miscell. Tigur.* T. III. p. 25. ubi inter alia: „ Ich schik dir hie „ gar ein hübsch Pater noster des wirtigen Vatters Martin Luthers, eines „ Augustiners Zu Wittenbergk, das predig ich jetzt Zu Einsiedlen, und „ das lies mit fleys, den es gar gut und nützlich ist, und eytel rechter „ grund aus heiliger Schrift. „

(b) vid. BULLINGERI Præfat. ad Biblia Latina Leonis in Miscellan. Tigur. T. III. p. 43-47. ubi hujus Versionis refertur historia memorabilis. Et THUAN. Historiar. Lib. XXXVI. ad ann. 1564. fol. 398.

(c) Hujus Vitam in *Vita Pellicani*, unà cum ejus fatis primariis breviter enarrat *Melch.* ADAMI v. pag. m. 136. fuerat enim is *Wesselii Gansforti* & *Rudolphi Agricolæ* Discipulus, atque puriori Doctrinæ, quæ tum sub modio adhuc occultabatur, addictus.

cum inflammaverit, ut non folummodo Literarum ftudiis ea tempeftate reflorefcentibus imbueretur, fed cumprimis, ut Hebræorum & characterem & linguam fibi redderet familiarem, quo in ftudio, cum Doctorem ex voto per illorum temporum injuriam non haberet, proprio Marte fibi parare debebat fucceffum. Ex *Petri* (a) itaque *Nigri* libello, cui *ftella Meffia* nomen eft, quod in eo Hebræi characteres Latinis effičti effent imaginibus, prima quafi linguæ Sacræ haufit elementa. Brevi autem ex collatione Interpretum, tantum in eo ftudio profecit, ut ipfe fibi jam aliisque inciperet effe Magifter. Primus enim Pfalterium primò, mox etiam integra Biblia, Hebraicas dictiones, in fuas claffes tam fcitè digeffit, ut *Renchlinus* quoque labore hoc Pellicani comprobato, pleraque in fuum Lexicon transtulerit. Viginti quatuor (funt verba FABRITII) (b) annos natus erat Pellicanus, non amplius, cum eruditione & pietate reliquis fuis fratribus ita præluceret, ut omnibus, quotquot ejus ordinis in fodalitio Bafilienfi effent, ordinarius Theologiæ præficeretur Lector, & Profeffor. Is autem erat annus Domini *millefimus quingentefimus fecundus*. Brevi autem poftea, in clariffimi Viri *Amerbachii* familiaritatem pervenit, quem & poftea in editione Operum D. *Auguftini*, quæ tum Bafileæ excudebantur, multum juvit. Hac occafione Frobenio quoque brevi factus eft chariffimus, quo & Mæcenate & Patrono deinceps, quam diu Bafileæ fuit, ufus eft. Secundo autem poft anno, Raymundus Cardinalis S. Mariæ Novæ, Alexandri VI. Pontif. M. Legatus Bafileam venit. Is Minoritas de Obfervantia dictos, propterea quod viros haberent eruditos, nulla tamen fingulari prærogativa peculiariter infignes, honoratiores reddere omnino voluit. Pellicano ergo propter fingulare, quod jam ante de ejus doctrina fecerat judicium, *Doctoris* titulum & honorem decrevit, invitis nonnullis aliis & reclamantibus, qui in Pellicano non eruditionem, fed grandiorem defi-

(a) v. Orat. FABRITII *Montani* de Vita Pellicani in *Mifcell. Tigur.* T. III p. 424

(b) FABRIT. in Orat. Laudata Mifcell. Tig. T. III. p. 428. ex qua ea quæ fequuntur, de verbo ad verbum pœne funt defcripta.

desiderabant ætatem. Vicit tamen Cardinalis sententia, quæ postea quoque in Literas, quas *Bullas* appellant, relata, publica fide rem omnem comprobavit. Pellicanus verò tantæ fuit modestiæ, ut hunc titulum sibi nunquam usurparet, & postea non nisi per jocum, (prout homo erat mire festivus) hanc historiam ceu fabellam quandam amicis suis recitaverit: Cardinalis hic Pellicanum tanti fecit, ut eum in familiam suam ultrò asciverit, licet Basilea discedens ægrè admodum à Principibus ejus ordinis missionem ei impetrarit. Pellicanus verò propter viæ difficultatem, quodque Raymundo festinandum esset, Mediolani in gravissimam febrim incidit. Ægre id molesteque Cardinalis tulit. Cogitarat enim, eum insigni aliquo Romæ afficere beneficio, siquidem res ex animi sententia successisset. Non prius tamen Pellicanum dimisit, quam ejus loci amicis sedulò eum commendasset, apud quos ipse dies complures substitit, donec recuperata tandem valetudine in Germaniam ad suos revertit. Adventus ejus omnibus bonis gratus acceptusque fuit, inprimis tamen præclaro & illustri Viro, *Christophoro ab Utenheim*, Ecclesiæ Basiliensis ejus temporis Episcopo. In cujus gratiam libellum deinceps conscripsit, in quem præcipua *Doctrinæ Christianæ* conjecit capita, non ex putidis Sophisticorum lacunis petita, sed ex intimis Sacrarum Literarum monumentis deprompta. Jam tunc enim cœperat in suspecto esse, quæ *de satisfactionibus, indulgentiis, purgatorio*, aliisque ridiculis impiisque hominum commentis vagabatur opinio. Ex illo vero tempore in tantam apud suos admirationem venit, ut celeberrimis Germaniæ conventibus, à sui ordinis hominibus, religionis gratia indictis, non interfuerit modo, sed etiam præfuerit. Atque hic cernere est admirabilem Dei Opt. Max. providentiam & clementiam, quam adhibet in dispensanda suorum salute. Quos enim elegit, hos & vocavit. Pellicano adolescenti adhuc obtigit pius & eruditus præceptor, *Paulus* SCRIPTORIS nomine, Collegii sui Commissarius, (Guardianum dicunt,) quo

(a) De *Paulo Scriptoris* Viro prorsus egregio atque veritatis teste, sed qui A. 1504. jam obiit. vid. GESNER. Bibl. universal. fol. 540. b. & inprimis *Melch.* ADAMI in Vita Pellicani fol. 128. 129. 130.

quo Deus eum, ceu organo & instrumento quodam, ad majora præparare voluit exercitamenta. Hic Pellicano nostro sæpe in familiari colloquio dicere solebat, *instare omnino tempus reformandæ Ecclesiæ, deserendæque scholasticæ illius & spinosæ Theologiæ: resumendos enim priscos Ecclesiæ Doctores, neglectis spretisque Magistris illis Parisiensibus.* Idem ille, quod liberè & constanter plures Ecclesiæ taxaret abusus, in crimen & invidiam a suis vocatus, propter hæresin, quæ viginti post annis Lutherana dici cœperat, loco & dignitate motus est. Postea ut graves suorum declinaret insidias, cum jam in summo vitæ versaretur discrimine, suadentibus sic & jubentibus amicis, Viennam Austriæ sponte exulatum abiit: Romam deinde profectus in Germaniam tandem rediit, & Keiserspergæ Alsatiæ oppido mortuus & sepultus est. Quod Pellicanus ergo adolescens adhuc, ejusmodi posuisset tyrocinia, postea inclinata re papistica, eam sequutus est sententiam, non quæ plures haberet patronos, sed quæ potiores & meliores, cuique satis præsidii in se ipsa esset ad se tutandum & defendendum. Quidquid sit, Pellicanus noster Satzgero Ordinis Provinciali in Germania individuus comes, cum ipso non Germaniæ civitates solummodo quam plures perlustravit, sed & Romam cum eo profectus, Leoni X. innotuit, unde redux in Germaniam collegii sui patronus factus est (*Guardianum* dicunt) ad majorem haud dubie adspiraturus dignitatem, nisi deinceps veritatis quam dignitatis potiorem habuisset rationem.

§. LIII. Est verò res, quod ea ad renati in superioribus Germaniæ partibus, Helvetiæ vicinioribus, Euangelii primordia recte capienda faciat, memorabilis, quam ab eodem FABRITIO in Oratione laudata recenseri videmus. Accidit enim Anno *millesimo quingentesimo duodecimo*, (a) ut is per Bruxsellam, (*Bruchsal*) urbem prope Spiram, conventus gratia, qui Spiræ tunc agebatur, iter haberet, atque diverteret ad *Wolfgangum* CAPI-

(a) vid. ADAMI in Vita Pellicani fol. 134. a. ut certe in Oratione laudata Fabritius p. 431. memoriæ lapsum commiserit, quando hoc factum demum, *quinto* postquam ex Italia redierat *anno*, contigisse asserit, quippe quæ ipsa, cum Vitæ ejus & Capitonis harmonia conciliari nequeunt.

PITONEM, tunc temporis ejus loci qui regebat Ecclesiam: Tum CAPITO, Pellicanum, quem pridem familiariter noverat, seorsim ab aliis, sciscitaturus aliquid, parumper abduxit, ibique eum seriò obtestatus est, suam sibi *de Sacramento corporis & sanguinis Christi* dignaretur aperire sententiam. Pellicanus, amico veteri, tam enixè hæc abs se flagitanti, non gravate morem gessit. Exorsus autem à rei ipsius difficultate, *Hæc*, inquit, *quæstio, mi Wolfgange, me quoque diu multumque exercuit. Sed Dei gratia pulcre mihi satisfecisse videor. Ut verum tamen fatear, nihilque te celem arcanorum meorum*, transsubstantiationis commentum, *quod nunc passim in Ecclesia dominatur, nullam plane apud me fidem meretur: propterea quod cum prima cœnæ institutione minime convenit, cum omni denique sinceriori Theologia ex diametro pugnet. Christus enim coram in mensa assidebat, nec cum suam quisque portionem carperet, de Christi carne & sanguine quicquam detractum est, aut diminutum.* Atqui hæc *non corporis oculis, dicet aliquis, sed Spiritu & fide sunt dijudicanda? Sint sane. Spiritualis tamen homo dijudicat omnia, & fides non statim qualibet accipit indifferenter absurda, sed, si qua humana quidem rationi repugnant, cum verbo Dei tamen recte consentiunt. Qui D. Augustini locum pro suo errore adducunt, quod scilicet Christus se ipsum in manibus suis gestarit, non animadvertunt, quod simul absurdis se ipsos constringant: Siquidem enim Christus verum & reale corpus suum non potius symbolum corporis (quod Augustinus tamen sentit) in manibus gestavit, jam Christo affingunt duo simul corpora, natura, proportione, dimensione, longissime inter se mutuo distantia. Si vero, quod* D. J. Chrysostomus sensit, *Christus quoque de pane hoc Symbolico comedit, deque poculo bibit, jam suum quoque ipsius corpus in se ipsum recondidit. Si tam monstrosas metamorphoseis fingere licet, quo temeritas humana non prosiliet tandem? Eadem nimirum ratione tot animas Christo affinget, quot corpora. Audivi, qui de corpore glorioso subtiliter admodum, ut ipsis quidem videbatur, mea verò sententia pueriliter satis & ineptè, multa disputarent. Quid enim attinet hoc loco de glorioso corpore disputare, cum postridie, quam cœnam cum suis celebrasset, Christus in passibili suo corpore, quod pro nobis λύτρον fecit, diros cruciatus*

(a) vid. FABRIT. Orat. laud. p. 431-434.

ciatus tulerit. Quod si autem Christi corpus passibile simul & impassibile fuit, necesse est duas pugnantes qualitates, aut simul in eodem, ut dicunt, fuisse subjecto, aut permutatione quadam & alteratione sese mutuò subsequutas, aut certe singulis qualitatibus singulas fuisse substantias, aut quod aque absurdum, alterutram harum qualitatum fuisse absque substantia: Intelligis, Wolfgange, quo mea nunc pergat oratio. Si dua diversa qualitates, passibilis & impassibilis inquam, in unius Christi corpore, connexione quadam inseparabili, coadunata fuerunt, non intelligo, quomodo Dominus per omnia fratribus sit similis factus, sed nec satis assequor, quomodo alteram qualitatem absque altera suis dare potuit. Quod, si dicunt, *has duas qualitates, pro arbitratu Christi, permutatione quadam sese mutuo subsequutas, ita ut liberum fuerit Christo modo hanc illam assumere, aut deponere, hac quoque transsubstantiationis figmento nihil omnino suffragantur. Constat enim Christi corpus eodem momento, quo panem & vinum inter suos distribueret, omnibus in mensa conspicuum fuisse ea dimensitate & quantitate, qua primum accubuerat. Huic ego cogitationi*, mi Capito, *cum nonnihil indulgerem, incredibile dictu est, quam varia sese animo meo ostenderint imagines, monstrosa omnes & valde absurda.* Scholasticis ergo sophismatis valere jussis, ad eam Theologiam me contuli, quæ Sacris Literis continetur, atque à purioris Ecclesiæ consensu non abhorret. Nec ideo de Sacramento hoc perperam sentio. Sic enim judico, *corpus & sanguinem Christi in Sacramento hoc non quidem carnaliter, aut realiter, ut nunc loquuntur* (hoc est corporaliter) *sed sacramentaliter*, id est, *modo rationeque Sacramentis usitato & familiari exhibere credentibus.* Habes Wolfgange, *meam de Sacramento sententiam, quam precibus tuis tantopere à me contendisti.*

Ad hæc Pellicani verba, CAPITO mirifice affectus dicitur, adeò ut singularem præ se ferret voluptatem, quam non verbis tantum, sed vultus quoque figuratione, non obscurè declaravit. *Maximo*, (dicebat) Pellicane, *me perfudisti gaudio, qui sententia ejus, quam pridem veram deprehendi*, premendam tamen occultandamque duxi, tantisper dum cum majore fructu foras aliquando emanaret, *te socium & Patronum cognoverim.*

§. LIV. Enimverò, cum Roma redux Pellicanus noster Præfectu-

fecturam (quam *Guardianatum* dicunt) conventus Rubeacensis adeptus esset, statim ab initio Anno 1518. circumferri cœperunt *sermones* quidam *Lutheri* de *pœnitentia*. Pellicanus itaque Basileam petiturus, forte fortuna Mulhusium (a) devenisse dicitur, ad mensam præfecti supremi (dicti *commendatoris*) ubi plebanus doctus, ordinis Teutonicorum, articulos Lutheri 100. sive potius 95. Witebergæ impressos, erat nactus. Hos cum legendos Pellicano in mensa exhibuisset, & legisset, obstupuit is, quod illa palam proferrentur: Dixit tamen, *se non esse certum de primis viginti sex articulis, qui de purgatorio agunt, de quo dubitaret, an esset, quandoquidem in antiquis Patribus Augustino, & eum præcedentibus, & in Sacris Literis nullum tale inveniretur purgatorium; De Indulgentiarum autem materia, de Confessionibus, de Primatu Pontificis, quæ sequerentur in reliquis septuaginta articulis, prorsus nihil dubitare: sed habere pro verissimis.* Verum, *necessarium fore, ut Lutherus de hac re clare adhuc & clarius disserat, id quod facturum speret, si vivat.*

Atque hæc quidem de *Pellicano* usque ad illud, quo Reformationis negotium magis percrebescebat tempus; reliqua ejus in sequentibus commemorabuntur.

§. LV. *Wolfgangum Fabricium* CAPITONEM, inter primos Reformatores superioris cumprimis Germaniæ, locum & nomen satis illustre suo merito sibi conciliasse, ex ejus Vita constat. Erat is Hagenoæ (b) in Alsatia, Patre Senatore Hagenoense & Matre nobili natus A. 1478. Quum verò is, à studio Theologico per parentem, impiam sacrificulorum (c) vitam qui abominabatur, avocatus esset, atque Medicinæ in Academia Basileensi se dedisset, jam A. 1498. viginti annos natus Medicinæ Doctor creatus est. Interea verò, defuncto parente, is

 non

(a) vid. ADAMI Vit. Pellicani fol. 138.
(b) SCULTET. Annal. ad A. 1516. p. 9.
(c) Cap. in Ep. MSS. ad Bonifacium Augustanum Verbi Ministrum ita scribit: *Etenim Pater moriens multis obtestabatur, ne in hoc Sacerdotii genus me temere conjicerem, quod videret parum tutum & rarissimum inventu, qui doctrina & Vita præluceat, qui atrocem & violentum affectum moderetur, qui vere esset, quod profiteretur.*

non ſine provido Numine naturæ quodam inſtinctu ad ſtudia animum denuò appulit Theologica, tantaque animi cum alacritate atque diligentia iis inſudavit, tantosque in iis fecit progreſſus, ut A. 1504. quoque jam publice ſummos in ea Facultate conſequeretur honores. Uti neque Juris ſtudium quod poſthabuerit, felix Capitonis ingenium, ex eo colligitur, quod ipſe per quadriennium ſe fateatur *Udalrici* ZASII, celeberrimi in Friburgenſi Academia Profeſſoris, auditorem. (a)

Quod verò etiam tum jam apud Friburgenſes in Brisgoia, eruditionis laudem non exiguam eſſet aſſecutus ipſe, ex eo colligitur, quod is ibi publice Philoſophiam & Scoticas quidem ſubtilitates fuerit profeſſus, (b) quanquam, vel ipſo teſte, harum pertæſus, ſacris deinceps fuerit initiatus. Neque verò, cum ad ſacra appuliſſet animum, latere virtus ejus diu poterat, quin à Philippo Roſenbergio Epiſcopo Spirenſi A. 1510. vocaretur Bruſſellam ut ibi, quod per triennium ab ipſo factum eſt, Concionatoris munere fungeretur. Hoc erat illud tempus, quo uti vidimus, Capito pariter atque Pellicanus ſuam de Euchariſtia jam repurgatam animi ſententiam ſibi invicem conteſtati ſunt. (c) Inde cum ſæpius Heidelbergam ob Epiſcopi ſui negotia excurrere neceſſe haberet, in *Joh.* OECOLAMPA-

DII

(a) In Epiſtola ſtatim citanda.

(b) Capito in Epiſtola ap Ulricum Huttenum MSS. A. 1519. III. Kal. Aug. data apud SCULTET. L. c. p. 9. (quam & ipſe MSS. ſervo p. 52.). A Friburgo expulerunt ſuperioribus annis *partim* inſidiæ Sophiſtarum & nauſea Scotica, qua miſeros auditores conductus publica mercede obtundebam. Tum enim ex uſu authorum quos lectitabam horis ſuccisivis judicii lumen ſuboriebatur licet admodum tenue, *partim* etiam Phil. de Roſenberg Epiſcopi Spirenſis authoritas, qui me invitavit honeſtis promiſſis ad Bruſſellam, ubi triennio functus ſum officio Concionatoris, illic me ſubmovit negotiorum infinita moles. Ardor ad literas, deſiderium libertatis, parendum enim fuit Canonicis & Conſiliis eorum bona pars temporis impendenda fuit. Reſpondendum cuivis ruſtico de nugis prophaniſſimis, reſpondendum vetulis de ſua ſuperſtitione, & Proceribus interim de Jure, quod erat præter profeſſionem Theologi. Tametſi leges Cæſareas profitentem Zaſium illum celebrem in quartum prope annum audivi. Sed forum & lites refugio &c.

(c) Conf. *Melch.* ADAMI in Vita Pellicani fol. 134.

DII incidit familiaritatem, quam inde ob eo tempore cum hoc egregio Theologo per omnem excoluit vitam: Nam & exacto triennio Basileam à Senatu tertio nuncio cum invitatus esset, & per aliquot annos summo templo Basileensi præfuisset, habuit is eundem Oecolampadium, in quem A. 1516. summos Doctoris Theologiæ honores etiam contulit, inde ab A. 1514. socium, & in munere collegam præstantissimum, docendoque & disputando prima Ecclesiæ Evangelicæ in inclyta illa urbe semina jecit, id quod non solum Epistolæ Capitonis multifariæ, (a) quarum non parvus fortuna singulari ad me delatus est numerus, sed etiam versus, auditorio Theologico Basileensi inscripti testantur: (b) Ipse saltem non semel testatus est deinceps, sibi tum oculos magis magisque fuisse apertos, (c) ut ipsa Missæ celebratio ipsi vehementer tædiosa esset, atque animum pungeret. Et est memorabilis à Wolfg. Capitone ad Bullingerum data Epistola A. 1536. (cujus jam supra ad §. XLVIII. pag. 103. not. (b) mentio est facta) qua quanti fecisset Zwinglium & faceret adhuc, quod ipsi conjunctis viribus ante Lutherum contra Papam egissent, exponit, digna quæ hic legatur. (d) *Ne locum demus* (ita verba ejus ex autographo habent) *Satanæ, semper dissidia admolienti inter fratres. Puto non admissuros nos, ut unquam dividamur. Nam antequam Lutherus in lucem emerserat, Zwinglius & ego inter nos communicavimus de Pontifice dejiciendo, etiam dum ille vitam degeret in Eremitorio. Nam utrique ex Erasmi consuetudine, & lectione bono-*

P 3

(a) Nam & extant ZWINGLII & CAPITONIS jam A. 1516. in Epistolis querelæ de Indulgentiis. Uti Capitonis A. 1517. mense Augusto extat Epistola ad *Christophorum Utenbemium* Episcopum Basileensem, *de suscipienda & maturanda Ecclesiæ Reformatione*, præmissa Jo. Cleichtovæi elucidario Ecclesiastico, quæ digna sane est, ut his Annalibus subjungatur, uti eam inter documenta Num. XII. retulimus.

(b) Et sunt ERASMI in Ep. ad Bovillum A. 1513. d. 31. Augusti verba prorsus memorabilia: *Ad hæc Fab. Capito, ob insignem Theologiæ cognitionem, in Basileensis Ecclesiæ collegium cooptatus, ubi publicum concionatorem agit, vir præter alias egregias disciplinas trium linguarum non vulgariter peritus Gr. Lat. & Hebr. denique vita tam integra, moribus tam piis, ut nihil unquam viderim incorruptius.* v. Opp. T. III. p. I. p. 129.

(c) v. HOTT. Helv. K. G. pag. 16.

(d) vid. HOTT. H. E. Sec. XVI. T. II. p. 207.

bonorum Anthorum qualecunque judicium tum subolescebat. Ea amicitia sine interruptione usque in hunc diem stetit.

Quod enim Capito deinceps A. 1520. ad Albertum Moguntinum, ut ejus & consiliarius Ecclesiasticus & Cancellarius esset, vocatus sit, quodque porrò, relicta A. 1523. aula, Argentoratum concesserit, ibique cum *Mart.* BUCERO Templo Thomano per reliquum vitæ tempus, quod ad A. 1541. usque protaxit, Authoritate, Consilio, Scriptis, Re, præfuerit, nemini non est notum, & in sequentibus à nobis affatim monebitur.

§. LVI. *Johannes* OECOLAMPADIUS (Germanis *Hausschein*) ex veteri equidem familia Basileensi (erat enim Avus ejus Basileensis) (a) natus 1482. in Cheruscorum oppido *Winsperga* dicto, silentio præteriri non debet, quippe qui vel ex summorum Virorum judicio, ob trilinguem eruditionem, & ob sanæ doctrinæ (b) scientiam & usum, denique ob antiquitatis Ecclesiasticæ exactam cognitionem ceteris omnibus sua ætate palmam præripuit. Is cum inde ab ineunte ætate magnam de se suscitaret spem, (uti de eo puero duodecenni refertur, quod singulari jam versus componendi polluerit artificio,) atque positis Latinæ Linguæ fundamentis *Heilbronnam* primò, atque dein *Heidelbergam* esset missus, jam ætatis *anno decimo quarto* Baccalaurei obtinuit gradum, inter præcoces eruditos jure suo connumerandus.

Juri verò cum deinceps dedisset operam in Academia Bononiensi, inde brevi post, intrà scil. semestre tempus, (c) *partim* valetudine cœlum Italicum aversante, *partim* quod mercator, cui parens pecuniam, quo illic viveret, reddendam, crediderat, fidem fefellisset, redux factus, Heidelbergensem denuò adiit Academiam, ibique abjecto Juris Studio, cui ex consilio Patris operam dare cœperat, Theologiæ se mancipavit, tantosqus brevi in his studiis fecit progressus, ut illum *Philippus* quidem

(a) v. OECOLAMP. Præfat. in Comm. ad Prophetam Jesaiam.

(b) vid. J. J. GRYNÆI Epist. dedicat. ad Senat. Reip. Sant-Gallensis in Epistolar. L. 1. Ep. 3. p. 86.

(c) vid. CAPITONIS Vita *OEcolampadii* præfix. Epist. *Zwinglii & OEcolamp.* fol.



JOHANNES OECOLAMPADIUS. NAT. 1482 DENAT. 1531.

Lampade si celebris tali Basilea remides
Non urbs Helvetias clarior inter erit.

dem Elector *Palatinus*, (qui A. 1508. obiit) liberorum suorum natu minimorum præceptorem, *Winsperga* verò non ita multo post sibi verbi præconem deligeret. Annunciavit is itaque circa annum 1514. patriæ suæ Christum, (a) (quæ verba sunt CAPITONIS) cum omnium verè spiritualium, & eruditorum admiratione, quanquam adhuc multa veteris superstitionis admixta essent: At severus nimium Concionator audiebat, (b) quia aures vulgi insanis clamoribus non verberabat, neque inficetis facetiis actionem sacram exhilarabat, quemadmodum tum solebant monachorum mendicabula. Modestiam enim & gravitatem dicendi Sacro muneri consentaneam deperiit semper. Tali itaque vulgi judicio de se cognito ad ipsum Fabricium Capitonem *de Risu Paschali* (vom Oster-gelächter) libellum scripsit, animum authoris, ut tum erat, feliciter exprimentem. Annitente autem Capitone, quocum multa ipsi intercedebat familiaritas, quod modo videbamus, is deinceps eodem illo anno 1514. per Christophorum ab Utenheim Episcopum Basileensem, ne in angulo patriæ suæ tam angusto, tanta spes publicæ pietatis concluderetur (c) Basileam vocatus est, & parœciæ primi templi est præfectus, ubi & A. 1516. Doctoris à Capitone quod solenni more receperit honores, à nobis jam est observatum.

Cæterum, quod is tum jam Erasmo Roterodamensi annotationes in Novum Testamentum edenti admodum fuerit proficuus, ipsemet fatetur ERASMUS, (d) & proprio testimonio luculenter comprobat ipse OECOLAMPADIUS in Postloquio, quod omnium primæ Novi Testamenti Græcæ editioni ab Erasmo A. 1516.

(a) v. *Capito* in Vita OEcolampadii.
(b) v. *Adami* in Vita OEcolampadii. ex eodem Capitone.
(c) Quæ verba sunt Capitonis l. c.
(d) De OEcolampadio ita ERASMUS jam A. 1515. in Præfat. ad annotat. in N. T. pag. m. 226. edit. omnium primæ, ita: *Hac in parte* (conferendo scil. Græca in N. T. citata cum textus Hebraici fontibus) *non nihil adjuti sumus opera subsidiaria Viri non solum pietate, verum etiam trium peritia linguarum eminentis, hoc est, veri Theologi, Joannis OEcolampadii Vinimontani, quod ipsi in litteris Hebraicis nondum eo processeram, ut mihi judicandi sumerem authoritatem.*

A. 1516. procuratæ, est annexum. Paulo post A. 1518. OEcolampadium à Canonicis primi templi Augustani vocatum, Augustam Vindelicorum relicta Basilea secessisse testis est Capito; (a) Atqui, cum nondum ibi vel maturuisset vel ad messem Evangelicam alba seges esset, vitaque cum vulgi tum clericorum esset corruptior, quam quæ medentis manum ferret, cumque ipse (teste Hutteno) (b) ob lenitatem differendi, & animi timiditatem quandam, minus (c) ad sublimem adeò, qualis ea tum erat, provinciam aptus sibi videretur, consilium paulò post is cepit de discessu, atque invitis ejus amicis, atque inprimis invito Capitone, sese in claustrum monachale non procul ab urbe Augustana recipiebat A. 1519. ubi, per aliquot menses cum versatus esset, & reliquum ætatis ibi transigere constituisset, singulari tamen factum est providentia divina, ut ab hoc suo instituto divelleretur. Præterquam enim (d) quod fautores atque amici ipsius vehementer id ipsi dissuaderent, inter quos præ reliquis excellebat Capito, factum est, cum postulantibus quibusdam, quid vero consentaneum esset in controversiis Religionis, quæ tunc agitabantur, aperte & dilucide declarasset, ut illa declaratio, quam intra privatos veluti parietes cum amicis tantum communicaverat, ad plures alios dimanaret, atque ut præter Conciones certas, quas ediderat, de *Confessione* librum ederet, quo magis pium ac orthodoxum, hoc minus cerimoniarum numdinatoribus ferendum. Proinde, quod cum Pontificiorum doctrina ipsi consensus non esset, isque id aperte professus esset, ingens ipsi statim apud plurimos & primores quosdam conflatum est odium, ut vel nonnulli carcerem, quidam mortem, ei minarentur, quas equidem minas, utpote cui animus magis magisque augebatur, intrepidus primo contemnebat, ut deinceps tamen plurimorum suasu hortatuque & instantis in ipsum conspiratio-

(a) v. CAPITO l. c.

(b) v. BURKHARD. Vita Hutteni & ibi p 58. Epist. Hutteni ad Pirkheimerum.

(c) vid. Epist. OECOLAMPADII ad Pirkheimerum ap. Adami fol. 23. a. ubi ingenuè hoc suum fatetur παραπτωμα.

(d) Vid. ADAMI Vita Oecolampadii fol. 23. a. b.

rationis ſcientia ductus cœnobium ſibi relinquendum eſſe decerneret, quo pacto liber inde, cum nondum integrum biennium ibi transegiſſet, A. 1521. evaſit. Tum vero is primum, ad Heroëm illum incomparabilem *Franciſcum à* SICKINGEN, cujus arx *Ebernburgum* Virorum Doctorum ac Evangelicæ Reformationi faventium erat receptaculum, ſeceſſit, ibique Miſſam repurgare cœpit, illo autem infeliciter, quod deinceps videbimus, mortuo, Baſileam denuò repetiit, illius Urbis totiusque Helvetiæ factus Reformator.

§. LVII. Horum itaque atque conſimilium præclarorum Virorum opera, cum *Reformationis Helveticæ* negotium præcipuè fuerit promotum, tum quænam ejus ſolenniora fuerint initia, ruſpari fas eſt. Atque hic egregie quidem illa Doctiſſimi Viri J. J. GRYNÆI, (a) quæ in ejus Epiſtolis legitur, in mentem nobis venit obſervatio, ad Fridericum IV. Electorem Palatinum perſcripta, quod nimirum, cum Martinus Lutherus impudentiſſimæ veniarum nundinationi ſtrenuè iret obviam, ſicque pedetentim ad alia quoque tractu temporis progrederetur, Zwinglius è contrario, hunc in modum Reformationis opus perfecerit, ut primis miniſteri ſui annis, prudenti conſilio, hanc majorem propoſitionem, auditorum animis inſtillaverit. *In cauſa fidei ſic ſtandum ſolo Canonico ſcriptoque Dei Verbo, ut quidquid ſeu huic adverſetur, ſeu ab eo alienum deprehendatur, ceu falſum & ſupervacaneum haberi debeat.*

Cum ſanctam hanc ſententiam, radices in cordibus piorum egiſſe animadvertiſſet, ſubjunxit minorem: *De nova illa Doctrina Pontificia, in qua agitur de Miſſa, de Invocatione Sanctorum, de Idolis, de ſexcentis aliis.*

Concluſionis praxin obtinuit ſexto miniſterii ſui apud Tigurinos anno, qui fuit à Chriſto nato A. 1524. quo ipſo anno, poſt diſputationem cum Johanne Fabro, *Eccleſia Tigurina nutu atque auſpiciis divinis fuit reformata.*

§. LVIII. Intereà tamen, quas fortunas Indulgentiæ Papales in Helvetia habuerint, & quomodo per ipſos Indulgentiarum Quæſtores & blaterones Monachos, ingratiis ipſorum, propagatum

(a) vid. *J. Jac.* GRYNÆI Epiſtol. à *Sculteto* edit. L. 1. p. 27.

tum fuerit Evangelium, pervidendum est. Enimverò, cum annis 1517. & 1518. LEO X. sub prætextu ædificii Petrini (aliam enim emendicatæ pecuniæ causam fuisse, ne ipse quidem Guicciardinus dissimulare potuit) Indulgentias suis etiam Confœderatis, Helvetiis exponi voluisset, rem per hominem vafrum & versipellem, *Monachum Franciscanum F. Bernhardinum* SANSONIUM, Mediolanensem, curatam voluit. Nam & facundus erat, & mirum in modum Helvetiorum argento inhiabat, usque adeò, ut cistæ & argento & argenteis vasis refertæ per Sarunetes in Italiam deportatæ fuerint: Quin & ipse, tribus Pontificibus multa aureorum millia corrasisse se jactabat. Prodigus is ubique erat Bullarum & potestatis acceptæ præco. Sibi non culpam tantum, peccatum tam præteritum, quam futurum; remittere esse concessum; sed & pœnam. Ad ipsum in pelvi nummi sonitum, gratiam emtori paratam. Sed & dispensationibus, quibus gravissimis enormitatibus veniam promisit, rem suam immane quantum auxit. Nec animas in Purgatorio ita arctè detentas, quin Indulgentiarum suarum beneficio liberare posset: quo lenocinio vel ultimo facile teruncio insidias struxit: Quocunque autem locorum ille pervenerat, jam ante per suos, qui primarii essent, καὶ ὑπείροχοι ἄλλων, diligenter inquisiverat; ut & muneribus, & gratiæ Pontificiæ elargitionibus corruptos libidini suæ servire cogeret. Aliis turpiter sua loquacitate imposuit; alii ex ungue leonem, impostorem, & impudentissimum thrasonem, qui etiam committendis peccatis veniam polliceri auderet, detestabantur. Cum circa æstatem 1518. primum in has oras veniret, superatoque Gothardi monte, Uranios salutaret, exiguo stipatus comitatu, initium suæ nundinationis fecit. Postea verò cum emtores plures invenisset, *Tigurum* concessurus, μετὰ πολλῆς φαντασίας, ingenti apparatu & satellitio, ut vel Principum Legatos provocare potuisset. Sed *Suitiam* primò venit, ubi *Zwinglius*, qui in Eremo tum adhuc erat, graviter in Monachum detonuerat: Mense demum Septem-

(a) vid. HOTTING. H. E. Seç xvi. Tom. III. p. 160. & seqq. Cui hanc totam verbotenus debemus relationem, quam ut Annalibus his nostris insereremus, operæ judicabamus pretium.

tembri *Tugii* appulit, ubi per triduum suas venum exposuit merces. Cumque adeò magno numero emturientes concurrerent, ut difficilis ad erectam crucem & cistam esset aditus, famulorum quidam clamarat: *Ne, quaso, vobis mutuo ita molesti sitis. Illis primum pateat aditus, qui pecunia sunt instructi: Pauperum postea habebitur ratio.* Quæ vox Simoniaca optimos quosque graviter offendit. Tugio *Lucernam* abiit, & ad *Subsylvanos*, utrinque marsupium deportavit nummatum. *Berna* quid effrenis ausus fuerit circumforaneus, publica Præpotentis Reipublicæ Acta dubitare nos non sinunt. Admissus in urbem Institor, in eorum, quibus Pontificia decreta oracula erant, gratiam se insinuavit, commissionis suæ Diplomata omniumque Helvetiæ Cantonum in S. Vincentii templo insignia suspendit. Missam ipse, inspectante magna hominum frequentia celebravit, ut Petrinæ Ædi, pro qua laborabat, pararios conciliaret. Veniam nulli facile negavit, Diplomata tam chartacea, quam membranacea, prodigè distribuit, nihil tamen cuiquam gratis. Duobus *Ursis*, (quos ab impressa figura *Batzen* sive *Bätzen* nomen accepisse verisimile est) quibus res erat angusta domi, ceteris majori pretio prostabat locupletissimus Indulgentiarum & dispensationum thesaurus. Coronatum ditiores, qui sibi singulis, qui verò (nam ne hoc quidem iis negabatur) integris vel civitatibus, vel præfecturis hac Pontificis gratia consultum voluerunt, liberaliorem solutionem afferre debuerunt. (a) Cum discessus instaret, convocatis per campanas civibus Urbis in templo majori post meridiem, per *Henricum Lupulum*, Collegii Canonicum, ipso veluti Mercurio in chori altari medio stante, triplicem Pontificis gratiam promulgari voluit: *Prima* ex superabundanti Christi & omnium sanctorum Thesauro, omnibus tum præsentibus, qui flexis genibus peccata confiterentur, orationem Dominicam cum salutatione Evangelica ter recitarent, omnium peccatorum remissionem, à culpa & pœna concessit, eique, quam in Baptismo habuissent, integritati restituit. *Secundâ* in ipsum Purgatorium perrupit; ut qui ter quotidie templum ma-

(a) Hujus rei exempla dedit idem J. H. HOTTINGERUS in Hodego P. III. p. 464.

jus orantes circuirent, animam, quam vellent, liberarent ex Purgatorii flammis. *Tertia* erat omnium liberalissima. Postquam enim singuli genibus flexis quinquies tum Orationem Dominicam, tum salutationem Angelicam, in defunctorum subsidium, recitassent, elata exclamavit voce: *Ab eo momento omnes Bernensium defunctos, ubicunque excessissent, simul liberatis tam ab inferorum, quam Purgatorii cruciatibus, & in Cœlum translatos.* Abiturus prolixe commendat privilegia & gratias, quas D. D. Bernensibus fuisset impertitus: Habere ergo illos causas & Deo agendi gratias, & filiale suum obsequium sedi deinceps Romanæ probandi: oblatoque Senatui & Populo Bernensi *Confessionali*, & *ἀσυμβολος* Berna abiit, & crumena turgida auctus; Tum vero is *Lentzburgum* profectus est, ibique agyrtæ instar, merces expositurus repulsam tulit à Pastore Staufbergensi M. *Johanne Frey*, qui, authoritate Episcopi Constantiensis munitus, hominis propudiosæ licentiæ frenum injicere ausus est. Cum enim novi hospitis impudentia ad aures *Hugonis Constantiensis* pervenisset, ægrè, hominem peregrinum, insalutato ordinario, adeò agere protervè & temerè, tulit: Scripsit proinde *Tigurum* ad *Zwinglium*, cæterosque loci Pastores, ut, *quia Bullas suas & Credentiales Literas, quas vocant, hactenus Sansonius non ostendisset, ne Templorum quidem accessus ei pateret.* Vicarius vero etiam Hugonis, *Johannis Fabri*, non minus in Monachum illum, ejusque mercem tum est invectus. Sed adunco naso Pastoris *Staufbergensis* inhibitionem *Sansonius* suspendit, minatus, se & ipsi, & Episcopo, *Badæ* negotium facessiturum. Abiit ergo *Badam*, minis turgidus, ubique crepans, sibi à summis Magistratibus *Bernensi*, *Lucernensi*, *Uraniensi* aditum nunquam fuisse negatum, sperare proinde, Pastorem loci suæ negotiationi nullum positurum obicem. Missa, & ceteris pro defunctis peractis officiis, in cœmiterium quotidie magna cum pompa excurrens clamare solitus est: *Ecce volant!* quibus præstigiis Indulgentiarum virtutem imperitæ plebi commendare voluit, quasi ipse animas ex Purgatorio, veluti carcere liberatas, circumvolare cerneret. Id quod homo non malus falsè derisurus, pulvillum in turrim doportavit, excussisque plumis, firmo latere vociferatus

ratus eſt: *Ecce volant!* Relicta *Bada* vicinum *Bremogartum* ſalutavit, & in eo tum Paſtorem loci (ita ipſe refert BULLINGERUS, Bremogartenſis Hiſt. Ref. Mſc. p. 11.) M. *Nicolaum Chriſtianum*, tum Scultetum, (ſive loci Prætorem) qui quidem gratificari parati erant: Decanus verò, *Henricus Bullingerus*, (a) audaciſſimo conatui ſerio reſtitit, aditum Simoniaco nequaquam permiſſurus. Cum & Bullas, & Sculteti, M. Chriſtiani etiam, authoritatem opponeret; *Audio quidem*, inquiebat Decanus, *poteſtatem Romæ conceſſam, exponendi etiam ſcruta licentiam à Sculteto impetratam: Sed nunquam ſibi hactenus Epiſcopi, adeòque ordinarii approbationem oſtenſam, & conſenſum: ſibi præterea potiſſimum, non Senatui, aut alii inferiori, curam Paſtoris incumbere. Religionem periclitari & conſcientiam: nec impetrare à ſe poſſe, ut bruta hac conniventia populus vanis & inanibus iſtis Bullis lactatus facultatibus ſuis ſpolietur.* „ At major, (commotior ita regeſſit Monachus,) Pontificis, „ quam Epiſcopi eſt authoritas: Illius ergo tibi injungo nomi-„ ne, ut ne per te populus gratia iſta Romana defraudetur.„ *Ego vero*, reſpondit maſculè Decanus, *quidvis aliud facilius fecerim, Vitam citius amittam, quam, ut fraudes tu tuas Eccleſiæ meæ obtrudas.* „ Te itaque Beſtia, (regeſſit Italus,) qui tam audac-„ ter ſedem Romanam contemnis, ipſius Magiſtratus adeò „ procaciter mandatis obniteris, Excommunicationis terribili „ percello fulmine: Nec te expedies, donec maculam temeri-„ tatis tuæ 300 aureis nummis elueris.„ Abiturus ergo Decanus, vultu ab Impoſtore averſo, dixit: *Ego verò ſpero, nihil quod ab officio meo ſit alienum, de quo etiam, ubi opus fuerit, reddam rationem, deſignaſſe. Ceterum fulmen tuum brutum eſt! De quo proinde non magnopere ſum ſollicitus.* Hinc majori Sanſonius indignatione ſuccenſus; „ Ego verò, inquit, audax beſtia! Tigurum „ properabo, ibique de tua pertinacia, in conſeſſu omnium „ Helvetiæ Cantonum, querar. Per univerſam mihi Helve-„ tiam major injuria non contigit.„ Cui intrepide Decanus: *Nec mihi aditus ad Helvetia ordines difficilis eſt, coram quibus me ſiſtere non erubeſcam.* Hæc exeunte Februario Anni 1519. acta

Q 3 ſunt;

(a) Is *Henrici* BULLINGERI deinceps nobis commemorandi pater erat.

sunt; atque adeò, eo tempore, quo Zwinglius Ministerium suum Tiguri erat auspicatus, & jam inde à Calend. Januar. impiam illam Simoniam graphice depinxerat. Quin & *Constantiensis Episcopus* ad Ordines Helvetiæ tum Tiguri congregatos, Legatum misit, qui Monachi ingressum in urbem impediret. Adeo blasphemæ mercaturæ odium ubique in flammam erupit! Cum itaque Monachus viam sibi *Bremogarto* sterneret, ipseque paulatim moveret, erant à Senatu *Tigurino* deputati, qui appropinquanti ipsi, & ad insignia bovis, pone Silam, divertenti, significarent, *ut ne urbem ingrederetur, ingratissimus futurus hospes.* In Pontificis tamen gratiam, & quod Legatus ejus esset, extra mœnia Amplissimus ei Magistratus suam φιλοξενιαν probare voluit. Cum in Senatu deliberaretur, utrum in ipsam intromittendus urbem, erat ex Senatoribus, qui diceret, *se non impediturum quidem, quominus admitteretur, admissum tamen è vestigio aquis suffocandum: Er woll ihne wol helffen herein lassen, aber von stund an einen locken Wasser aufheben.* Atque hinc nullum hactenus exemplar Indulgentiarum Tiguri emtorum obtinere potui. (a) Cum verò ille simularet, habere quæ in Comitiis publicis, Pontificis nomine proponeret: Ominari facile nostri poterant, de hoc tantum actum iri, ut suas extruderet & obtruderet merces, simulque injuriarum Bremogartensium Decanum postularet, monitus fuit seriò, ut abiret, jussus verò Decanum & absolvere, & à querelis aut actione injuriarum posthac abstinere. Rebus igitur ille suis convasatis, in iter se conjicit, Italiam, non tamen Romam, petiturus, veritus procul dubio, ne Pontificis, cui jam per Helvetiæ Ordines de impudentissimo Monachi mercatu constabat, meritas lueret pœnas.

§. LIX. Tum verò Tigurini, ne sibi, suæque causæ deessent, statim ad Romanum Pontificem dare literas, atque de Samsonii impudentia conqueri, quibus è vestigio respondere Pontifex, sed admodum tepidè atque in favorem Ordinis, addens, se jure suo in distribuendis hisce Indulgentiis uti, velleque ut fides iis habeatur sub pœna Excommunicationis.

Erat

(a) Sunt hæc omnia HOTTINGERI verba ad Secul. XVI. T. III. p. 175.

Erat verò hæc ejus Epistola. (a)

Leo X. Episcopus, servus servorum, perdilectis filiis, nobilibus Viris, Cantonibus Helvetiorum salutem & Apostolicam benedictionem. Placuit nobis intelligere, quod, cum ex quorundam Religiosorum disputationibus circa Indulgentias, per nos, pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum concessas & isthic publicatas, *dubia quædam exorta fuerint, quæ animarum vestrarum periculum & scandalum aliquod parere possent. Apostolicæ Sedis Oraculum consulere voluistis, ipsius sedis Consiliis adhærere & jussionibus parere.* Nos igitur devotioni vestræ super his respondimus, quod cum nuper, super hujusmodi Indulgentiarum publicatione inter aliquos Theologos partium Alemanniæ similis Disputatio exorta fuisset, dilecto Filio, Thomæ titulo S. Sixti Presbytero Cardinali, in Partibus Alemanniæ nostro & Apostolicæ Sedis Legato, per alias nostras Literas rescripsimus, *Romani Pontificis Potestatem in hujusmodi Indulgentiarum concessione, juxta Romanæ Ecclesiæ veram definitionem, quam ab omnibus teneri & prædicari debere sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, ejus absolutionem præterquam in mortis articulo, nobis & eidem Romano Pontifici reservanda decernimus, prout ex ipsis Literis quas vobis consignari mandamus, plene videre & servare curabitis.* De cætero disputationibus hujusmodi, quæ scandalum in mentibus generare possent, aures non præbendæ, sed veræ determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & hujus Sanctæ Sedis, quæ non permittit errores, firmiter adhærebitis: Ipsumque Prædicatorem, ad omnem requisitionem vestram, revocari mandavimus, & si eum in his, quæ scribitis, excessisse invenerimus, puniri faciemus. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1519. prid. Kalend. Maji, Pontificatus VII. (b)

§. LX.

(a) Quam Cl. KAPPIUS inseruit Collectione ad negotium Indulgentiarum spectanti pag. 489. 490. 491. ex HOTTINGERI ad Secul. XVI. Tomo III. p. 177. 178.

(b) Idem vero loco citato Hottingerus simul quoque literas nomine Papæ scriptas, tum ad Tigurinos à *Joh. Baptista de Puppio* Commissario. Apostolico &c. exhibet, quibus blandis verbis vel Indulgentiarum

§. LX. Atque ita divino beneficio in Helvetia (non minus quam in Saxonia Lutheri,) ZWINGLII, aliorumque, qui ceu fidi parastatæ in partem operæ venerunt, ministerio, Reformationis felicia jacta sunt fundamenta, & quod Evangelio nascenti Hierosolyma fuit, idem renascenti (a) & ex corruptelis Papatus Romani restituto, fuerunt duæ insignes Metropoles, WITEBERGA Saxoniæ & TIGURUM Helvetiæ Caput. Et *Witebergam* quidem matrem agnoscunt Ecclesiæ, per utramque *Saxoniam* laxius sic dictam, & ei adsitas provincias in *Germania*, per *Daniam* item, *Norwegiam*, *Sueciam*, *Poloniam* ac *Lithuaniam*. *Tigurum* verò eodem honore dignantur Ecclesiæ *Helvetica*, & superioris Germaniæ, præcipue *ad Rhenum*, nec non aliæ per *Galliam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Belgium*, *Polonia* ac *Lithuania* partem, ac deinceps per *Hungariam* ac *Transsylvaniam*. Quæ omnes utriusque Metropoleos Ecclesiæ, etsi communem contra Papatum causam agant, alteris tamen, quæ Tigurinam Confessionem sequuntur, hæc prærogativa optimo titulo tribuitur, *quod ab erroribus & superstitione Papatus purgatiores sint ac puriores, eoque gravioribus Papæ & Asseclarum ejus odiis perpetuis obnoxia.* Sunt verò illa duo cumprimis, quæ in repurgatione à Zwinglio facta, quam deinceps accuratius ex Monumentis fide dignis publicis & privatis enarrabimus, laudari solent, *Unum:* (b) quod Zwinglius non Imagines tantum ex templis amovit, sed simul omnes *cerimoniarum superstitiones* abrogavit. *Alterum*, quod errorem pœnitendum *corporalis præsentiæ Christi* in S. Cœna mature deprehendit, & publice confutavit, eoque ipso doctrinam Sacramentorum plenius & dilucidius, quam ante eum alii explicavit.

Quæ denuò, Viri ex nostris doctissimi pariter atque moderatissimi

tiarum Institorem commendatum porro, vel ingratum cum gratia saltem dimitti petit. Et cum ipse Pontifex in suis Literis *Thomæ de Vio Cajetani* injiciat mentionem, tum & illud *Diploma Pontificium* ad Cajetanum missum ad Kal. Januar. 1518. signatum, ab HOTTINGERO l. c. p. 180. 1. 2. 3. 4. exhiberi videmus; unde illud depromtum his annalibus Num. XIII. subjiciendum curavimus.

(a) Verba *Henr.* ALTINGII in Hist. Eccles. Palatina. pag. 2.

(b) Verba *Henr.* ALTINGII in Theol. Historica Loc. 1. Period. II. Artic. III. p. m. 53.

tissimi observatio ne fraudi sit Luthero, aut justissimæ ejus inter omnes æstimationi, meminisse debet Lector, (a) etiam Prophetarum priscorum vocationis dona & beneficia fuisse imparia, cum unus vitulos sustolleret, & pseudolatriam in montibus intactam relinqueret, alius contra excelsa tolleret, vitulos autem relinqueret. Præterquam, quod certissimum sit, ZWINGLIUM equidem prius, doctrinæ puritatem atque sanctitatem ursisse, omnemque fidei doctrinam ad S. Scripturæ præscripta unicè exigendam esse, scivisse, tum quoque jam, cum Lutherus adhuc, in impuris opinionum Papisticarum sordibus, successu demum temporis eluendis, hæreret: Non jam Mysticorum fimeta commemoro, quæ certe quod non satis inde à principio fuerint expurgata à Luthero, ex mirifica illa, qua passim, *Theologiam Germanicam* & J. *Tauleri* libros collaudat, commendatione, colligitur; Sed & cum in Explic. *Orationis Dominicæ*, quæ A. 1518. conscripta est, nondum rejicere patet *precationes S. Brigittæ & rosarii*, neque hactenus *cultum sanctorum improbare*. Quid? quod eodem tempore in Explic. Ps. cx. admodum acerbe invehat in *Picardos sive Bohemos*, qui ex Ecclesia Romana ob vitia sacerdotum secesserint, eosque *pro hæreticis & blasphemis* habeat; Nam & Anno sequenti 1519. ita *Invocationem* asserebat *Sanctorum*, quod *miracula in eorum nomine* à Deo fiant: *Purgatorium* defendebat, *Indulgentiis vim* inesse statuebat ad *remittendam satisfactionem pro peccatis*, atque similia alia propugnabat. A. 1520. in Sermone *de bonis operibus*, illa utebatur phrasi sæpe deinceps repetita. *Deum non odisse peccatores, sed infidelitatem.* A. 1521. adhuc sibi *à Maria Virgine* procurari petebat *salutarem* cantici B. Virginis, quod sibi sumserat explicandum, *intellectum.* Et A. 1522. sufficere, scribebat, modo nemo cogatur ad *cultum sanctorum*, & *ferendos esse ajebat*, qui eum adhuc teneant. A. 1523. se, nec tum, ait, planè rejicere *Indulgontias Romanas*, sed suo relinquere pretio. Quæ tamen is deinceps omnia, (b) tunc & paulo post scripta, magno cum dolore deploravit, revocavit, & sibi propter Christum ignosci errores illos, sive ut loquitur, stultitias

R suas

(a) SCULTET. Annal. ad A. 1517. p. 13.
(b) vid. SECKENDORF Indic III. ad Comm. de Lutheran. ad A. 1519.

ſuas petiit non una vice, ſolenniter autem in Præfatione Tomi I. Opp. Latin. d. 5. Martii 1545. conſcripta, & alia, quam Tom. I. fol. 521. Diſputationibus ſuis præfixit, ut vaniſſimi quidem ſint, recte obſervante illuſtri *Seckendorfio*, malæque fidei, qui etiam hodie ex his ſcriptis antilogias eruant, easque Beato Luthero imputent, ſed, ut rectè tamen exinde concludatur, quod purior inde jam ab initio fuerit Zwinglii & Helvetiorum Reformatio, quanquam etiam ipſe Lutherus in his meliora deinceps edoctus, & purus fuerit & inculpatus.

Et quidni ZWINGLIUM diceremus, quod in ſuperioribus jam (a) eſt monitum, *Reformatorem primum*, quanquam is etiam A. 1519. demum ſeſe Samſonis impudentiæ, ſtrenuè oppoſuerit, cum conſtet, abinde non arceſſi debere Reformationis Helveticæ exordium, ſiquidem Zwinglius maluerit in aſſerenda veritate prius, quam in evertenda falſitate laborare; Accedit ipſius BEATI RHENANI ad *Zwinglium* Epiſtola, jam d. 24. Maji A. 1519. data, quæ, quam Zwinglius tum jam in opere ſuo conſtantiam declaraverit, evincit, ut aliquot abhinc annis eundem hoc opus ſuſcepiſſe, quivis præjudiciis vacuus exinde colligere poſſit: Verba ex *Rhenani* autographo (b) hæc ſunt: „ Literæ tuæ alioquin mihi gratiſſimæ, gratiores vel hoc nomine fuerunt, quod *conſtantiam* animi tui in docendo Chriſto „ declararint. Equidem laudandus es, qui rem optimam ac ſaluberrimam *prudenter cœperis;* magis laudandus, quod cœptam „ *conſtanter proſequaris*, ne tantillum quidem mutatus ab his, „ quibus dolet Chriſtianam renaſci pietatem, & puram Chriſti „ doctrinam populo tradi. Quod ſi magnificat eos vulgus, qui „ in acie viriliter perſtiterunt, annon te virum dicamus, qui in „ propoſito docendæ pietatis, *tam conſtanter* (*NB.*) *perſeveras?* „ Sed accipe pulchrum conſilium, quod rei, *quam* (*NB.*) *nunc* „ *agis*, valde conferet, & adverſariis tuis plurimum nocebit. „ Adamus Petrejus Typographus (noſſe te puto hominem) aliquot Lutherii novos libellos Germanicè ſcriptos, typis ſuis „ eſt impreſſurus, expoſitionem videlicet Dominicæ precatio- „ nis,

(a) vid. §. XLVIII. & XLIX. p. 132. & 135.
(b) vid. HOTTING. Sec. XVI. P. II. pag. 217.

„ nis, luculentam & planè Lutherianam. Præterea Germani-
„ cam Theologiam, ad quam collata quamlibet subtilis illa Scoti
„ Theologia, crassa erit & hebes. Et hujus generis alios ali-
„ quot libellos: Quos si tu pro concione publice commenda-
„ ris populo, hoc est, emendos suaseris, crede mihi nego-
„ tium, *quod instituisti (NB.), planè*, & ex animi sententia tibi
„ succedet.„

§. LXI. Sed, ut quomodo strenuè per LUTHERUM Res illa fuerit promota, videamus, necesse est.

Diximus in superioribus (a) Lutherum Theses A. 1517. prid. Kalend. Novembr. numero 95. contra Indulgentias publica disputatione proposuisse, atque insuper datis ad *Albertum* Moguntinum Archiepiscopum (b) Magdeburgensem literis, quibus ipsæ Theses erant inclusæ, eum orasse, ut *Indulgentiarum loco Evangelium doceri* juberet. Sed iste, quippe qui particeps erat rapinarum Tezelianarum, nihil respondit: Episcopus verò Brandeburgensis *Hieronymus*, ad quem itidem (c) dederat literas Lutherus, Luthero equidem per literas & Abbatem quendam Leninensem (d) respondit, sed ita ut *Lutherum moneret, ne quid temere novaret, optare se enim & petere, ut paulatim differat editiones probationum suarum, affirmabat;* addens, *se valde nolle à Luthero editum de Indulgentiis sermonem vulgarem*, quem *deinceps non edendum nec vendendum rogavit.* Et pariturus omnino fuisset Lutherus,

(a) vid. §. XLIV. pag. 114 ubi & indicavimus, quod has Theses V. E. LOESCHERUS inseruerit Actis & Documentis Reform. T. I. pag 439. seq. unde eas inter Documenta Num. XI. huic Operi subjunximus

(b) Vid. Epistolar. Lutheri Tom. I. pag. 38. quanquam accuratissimam hujus Epistolæ editionem ex Lutheri αὐτογράφω, quod in Suecicum Archivum est translatum, nobis dederit Cel. KAPPIUS in Collect. Indulgent. pag. 292--297.

(c) Sed quæ amplius non supersunt, uti quod ad alios quoque Episcopos scripserit, testatur MYCONIUS in Histor. Reform. pag. 22. sed, quas ipsas quoque temporum injuria periisse, notat KAPPIUS in Collectione Indulgent. pag. 288, 289.

(d) Vid. Epist. Luth. T. I. num. 32. fol. 40. conf. Loescher in Act. &c. Tom I. Cap. XXIV. & Tom. II. cap. I. ubi variorum de Lutheri moliminibus inter se collatas refert sententias.

therus, (quippe qui tum respondit: (a) *Bene sum contentus, mala obedire quam miracula facere, etiamsi possem,*) nisi *Tecelius, Eckius, Prieras, Hoogstratus*, aliique, virulentissimis scriptis ipsum irritassent.

In Thesibus illis tradebat inter alia Lutherus, *Indulgentias* nihil esse, nisi relaxationes pœnarum Canonicarum. Non respicere nisi *vivos*. Papam in *Purgatorium*, clavium potestatem non accepisse. Quemlibet vere compunctum habere plenariam à pœna & culpa, etiam sine indulgentiis, *remissionem*. Per solas *indulgentias*, qui credunt salvari, damnatos esse cum suis magistris. Thesaurum illos esse non Christi sed Papæ. Et *Rete*, quo divitias hominum piscentur &c. &c.

§. LXII. Incredibile dictu est, quanta celeritate hæ Theses quæ belli hujus classicum canebant, & quas templo arcis Witebergensis ad disputandum publice affigi curaverat Lutherus, per ora manusque virum volitarint, quod equidem occasione festivitatis encæniorum tum Witebergæ celebratorum promotum esse, credi potest, sed ita tamen, ut mirum id videri unicuique possit cogitanti, quod tum temporis cursorum publicorum, (quos vulgo *Postas* vocant,) talis, qualis hodie usus non esset, siquidem intra quatuordecim dies per totam Germaniam, & unius mensis intervallo, per omnem Christianum populum Lutheri ejusque cœptorum fama percrebuerit. Erant, qui Luthero statim assurgebant Viri Docti atque pii; Erant, qui fremebant cum Tezelio & ejus asseclis; Erant, qui Lutherum temeritatis accusabant, ac audaciæ nimiæ, quanquam etiam faverent causæ. Erant, qui fortunatum omnem desperabant eventum, inter quos *Albertus* KRANZIUS insignis alioquin Vandalorum Historicus, Thesibus hisce conspectis dixisse fertur: (b) *Frater, vade in cellam tuam, & dic, Miserere mei Deus!* subinnuens, frustra Monachum Augustinianum adversus Pontificem disputaturum. Witebergæ (c) Prior & Supprior metu per-

(a) SCULTET. pag. 17. uti hæc verba Lutheri responsoria in ipsa illa ad spalatinum data Epistola ab ipso referuntur.

(b) Testibus *Bucholzero* & *Chytraeo* in Saxonia apud *Scultetum* p. 14.

(c) Ita *Scultetus* pag. 14.

perculsi Lutherum adeunt, rogantque: pareat ordini, nec illum ludibrio hominum exponat. Jam nunc in sinu gaudere Franciscanos, in ignominiæ suæ societatem Augustinianos venisse. Quibus respondit Martinus: *totum hoc statim concidet, si in nomine Domini cœptum non est. Sin autem, Deo rem committiti perficiendam.* Monachus quidam in Saxonibus prope Bitterfeld, conversus ad Sacrificulos, *Ha, ha, ha*, inquit, *venit jam is, qui vos recte tractabit.* Complures alii in claustris monasticis, tyrannide humanarum superstitionem pressi, Deo gratias agebant pro liberatore.

Ab hoc itaque tempore (a) universæ Europæ oppidulum *Witeberga* innotuit. „ Audivimus, (ita SCULTETUS,) à Præ„ ceptoribus nostris, diversarum gentium studiosos, Lutheri & „ Melanchthonis audiendi gratia Wittebergam profectos, ad „ primum oppidi conspectum, complicatis manibus Deo gra„ tias egisse, quod sicut olim è Sione, ita isto seculo à Wi„ teberga Evangelicæ veritatis lucem in remotissima regna „ voluisset diffundi. Compertumque est (b) Martinum Poli„ chium Mellerstadium verè de Academia Witebergensi vati„ cinatum fuisse, *illam cunctas alias Germania Academias sua luce* „ *obscuraturum.* „

§. LXIII. Enimverò, qua via incesserint, pervidendum est, qui Lutheri Thesibus se tactos sentiebant.

Inter hos enim primus ipse *Joh.* TETZELIUS, suæ causæ deesse non volebat, atque adeò *primò* omnium vernaculum Lutheri sermonem (c) ipsemet confutandum sibi sumebat, edito,

 ut

(a) *Scultetus* pag. 16, 17.
(b) vid. MELANCHTH. Declamat. Tom. VII. p. 341.
(c) HAHN. Histor. Sacrar. à Luth. emend. p. 34. qui simul observat, quam de rebus hoc ordine à Tetzelio gestis, testentur, SECKENDORFIUS, VOGELIUS in Vita Tezelii, & alii, itemque LOESCHERUS, Actor. Tom. I. p. 484. Sed qui tamen Tom. II. p. 320. moneat, Germanicum Tetzelii in Lutherum editum scriptum, rectius in Ann. 1518. collocari, tanto magis quoniam supra quoque jam observavimus, ne ipsum quidem Lutheri sermonem ante annum 1518. fuisse publicatum. Saltem, quod demum sub finem Maji 1518. eam *refutationem Sermonis vernaculi*

ut putatur Lipsiæ, quodam scripto, quo Sermoni Lutheri ad xx. articulos redacto, additis totidem responsis velut antidotum positum volebat. Mox autem Thesibus & Sermone Lutheri *Juterboci* in publico foro combustis, ut fortioribus armis Luthero occurreret, in vicinam Academiam *Viadrinam* evolabat, ubi supremis in Theologia honoribus decorandus, conscriptis duabus, non quidem sua, sed *Conradi* WIMPINÆ, (a) celebris ibidem Doctoris, opera, Dissertationibus, quarum altera CVI. altera L. Thesibus constabat, (b) hoc molimine Lutheri conatum prorsus se superaturum confidebat, eo tamen eventu, ut, cum res ineunte mox anno sequente A. 1518. d. 20. Januarii ad publicam disceptationem & conflictum Academicum venisset, neque Præses neque Respondens causam tunc suam tueri, contra *Joh. Knipstrovii* (c) studiorum causa ibidem agentis objectiones, satis possent, sed ad vim potius apertam confugere opus haberent.

In illis verò Thesibus, Papam TEZELIUS comparat *Petro*, & crucem à Papa erectam *cruci Christi*; traditque, „ Satisfactionem tam necessariam pœnitentiæ partem esse, & quod „ interior contritio, & exterior mortificatio, ad consequen-„ dam absolutionem divinam, inutilis sit, sine satisfactione „ aut injuncta per sacerdotem, aut canones, aut contenta „ in pœna sustinenda in purgatorio. Hanc pœnam sive hu-„ jus sive illius mundi ob peccata contrita & confessa, ut lo-„ quuntur, impositam, Papam posse per indulgentiam re-„ laxare,

culi receperit, ipso teste novimus in Epist. ad Ge. *Spalatinum* Epist. L. I. num. 52. Conf. KAPPIUS in Collect. rer. ad Indulg. pag. 315. qui & ipsam hanc Refutationem Sermonis egregie illi collectioni inseruit. p. 317-356.

(a) Conf. Christ. Gottl. WILLISCH in Præfatione ad Commentationem *de Vita Alberti animosi*, quæ 1725. 8. est edita.

(b) Ex his utrisque Thesibus quædam habemus excerpta apud SECKENDORFIUM fol. 26. & 27.

(c) Conf. SECKENDORF. Lib. III. §. 50. add 2. & qui Knipstrovii illius vitam conscripsit *Jac. Henr.* BALTHASAR in Document. Eccles. Pomeran. Collect. II. p. 315. seqq.

„ laxare, ut etiam peccatum in matrem Christi commissum,
„ quantumvis enorme, minus tamen sit, quam illud in filium commissum, quod Christi testimonio expresso sit remissibile, vere contritis, tale per Indulgentiam condonari „ posse &c.„

§. LXIV. Quidquid sit, quò distinctius ipsum cognoscamus controversiæ hujus temporis inter Lutherum & Tezelium statum, operæ erit pretium, brevibus summam utriusque scripti lectorum oculis exhibere.

LUTHERUS ait, pœnitentiæ *tres partes* à scholasticis constitui, *contritionem*, *confessionem* & *satisfactionem*, hanc in preces, & exercitia gratiæ, jejunia & mortificationes corporis, eleemosynam & opera charitatis distingui. Cum itaque Indulgentiæ, imposita satisfactionis opera auferant, sequi hinc, quod ad tollendas preces, jejunia & eleemosynas faciant. In dubio autem esse, apud multos etiamnum ex scholasticis, num divinitus irrogatam pro peccatis pœnam auferant; Sacras Literas ad pœnitentiam nihil requirere, quam *cor contritum* & *vita conversionem*. In tali statu, Deum justo, secundum Ezech. XVIII. & Exemplum Mariæ Magdalenæ, sine satisfactionibus remittere, sique infligantur pœnæ, illas & inferre & aufferre solum Deum, & præstare ut potius ferantur, atque opera satisfactoria præstentur, quam ut quis se per *Indulgentias* ab illis liberari velit; non satisfieri pro peccato, quod Deus in verbo remisit; Indulgentias esse propter inertes, qui bonis operibus vacare nolint, nec esse has vel præceptas, vel consilium de illis datum, ut adeò nullum iis insit meritum, & salva fide contra eas disputare liceat.

His verò TEZELIUS in sua refutatione opponebat, dignum pœnitentia fructum faciendum esse, satisfactionem sufficientem requiri, cum & Deus, licet Adam contritus fuerit, ipsum tamen filium ad satisfaciendum miserit. Mariæ Magdalenæ peccata Christum sine satisfactione remisisse, sed quia habuit claves excellentiæ, & magnitudinem interni doloris agnovit, at, Sacerdotibus claves esse ministeriales, qui non possint non opera externa ad satisfactionem imponere, quorum onera Pontifex Ro-

Romanus aufferre queat, ita tamen ut eadem opera vel propter habitus malos ad coercendam carnem post remissionem factam, sedulo præstanda sint, cum operibus autem illis Pontificem Romanum eandem etiam pœnam afferre posse, quam divina justitia peccatori dictavit, utpote qui jus summum à Christo habeat in Petrum & successores, verbis; *Quidquid solveris* &c. translatum. Sicque illum aufferre posse illorum pœnam in purgatorio, qui peccata non sufficienter deplorarunt in hac vita, qui verò indulgentias eum in finem promerent, hos esse in vera contritione, & contritionem, quanta quanta illa sit, nihil esse sine satisfactione, eleemosynas equidem dandas esse, sed in casu extremæ necessitatis, (b) & præstare equidem illas ad meritum salutis, sed Indulgentias esse opera misericordiæ erga se ipsum & præstare ad satisfactionem pro pœna.

LUTHERUS verò hæc ipsa Tezelii, (dissimulato ejus nomine, in quo sibi præeuntem habebat Tezelium, & *omissis adversarii foliis aridis aut floribus chartaceis*, ut loquitur, i. e. verbis inanibus,) ratiocinia, in Libello deinceps commemorando, (c) ita refutabat, ut ostenderet, si digna pœnitentiæ opera facienda sint, non posse illa à Pontifice pro Indulgentiis relaxari. De cætero improbat restrictionem eleemosynarum ad casum summæ necessitatis, & evincit, nullam erga se misericordiam esse, si quis se ipsum redimat vel à justis censuris, vel ab operibus pœnitentiæ impositis, neque adeò præmium, quod misericordiæ erga proximum à Scriptura assignatur, attribui posse, existimat, illi, qui ex amore sui redimere vult meritas & justas censuras.

§. LXV. Cæterum sub ipsius A. 1517. finem, uti SECKENDORFIO videtur, quoque novas à Luthero Theses editas fuisse notari

(a) Sic v. gr. se habet thesis 105. Tezelii: *Eandem esse Petri & omnium vicariorum potestatem, qui negat, errat, Quique pluris posse putat in veniis Petrum, quam Leonem, magis errat, imò blasphemat.*

(b) Conf. SECKENDORF. Histor. Luther. fol. 26. a.

(c) Vid. Lutheri libellus, cui tit. *Die Freyheyt des Sermons D. M. L. vom Bäpstlichen Ablas* &c. vid. LOESCHERUS in Act. & Docum. Tom. I. p. 525. seqq.

notari debet, atque publice ventilatas, *pro Bibliis*, (a) respondente sub Lutheri præsidio M. *Francisco Gunthero* Northusana:

In his, adversus Scholasticos, ducta è sacris literis argumentatione, plurima ventilari cœperunt, quæ postea accuratius expensa reformandis doctrinis amplissimam materiam præbuerunt. Sunt ibi præter alia multa, sequentia (b) quoque effata prorsus aurea.

n. 4. Veritas est, quod homo arbor mala factus, non potest nisi malum velle & facere.

n. 5. Falsitas est, quod appetitus liber, potest in utrumque oppositorum, immò nec liber sed captivus est.

n. 6. Falsitas est, quod voluntas se possit conformare dictamini recto neutraliter.

n. 18. Diligere Deum super omnia, naturaliter, est terminus fictus, sicut chimæra.

n. 20. Actus amicitiæ (erga Deum) non est naturæ, sed gratiæ prævenientis.

n. 29. Optima & infallibilis ad gratiam præparatio & unica dispositio, est æterna Dei electio & prædestinatio.

n. 30. Ex parte autem hominis, nihil nisi indispositio, imò rebellio gratiæ, gratiam præcedit.

Et quam alienus jam tum ab Aristotele & Scholasticis, ejus fuerit animus, ex his patet querelis & censuris, quas thesibus illis inseruit. (c)

n. 41. *Tota fere Ethica Aristotelis pessima est gratiæ inimica.*

n. 42. *Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare Doctrinæ Catholicæ, error est.*

n. 43. *Error est, dicere, sine Aristotele non fit Theologus.*

n. 44. *Imò, Theologus non fit, nisi sine Aristotele.*

n. 47. *Nulla forma syllogistica tenet in terminis divinis.*

S n. 48.

(a) vid. SECKENDORF. l. 1. §. XII. p. 28. Harum Thesium titulus hic erat: *Ad subscriptas Conclusiones respondebit M. Franciscus Guntherus Northusensis pro Biblia*, Præsidente R. P. D. Martino Luthero Augustiniano S. Theologiæ Witembergæ Decano, loco & tempore statuendis 1517.

(b) vid. LOESCHER. Act. & Docum. T. 1. p. 540. seq. ubi hæ Theses exhibentur.

(c) Vid. SECKENDORF. p. 28. a. & LOESCHER l. c. p. 542. 543.

n. 48. *Non tamen ideò sequitur, veritatem Articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis.*
n. 50. *Totus Aristoteles ad Theologiam est sicut tenebræ ad lucem.*
n. 52. *Bonum erat Ecclesiæ, si Theologis non natus fuisset Porphyrius cum suis universalibus.*
n. 53. *Usitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principium.*

§. LXVI. Antequam verò in ipsam nos ulterius immittamus rerum gestarum Historiam, de Viris quibusdam Doctis præfari adhuc libet, quorum equidem studia vehementem in modum Reformationi fuerunt proficua, ita tamen, ut ipsi plene planeque nondum ab Ecclesiæ Romanæ communione secesserint, aut Reformationis à Zwinglio & Luthero suscepto negotio assensum præbuerint.

Inter hos sunt *Johannes* REUCHLINUS. *Desiderius* ERASMUS. *Johannes* STAUPITIUS. *Ulricus* HUTTENUS Eques. *Franciscus van* SICKINGEN Heros. *Bilibaldus* PIRCKHAYMERUS. *Jacobus* FABER Stapulensis. *Gulielmus* BUDÆUS. *Thomas* MORUS. *Jacobus* WIMPFELINGIUS. *Petrus* MOSELLANUS. *Beatus* RHENANUS. *Mercurinus* DE GATTINARIA, aliique.

§. LXVII. *Johannem* REUCHLINUM (a) quod attinet, quem Hermolaus Barbarus pro illorum temporum more *Capnionem* appellavit, dignum elogio Trithemii, *quod is solis literis, non etiam perstrepenti curia* (erat enim & Jureconsultus & Consiliarius Eberhardi Ducis Wirtembergensis) *populari incumberet: Nullum enim nobis non modo Italia, sed nec Seculum nostrum huic tanto Viro parem objiceret.* Is Phortzhemii A. 1450. natus erat, à patria dictus Phorcensis, atque tum alibi, tum inprimis Parisiis & Basileæ, studiorum fundamenta posuit, usus utrobique Magistro *Wesselo* Groningensi, (b) qui tum ibi docebat, à quo præter necessariam Philosophiæ & Linguarum cognitionem, cum Hebrææ Linguæ rudimenta percepit, tum etiam sensa ejus & judicium de Religione ac capitibus

(a) Quam ERASMUS ex vero de eo dixerit: *Merito virum hunc ceu Phœnicem, & unicum suum decus tota suscipit ac veneratur Germania*, ex Ej. Epistolis II. 174. ad Leonem X. p. 154. Lit. C. conspicitur.
(b) vid. J. H. MAJ. in Vita *Reuchlini*. p. 154. seq.

tibus controversis rectè hausit & constanter tenuit. Eum hortatus est *Wesselus* & *Antonius Contoblacas* natione Græcus, ut Andronic
cum mediocrem Græcarum Literarum peritiam acquisivisset, iisdem plenius & planius cognoscendis sese dederet, propterea quod copia *Codicum Græcorum* major suppeteret *Basileæ*, quam alibi, utpote quò, tempore Concilii Basileensis, Cardinalis Cusanus, magnum eorum numerum devehendum curavit: Ita his partibus plenius informatus, ad Academiam *Tubingensem*, (a) & inde porrò in Aulam *Wurtenbergensem* adscitus fuit. Sed cum ab obitu Ducis Eberhardi gubernationis mutatio accideret, & Vita ipsius, monachi cujusdam insidiis, qui apud Principem plurimum valebat, peteretur, ipse periculi declinandi causa *Heidelbergam* ad Electorem Palatinum, nomine *Philippum*, concessit, & tum in Aulam, tum etiam in Academiam vocatus fuit, delectatus utrobique magnorum ac doctorum Virorum consuetudine, quibus tum Heidelberga florebat. Et in Aula quidem, quod ante fecerat *Rodolphus Agricola*, idem ipse instituit, rogatu Electoris, ut novam Epitomen historiarum per omnes Monarchias deductam Principi contexeret, explicatis præcipuis rerum momentis, quæ sub imperiis illis contigerant. In Academia autem novo & eousque inaudito in Germania exemplo scripsit Progymnasmata scenica, sive Comœdias, *Hennonem* & *Sergium*, quarum alteram magno cum applausu publice spectandam exhibuit. Cætera autem *Studiis Hebraicis* excolendis ac propagandis tribuit. Agitabantur tunc in Aula Palatini consilia de conjugio *Ruperti* Principis Palatini, qui tertio genitus erat, & *Elisabethæ* filiæ unicæ *Georgii Divitis*, Ducis Bavariæ. Qui cum consobrini essent, nulla ratione, propinquos sanguine jungi posse videbatur, quam ut juxta Pontificis dispensationem nuptiæ coirent. Romam igitur destinatus fuit *Capnio* legatus cum comitatu ad Alexandrum VI. gratiam dispensationis ab eo petitum: ubi annum pæne integrum à Pontifice ejus rei potiundæ causa detentus fuit. Quod tempus sibi non putavit otio transigendum, sed *Literis Hebraicis* potissimum excolendis impendendum esse. Ideoque

(a) Vid. *Henr.* ALTING. Hist. Eccles. Palatin. p. 9, 10, 11. cujus hic leguntur verba.

que cum Romæ viveret Judæus nomine *Abdias*, exactiſſimus literarum Hebraicarum Magiſter, dum iſtic fuit, eum ingenti pretio ſibi conduxit noſter, ita quidem, ut in ſingulas horas ſingulos aureos didactri loco Judæo penderet. Quo ipſo id aſſecutus eſt, ut Judæus non tantum diligentiam & aſſiduitatem, ſed etiam fidem approbaret Reuchlino, adeoque ipſe tempore legationis ſuæ eousque proficeret, ut ſumma cum laude literas Hebræas alios docere poſſet. Accidit autem & aliud in hac legatione. Vivebat & docebat Romæ eodem tempore *Argyropylus*, exul ex Græcia profugus, & ſtipendio publico ad Literas Græcas docendas conductus: quod quidem, ut magna cum gratia, ita magno cum confluxu præſtabat, ut Viri, imæ, mediæ, & ſummæ ætatis, nobilis & ignobilis, Epiſcopi & Cardinales ad lectiones ejus audiendas concurrerent. Putavit Capnio etiam hujus auditorium ſibi ſubeundum eſſe, quod cum magno cum comitatu, Legato Principis digno feciſſet, & ante lectionem, conſidentibus nobilibus & ſplendidis Auditoribus, Magiſter ſciſcitatus eſt, num Græcas literas calleret, quod cum affirmaret, mediocriter ſe eas noſſe, rogavit, ut eas clara voce legeret, & Latine interpretaretur. Id cum Capnio Legatus prompte & cum gratia faceret: ita quidem ut *ad dialectum Græcorum* attemperaret pronuntiationem, tum etiam commode & eleganter redderet, gemens & tantum non lachrymans bonus Senex publice (a) exclamabat, *Græcia noſtro exilio Alpes transvolavit:* divinabat ſcilicet Græcas Literas & artes non jam amplius Italiæ finibus contineri, ſed longè latèque ad gentes etiam horridiores (quo nomine tum Germani cenſebantur) propagatas eſſe. Sic igitur, cum & publice, rem, cujus gratia illuc miſſus fuerat, confeciſſet, & privatim Literas Hebræas excoluiſſet, atque etiam Græcarum ſpecimen non infelix edidiſſet, regreſſus eſt ad Electorem Palatinum, & Legationis ſuæ ratione reddita, ad quietem ſe compoſuit, ac ſimul ad ſtudia Hebræa rediit. Mutatis autem interea rebus in Ducatu Wurtenburgenſi, cum ad Aulam & Academiam revocaretur, vix dimiſſus ab Electore eò reverſus eſt, ita tamen ut fructum ſui memoriamque relinqueret.

§. LXVIII.

(a) Conf. quæ §. VI. pag. 17. ſunt tradita.

§. LXVIII. Quænam ipsi cum Monachis, ægre ferentibus doctrinæ lucem, ipsumque hæreseos accusantibus, intercesserint lites, non accuratius Lectori repræsentabimus, quam verbis Doctissimi Dissertatoris in STRUVII *Collectaneis Manuscriptorum*, qui hunc in modum.

„ Anno, inquit 1510. acre certamen (a) inter ipsum & Mo-
„ nachos quosdam Colonienses oriebatur de libris Judæorum,
„ an sint exurendi. Cujus certaminis hæc origo fuit; Erat Co-
„ loniæ Agrippinæ quidam Judæus nomine *Johan Pfefferkorn*,
„ qui simulabat Religionem Christianam, & familiaris erat Ja-
„ cobo Hogostrado, Monacho Dominicano, hæreticorum in-
„ quisitori, ejusque sodalibus. Hic ostendit magnam pecuniæ
„ vim honesta specie à Judæis extorqueri posse, si edicto Im-
„ peratoris juberentur illi, libros suos omnes afferre in curiam,
„ in suo quisque oppido, ut præter Biblia, cæteri tanquam Re-
„ ligioni Christianæ perniciosi comburerentur. Ita enim fore,
„ ut Judæi grandi ære libros suos ab incendio redimerent. Hanc
„ autem pecuniam dividendam putabat inter Inquisitores &
„ consocios hujus Consilii.

„ Monachi, quibus consilium placebat, edictum ab Impera-
„ tore Maximiliano petunt. Editur edictum, & Francofurti
„ Libri Judæorum in curiam asportantur. Interea Judæi ope
„ Patronorum, quos in Aula Imperatoria habebant, rem eo de-
„ ducunt, ut Imperator per *Urielem*, Archiepiscopum Mogun-
„ tinum sciscitaretur judicia eruditorum in Lingua Ebræa.
„ Reuchlinus ergo jussus & ipse scribere quid sentiat, Respon-
„ dit, *Judaorum Libros non esse ejusdem generis. Qui blasphemi*
„ *essent in Christum, eos abolendos; Grammaticos autem & aliarum*
„ *honestarum artium libros conservandos esse, ergo* (fortè: *eò quod*)
„ *ad Ebraa lingua pleniorem cognitionem, & ad ipsos Judaorum er-*
„ *rores & deliria refutanda magnopere conducant.* Hæc sententia
„ cum magis placuisset Imperatori, libri in curiam Froncofur-
„ tensem translati Judæis restituuntur.

„ *Pfefferkornius*, ubi se Reuchlini consilio tanquam hiantem

S 3 „ cor-

(a) STRUV. Acta Litterar. ex MSS. eruta Fascic. II. pag. 99. seqq. conf. *Seckendorf.* L. I. fol. 103. 104.

„ corvum elusum vidit, edito libello, ipsum ut Judæorum fau-
„ torem & patronum publice traduxit. *Reuchlinus*, ut existi-
„ mationi suæ consuleret, contrario scripto respondit, quo im-
„ primis Colonienses Theologos, Pfefferkornii conplices in se
„ citavit. Ex his *Arnoldus Tuncarus* invectivam in eum emisit,
„ *Jacobus Hogostradus* autem & suo & complicium nomine ip-
„ sum apud Moguntinum Archiepiscopum hæreseos accusavit,
„ cumque Moguntiæ frustra de ineunda pace actum esset, Reuch-
„ linus provocavit ad Romanum Pontificem. Pontifex Episco-
po Spirensi, *Georgio Palatino* mandavit, ut causam cognosceret. Hoc tamen non obstante, Colonienses scriptum Reuchlini damnant, & mense Februario Anno 1514. Vulcano consecrant. Tulit hoc indignè Spirensis Episcopus, & quoniam actor *Hogostradus* more consueto, per intervalla citatus non comparuerat, secundum *Reuchlinum* pronunciat, ejusque librum approbat, & *Hogostradum* damnat in sumptum litis resarciendum. Ille verò, ut scripturam hanc irritam faceret, ad Pontificem provocat, & ipse Romam petit. Interim ejus socii *Parisienses* Theologos sollicitant, & adversus *Reuchlinum* inflammant. Quod ubi rescivit Princeps Wurtenbergicus, apud eos intercessit per literas; ipse quoque *Reuchlinus* peramanter ad eos scripsit, quod ipsorum fuisset aliquando Discipulus, & una misit latam ab Episcopo Spirensi Scripturam. *Parisienses* autem nihil eo commoti librum *Reuchlini* & ipsi damnant, ut incendio dignum, & autorem ad revocationem cogendum esse decernunt.

Hogostradus Romam profectus diligenter causam egit. Sed erant Cardinales, *Grimanus* scil. &, S. *Georgii*, qui propter insignem eruditionem favebant Reuchlino. ERASMUS etiam ejus causam Cardinalibus hisce, immò ipsi Pontifici Leoni X. haud perfunctorie commendabat, & quidem in Epistola (a) ad *Raphaëlem Cardinalem S. Georgii* pridie Calend. April. 1515. scripta: *Majorem in modum*, inquit, *te & obsecro & obtestor per bonas Literas, quibus tua celsitudo semper unice favere solet, ut eximius Vir Dominus Joh. Reuchlinus in suo negotio aequos vos sentiat & benevolos. Eadem opera bene merebimini de Literis & Literatis omnibus, quorum*

(a) v. ERASMI Epistolar. Tom. 1. n. 168. fol. 146.

rum ut quisque doctissimus est, ita illi impensissime studet. Huic omnis debet Germania, in qua primus Graecarum & Ebraicarum literarum studium excitavit. Vir est enim plurimum linguarum egregie peritus. Variis expolitus disciplinis, jam libris editus clarus, & orbi Christiano notus, Caesari Maximiliano cumprimis gratus, ut cui sit à Consiliis, gravis & honoratus apud suos, inter quos Triumviri munere fungitur, fama semper hactenus incontaminata. Ad haec senectute jam & canitie reverendus. Proinde & ille promerebatur, ut hac aetate honestissimorum studiorum dulcissimam meteret messem; & nos expectabamus, ut quod annis compluribus contigit, nunc in communem omnium promeret utilitatem. Bonis ergo omnibus indignissimum videtur, non solum apud Germanos, verum & apud Anglos & Gallos, quibus ex literis notus est, tam eximium Virum tot ornamentis pulcherrimis cumulatum, tam odiosis divexari litibus, idque ex ea re, qua meo sane judicio vel ipsam asini umbram superet, in quam jocus extat proverbialis. Leo ergo *Papa* delectis aliquot rem committebat, qui cum magis in *Reuchlinum* propenderent, *Hogostradus*, qui supra tertium annum Romae commoratus fuerat, re infecta domum redit. Dici autem non potest, quantum invidiae apud omnes Doctos sibi conflarint hoc facto suo *Colonienses Theologi*.
„ Neque enim solum *Petrus Galatinus*, Minorita, in defensionem
„ Reuchlini Anno 1518. edebat opus *de arcanis Catholicae veritatis*,
„ in Ebraicis literis, praesertim in Talmud inventis, sed &, quot-
„ quot erant Viri Docti per Germaniam, emissis variis iisque fa-
„ cetis libellis, *Reuchlini* adversarios, ut homines barbaros, lin-
„ guarum & omnis politioris doctrinae hostes salse deridebant. In-
„ ter quos facile princeps erat *Ulricus Huttenus*, Eques Francus,
„ Vir Doctus, ingenio mirè felici ac festivo, animo etiam ex-
„ celso & confidentissimo. His Monachi instar crabonum irri-
„ tati, magis furere coeperunt. Declamabant in Concionibus ad-
„ versus *Reuchlinum*, *Erasmum* & *Huttenum*, contumeliosas ede-
„ bant picturas, futilibus argumentis sua propugnabant commen-
„ ta, & ut verbo dicam, malam causam ita pessimè & stultissime
„ agebant, ut multo plures Reuchlini sententiae accederent. „

Inter quos, cum prae caeteris *Lutherus*, *Melanchthon*, & quidquid est Virorum Doctorum, recenserentur, tum ipsius LUTHERI

ad

ad *Georgium Spalatinum* Epistola, tanto est memorabilior, quanto ea jam A. 1514. est conscripta: (a) „ Pax tibi Venerande Domine „ Magister Georgi. Petiit à me Frater meus Johannes Langius „ nomine tuo, quid sentiam ego de causa innocentis & doctissimi „ Johannis Reuchlin, contra suos æmulos Colonienses, sitne in „ periculo fidei vel hæresis. Nosti autem, optime Magister, „ quod & ego hominem in magno habeam pretio & affectu, & „ judicium meum forte suspectum est, quia (ut dicitur) liber, „ & neutralis non sum: tamen quia exigis, dico quod sentio: „ Mihi prorsus nihil apparere, in omni ejus scripto Consilio, „ quod periculosum sit.

„ Admiror autem vehementer Colonienses, ad quid tandem „ tam perplexum, ac planè (ut ipsis videtur) Gordio nodo per- „ plexiorem, in tam plano scyrpo quæritent, cum ipse tam so- „ lenni Protestatione creberrimè utatur, atque non articulos fi- „ dei, sed consilii opinionem ponat. Quæ duæ res apud me „ ita eum absolvunt à tanta superstitione, ut si omnium Hære- „ sium colluviem in suo Consilio congregasset, integræ & puræ „ fidei eum crederem. Si enim, Protestationes tales & opiniones „ à periculo non sunt liberæ, timendum nobis erit, ne forte „ tandem pro libito isti Inquisitores incipiant Camelos glutire, „ & culices colare, & Orthodoxos, etiamsi omnia protesten- „ tur, pro Hæreticis pronunciare.

„ Jam vere de hoc quid dicam, quod Beelzebub ejicere mo- „ liuntur, & non in digito Dei? Hoc est quod sæpe plango & „ doleo. Quia nos Christiani incepimus foris sapere, & domi „ desipere. Centuplum pejores sunt blasphemiæ per omnes pla- „ teas Jerusalem, & omnia spiritualibus idolis plena. Quæ „ cum summo sint studio tollenda, tanquam intestini hostes, „ nos tamen relictis omnibus illis, quæ nos maximè urgent, ad „ exteras & peregrinas causas convertimur, suadente scilicet „ Diabolo, ut nostra deseramus, & aliena non emendemus.

„ Potestne obsecro isto Zelo aliquid stultius & impudentius „ cogitari? Itane non habent infelices Colonienses, in Ecclesia „ feras & turbulentissimas causas, ubi exerceant scientiam, ze- „ lum,

(a) Vid. LUTHERI Epist. T. I. p. 8. & 9.

„ lum, charitatem ſuam, ut neceſſe ſit eos tam remotis à nobis
„ mentibus illas exquirere.

„ Sed quid facio? plenum eſt cor meum harum cogitationum
„ magis quam Lingua dicere poſſit. Hoc tandem concludo,
„ cum per omnes Prophetas prædictum ſit, Judæos Deum &
„ Regem ſuum Chriſtum maledicturos & blaſphematuros, &
„ qui hoc non legit vel intelligit, fateor eum nondum vidiſſe
„ Theologiam. Ideoque præſumo Colonienſes non poſſe ſcrip-
„ turam ſolvere: *quia ſic oportet fieri, & ſcripturam impleri.* Et
„ ſi tentaverint Judæos à Blaſphemiis purgare, hoc facient, ut
„ Scriptura & Deus mendax appareat.

„ Sed confide Deum fore veracem etiam invitis & fruſtra ſu-
„ dantibus mille millibus Colonienſibus. Dei enim ſolius hoc
„ opus erit, ab intra operantis, non hominum à foris tantum-
„ modo ludentium, potius quam operantium. Si iſtæ ab eis
„ tollantur, component pejores. Quia ſic ſunt in reprobum
„ ſenſum, per iram Dei, traditi, ut ſint ſecundum Eccleſiaſten
„ incorrigibiles: & omnis incorrigibilis correctione pejor fit,
„ & nunquam emendatur. Vale in Domino, & parce verbis,
„ ora autem pro anima mea peccatrice apud Dominum. Datum
„ ex Monaſterio noſtro hodie.

Frater tuus Martinus Luther.

Interea verò, cum novæ Monachis cum Luthero deinceps decertandæ eſſent lites, factum eſt, ut illa cum Reuchlino in fumum abiret, isque adeò in ultima ſenectute à Duce Bavariæ *Gulielmo* invitatus, in Ingolſtadienſi Academia Græcam & Hebræam doceret linguam, ita, ut, quod ipſe ſcribit (a) ad Bilib. Pirckheimerum, in ea, mane explicaret R. Dav. Kimchi, veſperi autem Ariſtophanis Plutum, auditoribus longè plus quam trecentis, unde tamen paulò poſt, cum vix ultra anni ſpatium in ea urbe exegiſſet, Tubingam denuò eſt acceſſitus, atque Stutgardiæ A. 1521. d. 30. Junii ſeptuagenarius, vel ſeptuagenario proximus finivit vitam, variorum Virorum Doctorum atque

T Re-

(a) vid. Epiſt. REUCHL. ad Pirckheimer. inter Opera Pirckheim. pag. 263. & quæ ex Gretſero Jeſuita ſunt annotata, apud Seckendorf. L. 1. §. LXX. fol. 104. 105.

Reformatorum Præceptor, (a) cujus de *Arte Cabbalistica*, de *Verbo mirifico*, de *accentibus* & *orthographia Hebraica*, *Epistolæ obscurorum Virorum*, (in quibus emittendis magnas ejus fuisse partes, perquam est credibile) *Vita Constantini M. Lexicon Hebraicum*, aliaque non enarranda, magni vel hodie censentur pretii. Quanti autem summi quique viri Reuchlinum fecerint, ex Clarorum Virorum, ex omnibus Europæ partibus ad ipsum datis Epistolis liquet, quæ à Phil. Melanchtone & ejus Præceptore Joh. Hiltebrant sunt editæ, Tubingæ 1513. 4. & deinceps Hagenoæ 1519. Inter hos autem Viros Claros, præter *Hermannum Nuenarium* Comitem, *Huttenum*, *Capitonem*, *Eob. Hessum*, *Des. Erasmum*, & similes, etiam inveniuntur *Joh. Fischer* Episcopus Roffensis, *Joh. Dalburgius* Episcopus Wormatiensis, *Thomas Truchsesius*, Decanus Spirensis, *Ægidius Viterbiensis* Augustinianorum generalis, *Phil. Beroaldus* Jun. *Picus Mirandulanus*, aliique plurimi.

§. LXIX. DESIDERII ERASMI celeberrimum Reformationis tempore Nomen erat. Natus is erat A. 1467. Roterodami, ex furtivo complexu, atque jam inde à pueritia, quanquam omnia alia de eo narrent, ingenium prodebat mirificum; cum scholam adhuc frequentaret Daventriensem, uti *Joh. Sinthemius* ejus scholæ Rector, aliquando puerum cum fuerit amplexus, Et, *Macte ingenio*, dixerit, *Erasme*, *tu ad summum eruditionis fastigium aliquando pervenies*, simulque dederit osculum atque dimiserit, cujus rei *Beatus Rhenanus* testis (b) est, qui &, *ingenium Erasmi*, ait, *mox eluxit*, *quum statim quæ dicebantur perciperet*, *& fideliter retineret æquales suos omnes superans. . . . Fuit enim memoria felicissima*, *nam puer totum Terentium & Horatium memoriter complexus est*, *Terentii comœdias puer non secus tenebat ac digitos suos*, *memoria namque fuit tenacissima*, *ingenio perspicacissimo*; Quanquam verò præstans adeo Erasmi esset ingenium, atque ad omnes cultiores literas natum, & quanquam inde jam, à quo rerum pretia ponderare noverat, is, à studio, prouti tum tem-

(a) Vitam Reuchlini sed nullo ordine consarcinavit Doctiss. *J. H* MAJUS 1687. 8. quam J. CLERICUS brevi conspectu, sed ordinatius inseruit Bibliothecæ Universali. Tom. I. p. 485-506.
(b) vid. *Beat.* RHENAN. Epist. præfixa Operibus Erasmi.



DESIDERIUS ERASMUS ROTEROD. NAT. 1476 DENAT. 1536.

Ingens ingentem quem personat orbis Erasmum,
Haec tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari desine, Lector;
Integra nam tantum terra nec ipsa capit. Theodorus Beza.

temporis colebatur, Theologico, prorsus abhorreret, vitæ tamen sese deinceps Monasticæ, magis ex rei necessitate, quod ita ejus arbitrarentur Tutores, quam prona animi lubentia, mancipare debuit, *Canonicus* factus *Regularis*, à cujus ceremoniis tamen (a) posthac, quadragenario cum major esset, eum absolverunt Pontifices Julius II. & Leo X. Quod per omnem pæne vitam peregrinatus fuerit, variæque ejus fuerint mansiones, qui ejus Vitam conscripserunt, testantur, siquidem modo *Gallia* ipsum reciperet, modo *Anglia*, quæ, studiorum tum temporis elegantiorum altrix, ipsi cumprimis arridebat, modo verò etiam *Italia*, *Belgium*, *Germania* ipsi præberent hospitium, donec in ipsa tandem *Helvetia* suos figeret Lares, ubi A. 1536. *Basileæ* diem obiit supremum.

§. LXX. Erat is, quod jam in superioribus monuimus, magnus Literarum quarumvis instaurator, ut simul quoque edito Codice 1516. NOVI TESTAMENTI Græco, (b) omnis Reformationis fundamentum primus is videri possit jecisse, ejusque publicasse normam. (c)

T 2 Ne

(a) Vid. ERASMI Epist. ad Patrem Servatium A. 1514. qua se excusat, cur mutaverit Monasticam Vitam & habitum, inter Epistolas ejus Tomo Operum III. Parte II. fol. 1527. &seqq. Et ejusdem Epist. ad *Leonem* X. itemque ad *Lambertum Grunnium*, in qua se ipsum sub *Florentii* nomine describit, atque hanc causam mirificè urget. Altera harum Epistolarum ad *Grunnium* data, lectu est dignissima, & legitur inter Erasmi Epist. P. II. fol. 1821-1833. altera ad *Leonem*, involute magis hanc rem proponit vid. Epist. P. I. n. 181. fol. 159. & est data d. IX. Augusti 1515.

(b) Quod factum, à multis quidem arrosum, sed ab Erasmo defensum alacriter, tantos habuit applausus, ut *quinquies* iteratis curis deinde vivente Erasmo id fuerit repetitum, ut *prima* tamen illa *Editio*, A. 1515. jam privatim, sed A. 1516. publicè, edita, quamque supellex nostra literaria servat, sit, maneatque rarissima.

(c) Notabile de Erasmo est Testimonium CAROLI V. Imperatoris, cui Paraphrasin N. T. A. 1522. dicaverat, in literis ad eum datis: *Per te Resp. Christiana id assecuta est, quod per Cæsares, Principes, Pontifices, Academias, atque per tot Viros eruditissimos hactenus obtinere non valuit, unde tibi & apud homines immortalem laudem, & apud Superos perpetuam gloriam nequaquam defuturam, quam libentissime videmus, & hanc tibi felicitatem* sun-

Ne jam commemoremus, ab ipso editos ex officina cumprimis Frobeniana Patres, CYPRIANUM, AUGUSTINUM, HIERONYMUM, HILARIUM, aliosque cum Græcos tum Latinos. Et uti *multis ætatibus*, *nemo Christiano orbi contigit utilior*, Judice AVENTINO, (a) *quam Erasmus*, ita fuerunt certe ejus non una nec levia in ipsam Reformationem, quam authoritate, eruditione sua & ingenuitate mirum quantum adjuvit ac promovit, merita: Glaciem saltem fregerunt, atque Reformatoribus mare liberum fecerunt, salsæ illius & ingeniosæ invectivæ, in corruptelas, ignorantiam & ineptias sui temporis, speciatim Monachorum, Scholasticorum &c. ut argutè, quod *is plus ferme nocuerit Pontifici Romano jocando, quam Lutherus stomachando*, monitum sit à Viro Docto: (b) Nota sunt eam in rem ejus *Colloquia*, (c) itemque ejus libellus, *Encomium Moriæ*, variaque alia, quibus is quam necessaria sacrorum esset emendatio, monachorum autem vita turpissima & corruptissima, testatum faciebat. Aurea est ejus in *Editionem N. T. Græcam* omnium primam A. 1516. editam, *Præfatio*, quæque, uti & altera, quam *Paraphrasi* N. T. (d) præfixit, ejus de Reformationis necessitate summa exponit animum; *Ex præloquio in Hieronymum* liquet, quam is de Monachatu sibi formavisset ideam. *Adagiorum opus* Doctissimum, ubivis Clericorum taxat vitia, docetque, Scholas & Templa superstitione & ignorantia fuisse infecta, repurganda proin & suo nitori restituenda. Perversam sacra pro concione tractandi ratio-

contigisse ex animo gratulamur. Quæ Epistola in Epistolarum Opere P. I. n. 915. fol. 1047. reperitur.

(a) AVENTIN. Annal. Bojor. L. IV. c. 8. §. 36. conf. *Jo. Alb.* FABRICII Exercitat. Crit. *de Religione Erasmi* A. 1717. 4. edita ac deinceps ejus opusculis inserta.

(b) J. J. GRYNÆO scilicet, vid. Adam. in Vit. Grynæi.

(c) De iis ita Memor. Trivult. 1707. p. 369. *Les colloques d'Erasme ont fait plus de Protestans que les dix Tomes de Calvin.*

(d) De ipsa hac *Paraphrasi* refertur, quod ELISABETHA Angliæ Regina A. 1559. edictum promulgaverit, quo, ut *hæc ipsa paraphrasis* omnibus templis, pulpito cuidam aperto atque publico imposita inferretur, jubebat. vid. *Bibl. Universell.* T. IV. p. 343.

tionem castigat, melioremque tradit in suo *Ecclesiaste*, Libro, quem evolvisse neminem pœnitebit, minime verò eos, qui se Theologciis studiis verba aliquando ad populum facturi consecrarunt. Insignis verò ejus de *militia Christiana* est libellus, (a) & purioris Theologiæ practicæ sistit promum condum, ita ut tamen etiam simul in eo sincere fateatur, plures suo tempore in Ecclesia Ministros *Apostaticos* esse quam *Apostolicos*.

Præterquam quod ejus extent Literæ ad H. *Zwinglium*, Jo. *OEcolampadium*, W. F. *Capitonem*. Ambrosium *Blaurerum*. Georg. *Spalatinum*, ipsum M. *Lutherum*, aliosque plures Reformatores, ex quibus, quam is cum illis non insucatam amicitiam coluerit, neque à Reformationis negotio fuerit aversus, luculenter satis collucescit, quippe qui non semel de ipso Luthero honorificum tulit in Epistolis suis & Sermonibus judicium. (b) Interea tamen, omnem is, sive prætextu pacis, sive amore quietis, sive quod non probaret modum reformandi, sive metu beneficii amittendi, id factum ab ipso, quod infectum nollemus, fuerit, quantum in ipso erat, movit lapidem, ne Lutheranus videretur. Veluti longæ ejus, cum ad privatos, tum ad ipsos Helvetiæ Proceres, imò etiam ad ipsum Lutherum & Melanchtonem, etiamnunc extant Litteræ, quibus omni nisu se à Lutheri Religione (c) alienum esse contendit, quamvis etiam Viri Docti Evangelii renati parastatæ, ejus cum Luthero consensum vehementer expetiverint: (d) Ajebat is inter alia, *sibi adeò invi-*

(a) Ipse Erasmus se *Enchiridion Militis Christiani* conscripsisse profitetur *non ad ostentationem ingenii aut eloquentiæ*, *Verum ad hoc solum*, *ut mederer errori vulgo religionem constituentium in ceremoniis & observationibus plusquam Judaicis rerum corporalium*, *ea quæ ad pietatem pertinent mirè negligentium*. v. Ej. Ep. A. 1504. ad Jo. Coletum n. 102. fol. 95.

(b) Vid. SCULTET. Annal. p. 30, 31. ubi duæ *Erasmi* proferuntur Literæ Lutheri causæ vehementer faventes.

(c) Vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 23. seqq.

(d) Sic *Th.* BLAURERI ad Fratrem Ambros. Blaurerum. CAPITONIS ad ipsum Erasmum Literæ id testantur apud Hottingerum l. c. p. 32, 33. Sed Capitoni antehac (uti ex Documentis Num. II. patet) vehementer laudato, ipse deinceps Erasmus quod non admodum faverit, patet ex Ep. n. 703. & n. 725.

tur, ut adversus illum scriberem. A Pontifice, à Cæsare, à Regibus & Principibus, à Doctissimis etiam & charissimis amicis huc provocor. Et tamen certum est, me non scribere, aut ita scribere, ut non scriptio sit placitura Pharisæis. Non est opus, ut testibus citatis jus tibi asseras admonendi mei. Eruditorum admonitio mihi semper fuit gratissima. Scripsit ad OEcolampadium Lutherus, *sibi narratum, illum enarrare Esajam, me vehementer obstitisse, quum nemo magis faveat* OEcolampadio. *Addit, mihi non multum tribuendum in his, quæ sunt Spiritus.* Hoc quod sit, *non intelligo. Adjicit,* me veluti Mosen eduxisse ex Ægypto, cæterum, moriturum in campestribus. *Utinam ipse sit Josua, qui perducat omnes in terram promissionis? .... Lutherus scripsit in OEcolampadium,* mihi non multum esse tribuendum in his, quæ sunt Spiritus, *velim hoc ex te discere, doctissime Zwingli, quis sit ille Spiritus? Nam videor mihi ferè omnia docuisse, quæ docet Lutherus, nisi quod non tam atrociter, quodque abstinui à quibusdam ænigmatis & paradoxis. Precor, ut Dominus Jesus dirigat ac fortunet Spiritum vestrum.* Atque hæc quidem de ejus in Lutheri Reformationem animo; Nam quod deinceps etiam ERASMUS successu temporis se ab *Henrico* VIII. Anglorum Rege instigari fuerit passus, (quod ante Henricum VIII. Hadrianus VI. Papa, sed frustra tentaverat,) ut adversus Lutherum calamum stringeret, edendo A. 1524. de *Libero Arbitrio* (a) Diatriben, atque addendo in ejus defensionem *Hyperaspisten*, (b) est notum, de quibus tamen libellis observari meretur, quod ipse fuerit professus, quam non solum invitus is in eam descenderet arenam, sed &, quam in arena non sua (c) versaretur, uti is *Ludovicum Berum*, Canonicum Friburgensem, ami-

(a) Vid. breve ej. libelli argumentum à SCULTETO in Annal. p. 189. exhibitum

(b) De quo libello MAJUS in Histor. Reform. pag. 175, 176. itemque Melanchthon Libro IV. Epist. 28.

(c) V. Ep. ERASM. n. 689. ad Joh. Episcopum Roffensem d. 4. Septemb. 1624. datam & confer Epist. Erasmi ad L. Berum in Bibl. Brem. ex MSS edit. Class. II fascic. IV. p. 595. & in Epist. ad Ludov. Vivem d. 29. Maji 1527. *Ut ingenue dicam, perdidimus liberum arbitrium. Illic mihi mihi aliud dictabat animus, aliud scribebat calamus.* Vid. Ep. T. 1. n. 871. fol. 985.

amicum ac familiarem, in iis consultorem cumprimis expertus est & adjutorem. Quidquid sit, summa omnia Desiderii fuisse in rem omnem literariam atque etiam Ecclesiasticam merita, nulla silebit ætas, (a) nec ulla unquam vetustas obliterabit. Et, quanquam, tenuior quoque sæpius ejus, uti fortuna, ita victus erat ratio, magnis tamen divitiis quod locupletaverit orbem Christianum, testantur omnes Viri Docti, vel ipsis ejus non exceptis inimicis; Exuit verò is magnorum Operum Author mortalitatem, Basileæ A. 1536. cum sexagesimum nonum ætatis ageret annum.

§. LXXI.

(a) Est ea de causa notabilis *Joh. à* LASCO 1544. ad *Conr. Pellicanum* data Epistola, ex qua pericopam quandam inserere hic juvabit: *De Tuo in Erasmum animo non dubitavi unquam, neque ullam inter te & illum, cum una essemus, simultatem deprehendere potui, nisi quod, cum doctrinam OEcolampadii de cœna Domini, sibi nondum satis probari posse diceret, non ferebat, si quis se cum OEcolampadio idem docere affirmasset, tametsi tu in doctrinam OEcolampadii tum propenderes, ille verò non tam damnaret illam, quam diceret potius, sibi illam nondum satis probari posse, non ideò tamen amicitiam vestram dissolutum iri putabam; præsertim cum Erasmus ipse pro sua apud me libertate, non obscurè testaretur, se certam habere non posse etiam* (NB:) *doctrinæ suæ rationem. Fatebatur enim, esse quædam, quæ se in sua ipsius doctrina offenderent; Sed se non habere rursum dicebat, quidquam solidum, cui inniteretur, si doctrina sua sibi mutanda esset. Et proinde se in veteri sententia permanere malle affirmabat. Atque ita ego tum Erasmum reliqui. Atque in eadem secum, ut verum fatear, sententia quoque fui. Nihil tamen dubito, quin Erasmus haud dubiè, si nunc viveret, æquior multo nobis futurus esset. Sed habet quisque donorum suorum modum, ut non omnes possimus ubique omnia. Nostrum est, de iis nobis gratulari, quæ Deus, prout vult, juxta fidei nostræ mensuram, conferre in nos dignatur. Ita & de Erasmi donis, quæ sanè & plurima & maxima fuisse, negare nemo potest, gratulari nobis meritò, Deumque in illis agnoscere debemus. Si quid autem amplius assequuti videmus, id quoque à Domino nobis datum esse cogitemus. Quod ad illius Epistolas ad me attinet, fateor, illum liberè nonnunquam multa ad me scripsisse, tu enim ipse testis es, ut me amarit, ac tui quoque non rarò meminisse; sed putabat omnino te Authore id fieri, ut idem cum OEcolampadio sentire diceretur. Neque verò id tam grave erat, quam ille grave videri volebat, sed hoc ille rebus suis vehementer noxium esse putabat, & nolebat præterea nomen suum hac opinione gravari. Deinde habebat fortassis instigatores suos, quibus id potius quam Erasmo ipsi imputandum esse censeo.* vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. P. II. p. 34-36.

§. LXXI. *Johannes* STAUPITIUS Theologiæ Doctor, & antehac Augustinianorum in Germania Vicarius Generalis, tandem verò Ordinis Benedictini Abbas S. Petri Salisburgi, ex familia verè nobili Misnensi prognatus erat, nec minorem verò is sibi ex virtutis & eruditionis nobilitate famam acquisivit: Erat autem Vir pius non solùm, sed & prudens, atque à Friderico Saxoniæ, cum is circa principium Seculi XVI. Academiam *Witebergensem* erigere vellet, una cum *Mellerstadio*, ut suis consiliis vacarent, vocatus, suam pro non vulgari qua pollebat prudentia ei negotio procurando addixerat operam, (a) ut, stabilita quoque Universitate, primus omnium in *Facultate Theologica* constitutus fuerit *Decanus*. Quum itaque, ut prospere ac feliciter novæ Academiæ res succederent, undiquaque ingenio præstantes nutu Principis arcesseret Viros, tum quoque is A. 1508. Erfordia M. LUTHERUM arcessivit, *ut Sacras Literas publice enarraret*, quem deinceps vocatum monuit, *ut posthabitis aliis, Sacras Literas assiduè lectitaret, textualisque ac localis* (sit barbaro venia vocabulo) *fieret:* Paulo post, is Lutherum, ut se Theologiæ Doctorem creari pateretur, impulit, idque festivo vultu pæne invitum, dicendo: (b) *Mira videtur instare conversio rerum: ubi Deo multi exhibebuntur labores in cœlo & in terra; ad quos expediendos opus erit strenuis Viris Doctoribus. Sive ergo vivas, sive moriaris; Deus in consilio suo etiam operam requirit.* Atque etiam deinceps non semel afflictum labantemque eum erexit, juvit consilio & confirmavit. In ipso saltem causæ à Luthero susceptæ initio, quod animum Luthero addiderit Staupitius, non semel ipse Lutherus commemorat. (c) Comitiis Augustanis A. 1518. is authoritate Friderici Electoris aderat, una cum G. *Spalatino*, provisurus, ne quid à *Cajetano* Pontificis Legato in Lutherum non auditum importuni decerneretur, quando & ipsum Lutherum incitabat his verbis: *Memor esto, frater, te ista nomine Domini no-*

V *stri*

(a) V. Adami Vit. Theolog. fol. 8. 9.
(b) V. Adami loc. cit. fol. 9.
(c) Vid. Epist. Lutheri Lib. 1 Ep. 207. pag. 298. b. & Epist. quam ex MSt. edidit Seckendorf. in Hist. Luther. L. 1. fol. 48. ubi diserte fatetur, *per Staupitium primùm Evangelii lucem de tenebris splendescere cœpisse in ejus corde.*

ſtri Jeſu Chriſti incepiſſe. Quod verbum ſe non quaſi *à Staupitio*, ſed *per eum*, à Deo ſibi dictum accepiſſe profitetur, Lutherus, illudque ſemper memori ſe animo repoſuiſſe tradit. Cæterùm verò, cum magna valeret authoritate Staupitius, (a) ſuisque virtutibus omnium ſibi gratiam conciliaſſet, multum laboris in id inſumſerunt Pontificii, ut eum à Lutheri, quem impenſe amabat, partibus retraherent, atque alienum redderent. Nec planè oleum & operam eos perdidiſſe, eventus docuit, ſive res illa minis, tuti is erat juſto timidior, ſive blanditiis fuerit peracta. *Mathæus* enim LANGIUS Cardinalis & Archiepiſcopus Salisburgenſis, cujus in notitiam is & antehac & cummaxime in Comitiis Auguſtanis pervenerat, ipſi non ſine multis verborum formulis perſuaſit, ut Dignitate Eccleſiaſtæ Aulici (quò à Luthero eundem tanto facilius dirimeret) in eum collata, ſecum *Salisburgum* iret.

Illuc cum conceſſiſſet, atque jam A. 1521. ad quædam Luthero minus probata ſe induci paſſus fuiſſet, aut ſaltem, ut induceretur, ſubiret periculum, (b) tum verò LUTHERUS literis (c) ad ipſum exaratis ſuam explicare mentem, eundemque & corrigere & corroborare in veritate agnita: Quæ ſane literæ præſtantiſſimæ, quin ejus pupugerint mentem, atque aculeos animo ejus, ve-

(a) Vid. *Schelhorn.* de Relig. Ev. in reg. Salisburg. pag. 14.

(b) Vid. ipſas *Staupitii* Literas d. 4. Januar. 1521. ad Wenceſlaum Linceum datas pag. 49-52. uti inter alia: *Sed ad nos quoque rugitus* LEONIS *pervenit, quærit quem* DEVORET. *Injunctum eſt ſiquidem Reverendiſſimo Cardinali (Math. Langio) ut me cogat aſſerere, quod* MARTINI *articuli ſint reſpective hæretici, erronei & offenſivi piarum aurium, abnegareque eosdem coram notario & teſtibus. Sed quia, quæ non aſſerui, revocare non valeam, neque abnegare, quæ mea non ſunt, ſupplicavi Domino Cardinali, quantumvis me excuſatum reddat.*

(c) Vid. Lutheri Epiſt. L. 1. Ep. 211. p. 303. 304. ad Staupitium, ubi ita: *Non invitus audio & te peti à Leone, ut & tu crucem, quam ſic prædicaſti, in exemplum erigas mundo ..... Si te Chriſtus dilexerit, coget te ad revocationem Scripti, in quo videris non ſine Chriſti offenſione, eum pro judice advocare, quem vides hoſtili furore Chriſti adverſarium in verbum gratiæ debacchari.* Et deinceps. *Fidentius hæc ad te ſcribo, quod valdè timeo, ne inter Chriſtum & Papam medius hæreas, quos vides tamen ſumma contentione contrarios eſſe &c. Vere nonnihil contriſtavit iſta tua ſubmiſſio, & alium quendam mihi exhibuit, quam Staupitium illum gratiæ & crucis præconem.*

veritatis Evangelicæ alias amantiſſimi, ſed tum prætrepidi & vacillantis, infixerint, nullum eſt dubium, & colligitur ex ipſis STAUPITII verbis ad Wenceſlaum Lincum, (a) ubi: *Reſpondeo*, inquit, *Martino noſtro, qui tecum ſentiens meam arguit puſillanimitatem. Cum autem tu mihi Petrus ſis & alter Paulus, libens recognoſco culpam, tametſi verbis contendere poſſem. Tribuat nobis ſapientiam, qui ſapientia eſt, & robur, Spiritus qui virtus Dei eſt, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum.* Atque ſequenti tempore, ubi ſe ex cœnobio Salisburgenſi receperat aliquantulum: *Non timui valde* (b) inquit, *quando reliqueram Salisburgum. Reditus mihi gravior eſt, & ut ajunt perículoſior. Sed ſcriptum eſt. Cum eſſes junior, cingebas te & ambulabas, ubi volebas: cum autem ſenueris, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Exivi perſuaſus, introibo fere coactus. Attamen, cum leproſo loquor ad P. T. Domine, ſi vis, potes me ſalvare.*

Quidquid ſit, alieniorem deinceps à Staupitio factum Lutherum, & ab hoc viciſſim Staupitium, ea quæ à SECKENDORFIO, (c) SCHELHORNIO (d) aliisque traduntur, evincunt. Ipſe enim Staupitius deinceps cum ordinem Auguſtinianum commutaſſet cum Benedictino, hujus Ordinis Abbas electus d. 2. Auguſti A. 1522. atque die 17. ejusdem menſis ab Epiſcopo Chiemenſi conſecratus eſſe legitur, quæ res quin Lutherum magis adhuc irritaverit, dubium non eſt, & STAUPITIUM varia in Luthero, hunc verò viciſſim varia in Staupitio deſideraſſe, ex duabus colligitur Lutheri Epiſtolis (e) A. 1522. & 1523. ad Staupitium datis, quibus cum inde ab aliquo tempore nihil reſponderet Staupitius, inde alienum ejus ita colligebat animum Lutherus, ut tamen A. 1524. de novo inter eos refloruiſſe videatur amicitia, id quod

 ex

(a) v. Lit. Staupit. ad Linccum d. 5. Martii 1521. datas in Epiſt à *Verpoortenio* editis p. 53.

(b) v. Lit. Staupit. ad Lincum d. 16. Octobr. cum Lutherus jam in eremo verſaretur 1521. datas l. c. p. 57.

(c) vid. SECKENDORF. Hiſt. Luther. L. 1. fol. 48.

(d) vid. SCHELHORN. de fatis Eccleſ. Evang. inter Saltzburgenſes, p. 16.

(e) vid. Epiſt. Lutheri à SECKENDORFIO ex Mſſ. editas prorſus egregias in Seckendorf. Hiſt. Luther. L. 1. §. 37. Addit. 11. fol. 48.

ex ipsa ad Spalatinum LUTHERI (a) data Epistola liquet, ubi: *Mitto literas D. Staupicii, qui tandem semel refloruit nos salutare & alloqui post tot silentia & tot Literas ad eum datas:* Quæ tamen quod diu non duraverit, sed ipsa Staupitii morte, quæ d. 28. Decembr. ejusdem anni accidit, fuerit interrupta, docemur. Et credibile est, hunc ipsum STAUPITIUM, quanquam clam, & instar Nicodemi, tamen Evangelii causam promovisse, nec à fide semel agnita unquam planè recessisse, idque partim vel ipsæ Pontificiorum adversus ipsum inimicitiæ (b) post obitum quoque exercitæ arguunt, partim, quod paucis annis post, adeò multi Benedictini, aliisque ordinibus dicati monachi, in *Dioecesi Salisburgensi*, atque in cœnobiis illi proximis, vitæ monasticæ & religioni avitæ nuncium miserint, uti fide digni referunt eorum temporum annales. (c)

Ne jam dicamus de Scriptis Staupitii, cumprimis Asceticis, atque miram in omnibus pietatem spirantibus, inter quæ & egregius de *Amore Dei Suavissimo* est tractatus, jam A. 1518. conscriptus, itemque de *Sancta Christiana fide nostra*, quem cum jam Abbatiam gereret, publicavit, porro *de imitatione spontanea mortis Christi*, quem singulari modo jam A. 1519. Lutherus commendat: (d)

Erat ejus Doctrina, quod ex Lutheri operibus & ipsis Staupitii scriptis collucescit: *Veram esse pœnitentiam, quæ ab amore justitiæ & Dei inciperet.*

De Prædestinatione aliquando disputaturus, dixit idem: *Incipe à Christi vulneribus: & statim Diabolus cum suis tentationibus recedet:*

Nævos suos, quam vividè agnoverit ipse, suæque naturæ imbecillitatem deploraverit, ex his aliquando ab ipso prolatis liquet verbis (e) *Ego plus millies Deo recepi: fore me probiorem, sed nunquam præ-*

(a) Vid. Epist. Lutheri à Buddeo in Supplem. Epist. editam p. 33. Est verò hæc d. 29. April. 1524. scripta cum jam d. 28. Decembris ejusdem anni vitam deponeret Staupitius.

(b) Sic enim videmus quoque eum à Pontificibus Romanis dein in Indicibus Librorum prohibitorum inter primæ classis hæreticos numerari.

(c) Vid. SCHELHORN. Lib. cit. p. 16, 17. qui eum in finem testimonium *Monachi* cujusdam *Benedictini* ex MSS. affert.

(d) v. LUTHERI Epist. L. 1. p. 164. b.

(e) v. ADAMI Vit. Theol. fol. 9.

præstiti quod vovi. Post hac non vovebo, quia experientia didici, me præstare non posse. Quod nisi Deus mihi propitius propter Christum sit, ac felicem horulam concesserit, cum ex hac vita migrandum erit, non potero consistere cum votis & benefactis meis.

§. LXXII. Inter alios Viros Doctos Germaniæ, qui Luthero plurimum favebant, erat *Ulricus* HUTTENUS, Eques Francus, *Vir*, judicio Camerarii, (a) *nobilitate & laude generis antiqui clarus inprimis, doctrina erudita princeps, impatientissimus injuriarum, libertatis immodica cupidus, non prorsus tamen alienus à sævitia, quæ etiam vultus acerbitate, & minus clemente interdum oratione indicabatur. Sed neque opum abundantia, neque corporis, in quo admodum pusillo atque debili inerat animus ingens ac ferox, viribus pollens.* Erat is ab origine antiquissimæ Franconicæ stirpis A. 1488. natus, atque inde à pueritia jam literarum studiis addictus, uti etiam, puer undecennis, magis disciplinæ, quam religionis causa ad Fuldense monasterium missus dicatur. Ad Coloniensem deinceps cum properaret Academiam, sub *Herm.* BUSCHIO, Jo. CÆSARIO aliisque, studiorum ponebat tyrocinia, atque tum jam addiscebat, nihil prodesse scholasticas illas, tot viis, tam diversis inter se opinionibus concinnatas disceptationes, per quas prodigiosos titulos tum temporis affectabant Doctores. *Hi enim* (uti ipse Huttenus alicubi (b) *dum antiquos istos & recte doctos authores neglexerant, in ejusmodi nugamentis versati, & in scripturarum sordibus, non secus ac in luto scarabæus delectati videbantur ipsi.* Relicta Colonia, cum octodecim annos natus esset, *Viadrinam* recens à Joachimo Brandenburgico erectam adiit, atque ibi L. A. Magistri titulo jam tum condecoratus est: Inde, castra Maximiliani Imperatoris (c) secutus, in Italia quod stipendia fecerit A. 1509. ex Epigrammate, quod de se in Patavina Obsidione confecit, collucescit, unde tamen paulò post in Germaniam redux factus, egregia doctrinæ suæ dedit specimina non una (d). Quin vero altera deinde vice A. 1512. vel 1513. Italiam, stu-

(a) Vid. CAMERAR. in Vit. Melanchth. p. m. 93. Edit. Lipf. 1566. 8.
(b) HUTTEN. in præfat. ejus *Nemini* præmissa p. 21.
(c) Vid. BURCKHARD. in Vita Hutteni T. 1. p. 70.
(d) Vid. BURCKHARD. l. c. p. 74. 75.

ſtudiorum gratia, adierit, dubitare nos non ſinit ejus Biographia; Inde redux factus variis in arte Poetica editis ſpeciminibus ſeſe is reddidit celebrem, quando triſtiſſimum, de propinquo ſuo *Joh. Hutteno* manu *Ulrici* Ducis *Wirtenbergenſis* interemto, caſum, qui magnas in Germania excitavit tragœdias, & Hutteno per quatuor amplius annos commentandi dedit argumentum, (a) A. 1515. ferre debuit; Inter hæc, tertia vice ut ſtudio Juris navaret operam, in Italiam commigrans, quod Eraſmum ſe noſſe (tanta ERASMI apud Italos erat celebritas) affirmaret, ſtatim in Virorum Doctorum *Nicolai Leoniceni*, *Cælii Calcagnini*, *Baptiſta Egnatii*, *Hermolai Barbari Junioris*, *Angeli Contareni*, *Andreæ Aſulani* (b) aliorumque, amicitiam atque familiaritatem receptus eſt: In Germaniam eodem anno redux factus, Auguſtæ cum *Conrado Peutingero*, *Jac. Spiegelio*, aliisque notitiam contraxit, lauream que à Cæſare pro ejus temporis more Poeticam eſt conſecutus, atque ita ſibi nominis celebritatem, peregrinando pariter atque ſcribendo acquiſivit non vulgarem.

Majora erant, quæ ſcriptis moliebatur, quæ tamen ſingula perſequi longum ac ferè infinitum foret, pauca tantum commemoraſſe ſufficiat, ex quibus, quantopere Reformationis negotio ejus inſervierint conamina, conjecturam facere licebit: Eſt ſanè ante omnia nobilis ejus, quam A. 1517. jam edidit, cum in arce ſua gentilitia *Steckelberg* verſaretur, Præfatio, ad *Laurentii Vallæ* Libellum *contra effictam & ementitam Conſtantini donationem* ad ipſum LEONEM X. P. R. directa, ubi inter alia: (c) *In illos* (loquitur de Pontificibus Romanis) *verè deteſtandi ſceleris commentores Pontifices omnia acerbiſſime dicta, omniaque ferociſſima facta conveniunt. Quidni? in depeculatores, in fures, in tyrannos, in latrones? Quis violentior enim latro eſt, quam, qui ita rapit, ut rapiendi modum nullum ſtatuat? Hi fuerunt, qui in minimo arrepta occaſione,* ad

(a) Extat ea de re acerba ſatis & ſtomachoſa Hutteni Epiſtola apud Burckhardum pag. 91. ſq. itémque variæ ipſius editæ querelæ.

(b) v. BURKHARD. comm. de Vita Hutteni pag. 110. 111. & extat B Egnatii de Hutteno ad Eraſmum Epiſtola A. 1517. data quæ Epiſtolarum Eraſmiararum Operi P. II. fol. 1608. eſt inſerta.

(c) v. BURKHARD. in Vita Hutteni, p. 120.

ad immensum progressi sunt diripiendi licentia. Qui gratias venum exposuerunt, qui conditiones, qui dispensationes, & infiniti generis bullas vendiderunt, tanto jam tempore, qui in peccatorum remissione pretium statuerunt, & in pœnis inferorum invenerunt sibi lucrum &c. Etsi verò se non credere posse præ se ferebat Huttenus, tantam tamque insolitam libertatem graviter laturum esse Leonem, aut suum istud consilium de editione hujus Libelli ejusque dedicatione improbaturum, quippe quod à se factum dicebat, *ut testatum esset, quam ipso Pontifice renata Libertate, verum dicere tandem licuerit omnibus, verumque scribere;* Leonem tamen Pontificem hanc Pontificio Nomini inustam maculam gravissimè tulisse, ipse postea suo periculo experiri debuit Huttenus; Inde Anno sequenti 1518. per breve tempus in Galliam abiit, (a) ubi cum Viris Doctis innotuisset, rediit in Germaniam, conferens se ad ALBERTUM *Moguntinum*, cujus deinde Aulam, sive is Moguntiæ, sive Augustæ moraretur, secutus, ejusque favore usus, varia in publicum emisit scripta, ad unum omnia eò directa, ut Libertatem Nationis Germanicæ assereret, ipsam verò Pontificis & Clericorum tyrannidem omni modo exagitaret: Erant tum inter ejus amicos *Johannes* CROTUS RUBIANUS, quocum à primis usque annis consuetudo ipsi singularis (b) fuerat, *Henricus* STROMERUS Aurbachius, Doctissimus tum temporis in Alberti Principis Aula Medicus, atque Virorum Doctorum Mæcenas, *Bilibaldus* PIRCKHEYMERUS illustris Reip. Norimbergensis Patricius & Consul, *Conradus* PEUTINGERUS, Reip. (c) Augustanæ Graphiarius splendidissimus, *Jacobus de* BANNISIIS, Doctus Vir

(a) v. Epist. Gul. BUDÆI ad Erasmum Ep. 304. p. 298.

(b) Hujus *Croti Rubiani* fata breviter exposuit J. C. OLEARIUS in notis ad Epistolam Anonymi ad Joh. Crotum &c. de vero authore Epistolarum obscurorum Virorum. Arnstad. 1720. 8. eruditissimis, ubi & quam verum *Croti* nomen fuerit *Joan Jæger*, *Dornheimio Thuring*. testatum facit. Dicitur is una cum Hutteno Epistolas *Obscurorum Virorum* compilasse, atque edidisse, ita tamen ut in his consarcinandis quoque *Hermannus Buschius*, *Hermannus Nuenarius* Comes, *Joh. Rhagius Æsticampianus*, Jo. *Cæsarius*, ipseque *Reuchlinus*, & *Bilibaldus Pirckheymerus*, contulerint manum. Vid. Burkh. Vita Hutteni T. II. p. 65. sqq.

(c) Hujus vitam conscripsit LOTTERUS 1734. 8.

Vir atque eloquens, & de quo Huttenus illud se sentire profitetur, *quod de Nestore Agamemnon, optans ut decem tales haberet Cæsar Consultores*, *Jacobus* SPIEGELIUS, atque alii quam multi, quorum ipse in Epistola memorabili ad Bilibaldum Pirckheymerum (a) data, celebrat nomina: Edidit is tum, præter alia multa, *Febrim Dialogum*, T. *Livium*, ex antiquo Ædis S. Martini in urbe Moguntia codice, auctiorem & Alberto Archiepiscopo Moguntino dedicatum. Librum *De Guajaci medicina*, itidem Alberto inscriptum. Orationes in *Ulricum Wirtenbergensem*, *Fortunam*, *Triada Romanam*, *Inspicientes*, Dialogos, itemque *De Unitate Ecclesiæ conservanda & Schismate inter Henricum IV. Imp. & Gregor. VII. Pontif. Mag.* tractatum vetustum: porro, varias *Invectivas & Epistolas in Martini Lutheri causa editas*, (b) quibus Lutheri defensionem contra Pontificis & Curiæ Romanæ tyrannidem, masculè suscepit; & Pontifices, Cardinales, Abbates, Episcopos & universum Clerum Romanum vivis suis coloribus graphice depinxit. Varias item *Conquestiones ad Carolum V.* (c) Imp. R. *Albertum* Moguntinum, *Fridericum* Electorem Saxoniæ, aliosque Electores, Principes, Nobiles, adversus intentatam sibi à Romanistis (d) vim & injuriam; Et denique *Bullam Leonis X. contra M. Lutherum cum Hutteni notis.* (e) Ne multa ejus commemoremus alia, quæ vel tecto vel aperto nomine ab ipso in vulgus manarunt scripta. Enimverò, quod prior illa ad Leonem X. facta dedicatio, Leonis magis exacerbaverit quam informaverit animum, vel

(a) Atque hæc illa est Epistola, quam Doctiss. BURCKHARDUS singulari quodam exornavit Commentario *de Vita & Fatis Ulr. Hutteni* Wolfenbuttel 1717. 8.

(b) De hisce ita Lutherus ad J. Staupitium A. 1521. Epist. T. 1. pag. 304. b. *Huttenus* inquit, *& multi alii fortiter scribunt pro me, & parantur indies Cantica, quæ Babylonem istam parum delectabunt.*

(c) Quas Burckhardus inseruit Tom. II. Commentarii de Vita Hutteni pag. 60-120.

(d) Ubi inter alia: In Conquestione ad Fridericum Electorem: *An non audisti vinctum Romam peti me? & id quale sit, quamque iis dignum vides?*

(e) Hanc Bullam ex edit. Hutteni & cum ejus notis, videmus in Relat. Innocent. ad A. 1716. inter deperdita fermè monumenta recenseri.



FRANCISCUS VON SICKINGEN.

Heros incomparabilis

Natus 1481. Denatus 1522.

vel ex eo constat, quod, cum per aliquot dies in Caroli Imp. aula Brabantina, A. 1520. versatus fuisset Huttenus, is ab amicis moneretur, ut, si servatum se vellet, statim discederet, capiti enim ipsius imminere perniciem, per subornatos, qui vel veneno vel ferro de medio ipsum tollerent, vel ad ipsum Pontificem deportarent, uti quod à Carolo & aliis Principibus id expetiverit Leo, deinceps compertum est, quippe qui & Oratori suo *Hier.* ALEANDRO A. 1520. mense Julio in Germaniam misso (a), idem in mandatis dederat, ut sicubi in Huttenum incideret eum comprehensum aggrederetur. Quæ res ipsa, varias illas, quas modo citabamus, Conquestiones *adversus hunc Leonis rugitum* nobis subministravit. Erat verò etiam, quod silentio præterire nefas esset, singularis *Vlricus* noster amicus, Herois fortissimi *Francisci van* SICKINGEN, cujus arx Ebernburgensis tum temporis portus & asylum veluti erat Veritatis testium, eruditionisque & depressæ libertatis vindicum, & cum multa ipsi cum Sickingio intercederet consuetudo, tum verò etiam tutum semper *Arx Eberburgensis* vivente adhuc atque florente Sickingio, ipsi præstabat refugium, quod tamen, cum infelici casu A. 1522. ipse *Sickingius* sclopeto ictus occumberet, ipsum destituebat, quo tempore in Helvetiam abiens, non ita diu post in agro Tigurino, ex quo paulo ante ad Eobanum Hessum dederat literas, (b) A. 1523. ærumnosæ vitæ satur mortem oppetiit.

§. LXXIII. Sed, ut de ipso quoque hoc Heroe fortissimo FRANCISCO *van* SICKINGEN (c) pauca quædam hic legantur, operæ pretium judicamus. Fuit is ejus temporis Heros, pacis bellique artibus illustris, Libertatis Germanicæ assertor maximus, Virorum verò eruditorum atque cumprimis

X Lu-

(a) Est mihi in MSS. Epistola *Valent.* à TETELEBEN data ad Alb. Moguntinum d. v. Julii 1520. qua is *Hieronymum Aleandrum* commendat, tanquam qui in causa Hutteni cum ipso Electore acturus esset. Eam quod hactenus edita non est, ex autographo, huic Operi subjungimus, inter documenta num xv.

(b) Vid. Eob. HESSI Epistol. pag. 290.

(c) Historiolam de ejus rebus gestis & calamitoso obitu composuit *Hubert Thom. Leodius*, quam FREHERUS inseruit Scriptorum German. rerum Tom. III.

Lutheri, & Veritatis per ipſum renatæ, Fautor pariter atque promotor ſplendidus. Tantæ vero etiam authoritatis apud ipſos Germaniæ Principes, ut hi beneficiis ſibi illum demereri ſtuderent omni niſu, ſtipendia dantes, nihilque non facientes, quo illum quisque in ſua pertraheret vota. Quid multa? Fortuna ſic ei dicitur faviſſe, ut fuerint, qui dubitaverunt, an Germania uſque ad illud tempus de Nobilitate quempiam habuerit, qui cum FRANCISCO hoc, aut opibus, aut honoribus, aut etiam favore comparari, nedum præferri ei potuiſſet, ſi fortuna uti noviſſet. (a) Erat is natus A. 1481. ex nobili *Sickingorum* ad Rhenum (b) familia, cumque in omni genere virtutum ac literarum homine nobili cumprimis digno eſſet educatus, ut literarum rudis haberi aut indoctus nullo modo poſſet, quanquam etiam in ipſis literis non admodum magni ejus eſſent progreſſus, tum maximopere erga Doctos Viros tamen & præſtantes ejus eluxit amor atque propenſio: Res militares qua virtute tractaverit, & quos in iis adverſus VANGIONES, ANTONIUM *Lotharingiæ* Ducem, RICHARDUM *Trevirenſem*, (c) aliosque fecerit progreſſus, qui tamen ipſi deinceps ferales extiterunt, jam non exponimus. Sed, *quod* ipſius Joh. REUCHLINI cauſam adverſus Dominicanos & Hoogſtratanum vigoroſe defenderet, *quod* Ulrico Hutteno, Antichriſtianiſmi adverſario, admodum faveret, ipſique tutum præberet hoſpitium, *quod* Lutheri doctrinam ſequeretur, atque ipſius Lutheri ſingularem gereret curam, *quod* deinceps in arce ſua Ebernburgo commune velut Virorum in Reformationis negotio eminentium receptaculum erigeret ac aſylum, *quodque* in eadem arce, locisque ſuæ ditionis, Religionis reformationem ſuſcipere aggrederetur ipſe, hæc ſunt ejuſ-

(a) Hæc ipſa ex citato *Leodio* ſunt excerpta, apud FREHER Tom. III. p. 253.

(b) vid. Pantaleon. Proſopogr. T. III. p. 93. *Jo. Jac.* LUCKIUS in Sylloge numiſmatum p. 40. eum appellat. *Nobilem Germanum, Equitem Auratum, charum Imperatori, non ob antiquum modò generis decus, ac nobilitatem, verum etiam ſingularem animi magnitudinem, candorem plane ingenuum, ſingularem atque eximiam rei militaris peritiam.*

(c) Conf. CHYTRÆI Saxonia. p. 228. & LEOD. in Vita Friderici Palatini p. 87.

ejusmodi, ut in singulari ejus laude collocari, atque ab oblivione vindicari oporteat. *Magnus videlicet hic in Germania ductor* (uti *Petrus* MOSELLANUS ad Julium (a) Pflugium inquit) *Hoogstratum ac sodales graviter urgebat, quo Capnioni rei familiaris jacturam,* (b) *quam propter eos fecerat, intra statum tempus resarcirent, alioqui se eos pariter & Coloniensem Rempublicam afflictuꝛum, minitatus, devoluti enim erant Reuchlini hostes in expensarum condemnationem.* Et sunt memorabilia de Francisci in Capnionem favore, HUTTENI *ad Erasmum* (c) A. 1519. scripta verba: „Studgardiæ Capnionem conveni, positum magno in timore „Militares furores metuebat bonus Pater. Sed ego Francisco „ductore apud Duces intercedente, caveram, si vi capienda „Studgardia esset, in exercitu ut proclamaretur, *Capnionis Penatibus ne quis noceret.* Hoc nescis, quantum ille & quale beneficium interpretetur, quum ego conscius mihi sim, officii mei fuisse, ut viderem ne quid pateretur se indignum Vir „Doctissimus atque Optimus. Præcipue eo in negotio magnitudinem suam ostendit *Franciscus, Vir, qualem diu non habuit „Germania, & qui meretur, ut eum Tuis quoque Literis posteritati commendes. Mihi quidem spes est, magnam hoc ex Viro laudem „accessuram huic nationi. Nihil in antiquis admiramur, quod non „studiose imitetur ille. Viget in homine consilium, viget eloquentia: „alacriter omnia adgreditur: industria est, qualem in summo Duce „quæras, nihil humiliter dicit, nihil facit. Et jam forte rem molitur longe pulcherrimam. Deus Opt. Max. fortissimi Viri conatus „adjuvet.* Meum ipse *Capnionem* affatus est perquam familiariter, qui nos salutando *Flagellum Dei* adpellat. Promisitque „*Franciscus* opem nobis omnem suam. Quid multa? Intelligis, quale nobis ex illo præsidium esse possit: inprimis *Capnionem* non patietur opprimi. „

Enimvero non Huttenus solùm, sed omnis fermè Germa-

(a) vid. Lit. Mosel. ad Pflug. in SCHILTER. L. VII. De Libert. Ecclesiarum German. c. 2. p. 850.

(b) vid. §. LXVIII. p. 142.

(c) v. Ep. Hutt. ex Moguntia, Nonis Junii 1519. ad Erasmum data ap. BURCKHARD in Vita Hutt. Tom. III. p. 172. 173.

niæ Nobilitas ad fidera illum extollens, Imperio dignum, & multis maximisque provinciis administrandis parem eum dicebat: Sed quanto amore LUTHERUM, atque ejus doctrinam sit complexus, ex eo patet, (a) quod, ubi primum Lutheri doctrina publicata erat, is eam cum Sacris literis conferre, atque sic statim eandem approbare minime neglexerit: Quodque ipsi Luthero deinceps Wormatiam tendenti (b) per *Mart.* BUCERUM, qui tum cum reliquis Viris Doctis in aula *Francisci à* SICKINGEN tanquam Academia quadam versabatur, perfugium ac præsidium salutis fuerit pollicitus, eundemque humanissime invitaverit; (c) tametsi Lutherus itineris sui excusabat necessitatem; Accedit, quod ipse LUTHERUS suum in Franciscum amo-

(a) Vid. PANTALEON Prosograph. Viror. Illustr. P. III. p. 93. & eumpr. Epist. HUTT. ad Luth. A. 1518. data ex Ebernburgo, cujus verba ap. BURKHARD. Vit. Hutt. T. II. p. 128. hæc sunt: *Primo statim* (loquitur de Francisco) *ut docilem, quantum mea fieri potuit facultate, reddidi: cœpit arridere illi negotium. Paulo post ut vidit, quo tu ex fundamento quam molem exstruxeris; hæc audet, ait quispiam convellere, aut, si ausit, poterit? paulatim magis ac magis incendi animum: adeò ut jam ita deditum nobis habeam, ut nullam finat præterire cœnam, quin aliquid tuum, aut meum audiat. Est autem acerrimi homo judicii; & quo tu fine literis Doctiorem videris neminem. Tum qua facundia, ut quodque accipit, offerendi & amplificandi! Meliorem hac in re adsertorem & aptiorem invenire non poteramus.*

(b) v. BURKHARD. in Vit. Hutten. T. II. p. 225.

(c) Sunt verba *Hutteni* d. 20. Junii 1520. ad Lutherum, in BURKHARDI Vita Hutteni T. II. p. 65. *Jubet ad se venire N. si tutus isthic satis non sis, habiturus pro tua dignitate liberaliter, & adversus omnis generis inimicos defensurus strenue.* Hoc ter aut quater jussit ad Te scriberem. Conf. ea, quæ *Kappius* in Nachlese nützlich. Reform. Urkunden. P. II. p. 425. sq. referuntur, ubi inter alia Huttenus ad Melancht. d. XIII. Kalend. Febr. 1520. *Lutherum amat Franciscus, primum quia bonus sibi ut cæteris videtur, & ob id invisus illis, postea, quia eum ex Comitibus de Solmis quidam commendavit Literis.* & deinceps d. II. *Kalend. Mart. ita:* Quæ de Francisco scripsi Luthero significanda, quæso illi propere in aurem dic, ita ut ne à me quispiam hoc in negotio intercessum rescifcat. Causa est, quam non capit epistola. Si laborat, nihil est, quod aliorum quærat subsidia. Hic salus est. Hic agitur, ut securissime possit medium digitum ostendere omnibus suis æmulis.

amorem declaraturus, A. 1521. eundemque in veritate confirmaturus *Libellum de Confessione* (a) patrio sermone confectum ei nuncupaverit: Ne de Epistola ipsius SICKINGII dicamus A. 1522. data (itidem Germanicè) ad *Theod. de Handschuchsheim* Socerum suum, qua ejus animum in veritate purioris religionis confirmatum ivit, quippe in qua defenduntur (b) *Communio sub utraque, Missæ celebratio Lingua Germanica, libertas religiosorum in deserendis monasteriis, & abrogatur Sanctorum cultus.* Quantus autem de reliquo erga omnes Evangelii Professores Francisci extiterit favor, nos docebit HENRICUS SCHWEBELIUS Cancellarius Bipontinus, JOHANNIS filius, (c) qui ita de patre suo: „ Sed grassante tum adhuc tyrannide Pontificia in Illustrissimo Marchionatu Badensi, relicta Patria, in qua nullus Propheta acceptus, Rhenum secunda aura Schwebelius „ trajecit, ad incomparabilem illum magna virtute, Zelo fervente, & Spiritu æstuante præditum, Heroem excellentissimum appulit, Virum, inquam, Nobilissimum Dominum „ Franciscum à Sickingen, qui inter primos Evangelii Christi „ Professores etiam veritatem Evangelicam magno animo non „ modo est amplexus, sed etiam præter alios Athletas seu fidei „ propugnatores contra hostes quoque suos pro Aris & Focis „ proprio sanguine strenuè dimicauit.

„ Fovebat & alebat eo tempore Arte & Virtute Nobilis ille „ Heros, multos Viros pietate virtute & doctrina præstantes, „ imprimis verò Theologos quosdam insignes, qui hinc inde ad „ ipsum tanquam Sacram Anchoram & tristissimæ persecutionis „ Pontificiæ Asylum tutissimum confugerant, quia ob incredibilem amorem, benevolentiam adjuvandique promptitudinem, erga illos mirifice flagrabat. Inter primarios verò suos „ domesticos, quos tunc in arcibus suis *Landstein* & *Ebernburg* „ hospitio receperat, *Ulricus* HUTTENUS, decus & ornamentum literatæ Nobilitatis Francicæ, cujus æqualem popula-

(a) v. BURKH. l. c. p. 226.
(b) Vid. SECKENDORF. Hist. Luther. L. 1. §. CL. fol. 269.
(c) v. Vit. *Jo.* SCHWEBELII ab Henr. Schwebelio conscriptam & Epistolis Schwebelianis præfixam.

„ res hactenus non viderunt; *Casparus* AQUILA, (a) Patricius „ Augustanus, *Martinus* BUCERUS tenuioris fortunæ, & *Johannes* SCHWEBELIUS, cui sors communis adeò non erat „ iniqua, fuerunt.

„ Ex quibus *Martinum* BUCERUM, qui ex Monasterio „ Ordinis Minoritarum Selestadiensis civitatis ad ipsum descenderat, Pastorem Ecclesiæ Oppidanæ in *Landsstul* constituit: „ reliquorum verò integerrimæ vitæ, eximiæque Doctrinæ „ Theologorum consilio & authoritate in gravissimis negotiis „ salutem Ecclesiæ & incolumitatem Patriæ, libertatem inprimis Germaniæ, vindicationem injuriarum, assertionem innocentiæ, excussionem fævissimi jugi Pontificii, & propugnationem Doctrinæ Evangelicæ, concernentibus, usus est. „

Quin imò & *Franciscum* in Ebernburgo suo jam A. 1522. solennissimum in modum, nulla vi alia, nisi rationali mentis persuasione inductum, Missam & reliqua Sacra à corruptelis repurgasse, opera *Johannis* OECOLAMPADII, ex Diario Georgii Spalatini MSS. docuit nos SCHELHORNIUS, ubi Spalatinus (b) inter alia: Ad A. 1522. annotaverat: „ Hac æstate Jo. Oecolampadius in Arce Ebernburgia Dn. Francisci Siccingeri „ cepit Epistolam & Evangelium sub Missa pro communi auditorum tum salute tum utilitate Germanice legere & recitare. Quod factum reprehendentibus, ut fit, æmulis, excusavit eleganti & pia Epistola ad *Casparum Hedionem* Ecclesiasten Moguntinum in hoc scripta.

Quidquid sit, cum diutiori vita Heros noster, si quis alius, videri posset dignus, eundem tamen A. 1523. tristissimum in modum, quum pro libertate sua fortiter pugnaret, in ipsa arce sua *Landstein* dicta, quam Principes adversarii obsidione cinxerant

(a) De *Casp.* AQUILA ejusque fatis & scriptis extat *Christ.* SCHLEGELII Commentatio, lingua German. edita Lipf. 1737. 4.

(b) vid. SCHELHORN. Amœnit. Literar. T. IV. p. 397, 398. Cæterum cum Epistolæ ab *Oecolampadio* exaratæ singulare ac rarissimum exemplar ex Bibliotheca *Jo. Alb.* FABRICII ad me pervenerit, illud una cum *Hedionis ad Oecolampadium* scripta Epistola Lectori in Documentis ad hanc Annalium partem exhibebimus, Num. XVI.

rant, globo tormentario fuisse interfectum constat, (a) ut vitæ prius finem quam Reformationis complementum is aspexerit, & violenta mors ipsi, ea, quæ animo conceperat exsequendi spatium ademerit, & egregia rerum multarum, ab ipso in Libertatis & Religionis purioris præsidium, quæ prodire potuissent, veluti semina enecaverit.

§. LXXIV. *Bilibaldum* PIRCKHEYMERUM, & ipsum, sed cui longior quam Sickingio contigit ætas, propius aliquantisper intueri juvabit. Virum hunc civitas nobis dedit Noribergensis, ex illustri ortum prosapia A. 1470. summisque deinceps eundem exornavit honoribus, quibus cum perfunctus esset, rerum humanarum, vitæque satur A. 1531. demum Sexagenario major terris ultimum vale dixit, majori, cum moreretur, cura districtus de salute Ecclesiarum, quam de suis periculis, quod de Theodosio quondam referebat Ambrosius. Quanta ipsi, cum summis quibuscunque Viris, imò & cum renati Evangelii assertoribus, familiaritas fuerit ac consuetudo, ex ejus Vitæ Descriptione, quam V. C. *Conradus* RITTERSHUSIUS nobis reliquit, (b) cognoscitur, quanquam etiam in LUTHERI vel ZWINGLII Societatem (c) alioquin se non receperit unquam, quod deinceps videbimus, ea in re Erasmum imitatus, aliosque ejus ætatis Viros graves pariter atque præstantes. Is Patre natus illustri Jureconsulto & Consiliario Bavarico pariter atque Au-

(a) v. BURKH. Vit. Hutt. T. II. p. 229. 230. sq.

(b) Est ea præmissa Operibus B. PIRCKHAYMERI in fol. editis.

(c) Patet id ex duabus *Oecolampadii* ad Bilibaldum datis Epistolis, quæ inter Opera Bil. Pirckh. sunt editæ fol. 306. & 307. ubi inter alia in Ep. priori: *Utinam* scribit, *& è vestris quidam advenirent* .... itemque ipsi Pirckheimero apprecatur, ut *quod per corporis valetudinem denegatur, ipsi interni hominis innovatione quotidiana cumulatim accedat.* in Ep. autem posteriori. *Quod istbic* (Norībergæ) *veritas Evangelica verbis celebratur, unus felicitatis gradus est, neque benedictione omni carent, qui cœlesti pluvia compluuntur. Addat Dominus, ut & lætam segetem imò messem multorum operum bonorum spectetis.* Quid? quod ipse etiam Pirckheimerus, ut adversus Oecolampadium in causa Eucharistica scriberet se induci passus sit, uti ipse id ei *Oecolampadius* in Ep. quæ Opp. pag. 320, 321. legitur, exprobrat, sed verbis lenissimis, atque ad omnem moderationem compositis.

Auſtriaco, *Johanne Pirckhaymero*, ab ineunte ætate omnibus inſtructus erat literis nobilitatem generis & decentibus & condecorantibus, ita tamen, ut cumprimis militiæ ſe dare, & artibus ſe conſecrare bellicis animum induceret, addictus adverſus Gallorum Regem Maximiliano Imperatori, atque Libertati Germanici Imperii ſuam præcipuè locaturus operam. Enimverò is non diu has cum eſſet ſecutus artes, ab iis, prudentiſſimi Patris conſilio, alienus eſt factus, ſeque ad manſuetiora Literarum Studia penitius pernoſcenda recepit, tantoſque in iis progreſſus fecit ut brevi tempore ſe omnibus iis, quæ Jureconſultum atque Legis Doctorem exornant, excultum videret, atque informatum doctrinis, quem in finem cum Patavinam tum Ticinenſem adiit Academias, ibique præclaros audivit Juris Doctores, atque cum iis amicitiam pariter contraxit ac familiaritatem. Quanquam deinceps, ſui cum factus eſſet juris, non Jurisprudentiam ſolum, ſed & Græcas cumprimis excoluerit Literas, quin imò etiam Theologiæ, Matheſi, Hiſtoriis, & quod eſt mirabilius, etiam Medicinæ dederit operam, ut nihil in ſcientiarum circulo ipſi clauſum maneret atque tectum. Honores, tantam eruditionem, animique virtutem & vitæ probè cultæ ſapientiam, preſſo pede ſequebantur. Enimverò cum prius aulæ ſplendorem præferre videretur *Bilibaldus*, tum verò Patris, aulam fortaſſe pertæſi monitu, ſe Patriæ potius reſtituit, quando jam mature ſatis ad Reip. Patriæ Noribergenſis gubernacula eundem admoverunt reliqui Proceres, eundemque in Senatorum adſciverunt ordinem, cujus non unquam certè concilii eos pœnituit; Erat enim ſpectatæ Vir probitatis, prudentiæ deinceps ſingularis atque diligentiæ in adminiſtrandis rebus incredibilis, unde & variis in legationibus vel ad Imperatorem, apud quem in honore is erat atque æſtimatione, vel ad alios Principes, partes ſibi commiſſas ac traditas ſtrenuè adminiſtravit, magnamque ſeu pacis ſeu belli tempore inde reportavit laudem. Interea tamen, non ita multò poſt, reipublicæ negociorumque vel pertæſus vel impatiens, atque in Literarum Studia proclivis, miſſis muneribus publicis otio ſe totum atque privatis tradidit Studiis, utque cum Muſis præcipuè Græcis in gratiam rediret,

ret, omnem navavit operam, reclamante licet atque contranitente toto Ordine Senatorio, qui & post aliquot annos, eundem denuò ad Reip. Gubernacula invitum pæne atque reluctantem, suisque ingratiis, sed non sine omnium bonorum gratulatione atque lætitia revocarunt, quod tanto cum Reip. Noribergensis commodo factum esse tradunt Annales, ut ejus opera Civitatis hujus Libertas atque privilegia singularem in modum quoque fuerint asserta atque stabilita; Quum verò tandem citatis gressibus ingrueret senectus ejus, atque corporis valetudo curis fracta assiduis, & meditationibus infirmior quotidie redderetur, is altera vice à Reip. negotiis sese ad privatæ vitæ tranquillitatem, studiorumque contulit diverticula, quandò tamen opis atque consilii egentium nullus, quam is ceteroquin inops esset, ant pauper, qui ad ipsum confugisset, aut difficiles aditus, aut ædes ejus interclusas obstructasque repperisse dicitur, quippe cujus etiam Domus abinde non semel in Curiam quasi convertebatur, in singulare Senatus ac Reipublicæ, privatorumque quamplurimorum salutem atque commodum, ipsius autem Bilibaldi gloriam incredibilem atque honorem. Intercedebat præterea ipsi cum Summis Viris summa familiaritas atque conjunctio, quam scribendis atque recipiendis litteris ita fovebat, ut apud omnes, quorum vel ulla nominis erat celebritas, in pretio haberetur, atque non pauci eundem Mœcenatem venerarentur, literarumque Præsidem. Quod MAXIMILIANO cumprimis carus esset, atque etiam CAROLO V. FRIDERICO deinceps Electori, & GEORGIO *Saxoniæ* Duci, CONRADO item Episcopo *Herbipolensi*, aliisque Principibus, ex variis ejus Epistolis, Præfationibus atque Dedicationibus Librorum, ad ipsos directis, conspicitur. Quanta ipsi fuerit cum variis Comitibus Nobilissimis conjunctio & quantus nexus v. gr. cum *Joh.* FRANCISCO *Pico Mirandulæ Comite* & Concordiæ Domino, cum HERMANNO *Nuenario* Præposito Coloniensi, cum *Johanne* Barone SCHWARTZENBERGIO, aulæ Bavaricæ Magistro, cum *Ulrico Comite* HELFENSTEINIO, ex Commentario de Vita B. Pirckhaymeri patet, cum & ipse suos libros ipsis inscripserit, & ab illis alia ingenii monumenta sibi inscripta recepe-

 rit.

rit. Ex reliquis ejus Amicis, REUCHLINUM cumprimis, cujus Bilibaldus patronus erat maximus, commemorare sufficiat, itemque ERASMUM, qui quod Ciceroni fuit Atticus, Pirckheimero fuisse dicitur, porrò *Joh.* TRITHEMIUM, *Udalricum* ZASIUM, *Bern.* ADELMANNUM *ab Adelmansfeld*, *Ulricum* HUTTENUM, *Beatum* RHENANUM, *Petrum* MOSELLANUM, *Thomam* VENATORIUM, *Franciscum* IRENICUM, *Andream*, *Gabrielem*, & *Johannem* IMHOFIOS, *Joachimum* CAMERARIUM, *Conradum* PEUTINGERUM, *Eobanum* HESSUM, *Phil.* MELANCHTONEM, *quin imò etiam Mart.* LUTHERUM & *Johannem* OECOLAMPADIUM.

§. LXXV. Quanquam autem, uti jam præfati sumus, ipse Pirckheimerus Lutheri nomen, & causæ ab ipso susceptæ patrocinium refugerit, ut quoque adversus *Jo.* ECKII Lutheranismi labem ipsi impingentis (a) criminationes se defendere debuerit A. 1520. publicè provocando ad ipsum Leonem X. P. R. Qua in provocatione, suo & *Lazari* SPENGLERI nomine scripta, inter alia & his diserte verbis testatum faciunt: *Quod hactenus Sancta Ecclesia Catholica Romana Sedi, sanctissimo Domino nostro Papa, in nullo, quod obedientes filios, & membra Ecclesia Christiana concernit, unquam se opposuerint, prout se nec hodie opponant. Neque unquam intentionis ipsorum fuerit, nec hodie sit, Doctoris* Martini Luther *doctrinis & opinionibus, sive sint in scriptis redacta, aut à se promulgata quovis modo adhærere, eas promovere, observare & defendere, nisi dum saltem Christiana fidei & Evangelica veritati consona & conformes, & huic, quod quivis Christianus credere debet, non contrarientur &c.* (b)

Ta-

(a) vid. Epist. *Miltitii* apud SECKENDORF. L. I. §. LXVII. n. 9. fol. 99. & , qui nuper Lazari Spengleri vitam commentario illustravit V. G. HAUSDORFIUM c. VI. p. 40. & sq. qui & *Eckii* ad Senatum, Noriberg. literas operi suo inseruit, nec quidquam tamen, quod miramur, de hac provocatione utriusque Apologetica commemorat.

(b) vid. Opp. *Pirckheim.* p. 199. 200. ubi ipsa illa, nomine B. Pirckheimeri & Lazari Spengleri conscripta *Appellationis ad Leonem X.* P. R. scheda reperitur.

Tamen eum ipsi veritati favisse, atque de Cleri Pontificii corruptelis intime fuisse convictum, cum ex aliis documentis tum ex singulari ejus ad Adrianum VI. Pontif. Rom. data Epistola (a) colligitur, quæ de *motibus in Germania* agit per *Dominicanos* & horum complices excitatis, itemque de *occasione Lutheranismi*, quam, quia lectu est dignissima, inter Documenta ad illustrandum hunc Tomum referendam esse judicavimus; Ne jam commemoremus ejus commentatiunculam scriptam post Conventum Norimbergensem A. 1524. quæ de persecutoribus agit Evangelicæ Veritatis, eorumque consiliis & machinationibus, quippe in qua præter alia (b) refert, quomodo nuper Principes ac Pontifices frementes & „ inania meditantes Norimbergæ adversus Dominum & adver- „ sus Christum ejus convenerint in unum, multaque ac varia in- „ ciderint, quæ consilio prudenti ac matura ope indigere vide- „ bantur, quo aliquando fessis ac nondum penitus deploratis „ Germaniæ rebus succurri posset; sed quo pacto dein post mul- „ tos labores, contentiones varias, temporis & impendii jactu- „ ram, neglectis omnibus, quibus opitulari debuissent, *Evange-* „ *lica veritas ab iis*, sub Lutheri nomine *adeò iniquè*, *acerbè &* „ *odiose tractari cœpta sit*, *ut nil præter gladios & ignem deesse visum* „ *sit*, *&c.* „ Quibus ex verborum formulis, quænam ei de toto hoc negotio sederit animi sententia, collucescit. Prouti quod *Lazarus* SPENGLERUS, non minus Evangelicæ doctrinæ deinceps addixerit vota, ex iis, quæ is partim pro instauranda schola Noribergensi, partim pro ipsius Religionis sinceræ puræque instauratione gessit, conspicitur. (c) Videtur autem sequenti

 tem-

(a) vid. Oper. PIRCKHEIMER fol. 372-374. unde eam huic Operi num. XVII. subjungendam curavimus.

(b) vid. Opp. PIRCKHEIM. fol. 385. 386.

(c) v. HAUSDORF. lib. cit. Et est memorabile Jo. CAMERARII in Vita Melancht. de eo testimonium, p. m. 103. 104. „Norimbergæ tum „ (A. 1525.) Principes Senatus erant Caspar Nucelius, & Hieronymus „ Ebnerus, & Lazarus Spenglerus, nomine quidem scriba senatorius, sed „ revera consiliorum fere omnium autor ac gubernator„........ Spengle- „ rus & usu rerum, & quadam etiam inchoata doctrina excellebat, exploratàque & perspecta multis difficilibus & arduis negotiis fide atque indu- „ stria,

tempore Pirckheymerus noster ipsi quoque controversiæ, inter Saxones & Helvetios, quæ tum fervebat, se immiscuisse, edendo (a) *Responsionem de vera carne Christi* ad Joh. Oecolampadium Cui Oecolampadius post aliquot dierum deliberationem (b) *Responsionem de Eucharistia ad Pirckheimerum* regerebat.

Inter reliqua autem Pirckheimeri Scripta, eminent, Variæ ejus, Tractatuum *Xenophontis*, *Platonis*, *Luciani*, *Plutarchi*, *Ptolemai*, *Greg. Nazianzeni* & sim. Græcorum Versiones, porrò Historiæ *Belli Suitensis* sive Helvetici Libri II. *Germania* ex variis authoribus perbrevis *explicatio*. Tractatus *De re nummaria Veterum*, aliaque jam non nominatim recensenda.

§. LXXVI. Fuit verò etiam JACOBUS FABER *Stapulensis*, egregius plane, virtutis omnis & literarum Antistes. (c) Erat is, ad Stapulas, maritimum Picardiæ pagum, ex ignobili familia natus A. 1440. cultumque ingenii (d) quem illa tempora ferebant, inter aniles Sophistarum nugas & ineptias apud Parisios acceperat: sed hanc fortunæ suæ tenuitatem generosa plane indole superabat, unde eximium is in illis locum est meritus, qui virtute & ingenio præclaram in restituendis litteris etiam sacris ope-

„ stria, cum inextincto ardore asserendi defendendique vera & recta, tam „ apud Deum quam homines. Itaque nihil ei erat antiquius religionis sin„ ceræ & puræ instauratione: „

(a) v. LOESCHER Histor. motuum T. I. p. 129. sq.

(b) Quò pertinet OECOLAMP. ad Pirckheimerum Epistola d. XIII. April. 1526. data vid. Opp. Pirckheim. pag. 321. ubi inter alia ita: *Nondum deliberavi*, scribit, *an tuo commentario respondere velim. Insuper quod precaris mihi mentem meliorem, & ego & mihi & tibi precor. Sed quod ad hanc veritatem Eucharistiæ pertinet, nihil minus opus tuis precibus. Neque enim est frigida opinio, ut tibi vel assentatoribus videtur, sed Christiana sententia longe certioribus subnixa rationibus, quam vulgo credatur ..... Demum, mi Bilibalde doce me primum male habere, & deinde jube, ut resipiscam. Longe enim verius dicere possum, me confirmatum ex Libro tuo, quam tu ex meo.*

(c) De hoc ERASMUS in Annot. ad Rom. I: 5. *Eximius ille Vir*, inquit *Jacobus Faber*, *cujus ardentissimum in restituendis bonis literis, studium magnopere comprobo, eruditionem tam variam minimeque vulgarem admiror, raram quandam morum comitatem. ac facilitatem adamo, singularem denique vitæ sanctimoniam veneror etiam atque exosculor.*

(d) Sunt verba SAMMARTHANI in Elog. Gallor. L. I. n. I. p. 2.

operam præstiterunt: Quanquam enim tenuis ejus esset fortuna, quod hanc tamen fortunæ tenuitatem generosa plane indole superaverit, constat, quippe qui non ipse solummodo temporis illius barbariem superare, atque ad normam virorum eruditorum in Italia eruditionem restaurantium (a) sibi viam ad veri nominis scientiam munire, sed & Gallicam juventutem (erat enim *Parisiis* Literarum Professor ac Philosophiæ) dissipata caligine & excusso veterno ad liberalium disciplinarum lucem manuducere strenuè est annisus; Qua in re tanti ejus fuerunt successus, ut & ipse perfectissime doctus evaderet, & alios aptissima dein methodo ac facilitate doceret, non voce tantùm & prælectionibus sed & scriptis: (b) Et frequens ipsi præstantium adolescentium fuit numerus, qui Philosophiam, viam sternentem ad graviora studia capessenda, cum fructu tum discere ex ipso laborabant: Neque verò, inprimis cum & traditionum pontificiarum & superstitionum (c) farraginem denudare non vereretur,

Y 3 Pa-

(a) De Studio Fabri ad scientiæ incrementum exteras lustrandi regiones, duo testimonia in gratiam lectoris adscribere juvat: Unum est *Symphoriani* CHAMPIERII in Epistola ad Fabrum data Lugd. 24 Maji A. 1507. *Instar item Pythagoræ atque Platonis, aliorumque insignium Philosophorum, exteras lustrasti regiones, atque diversos adiisti populos, nec non ipsam per universum Orbem famatissimam Italiam, doctorum ingeniorum altricem laboriosissime peragrasti, tum ut eos quos ex libris atque fama, noveras, coram quoque videres, tum ut ab eis bonas Litteras ad tuos adveheres.* Alter testis est *Bartholomæus* CHASSANÆUS in Catalogo Gloriæ Mundi parte X. Considerat. IV. pag. 204. *Quibus etiam adjungemus illum Virum omnium Literatorum in omni scibili perfectissimum* JACOBUM FABRUM STAPULENSEM, *qui causa discendi, totam Europam & Asiam transfretavit, & partem Africæ etiam transcurrit, ut Viros Doctos & perfectissimos Litteris Græcis, Latinis, Hebraicis & Chaldæis inveniret.*

(b) Utinam extaret, quem *Guil.* CASTELLUS scripsit Dialogus in laudem Fabri Stapulensis, quique memoratur à Wimpfelingio in additam. ad TRITHEM. de Scriptor. Eccles. c. 17. Cæterum idem *Wimpfelingius* Scripta Fabri enarrat l. c. c. 15.

(c) Superstitionibus quod grandævus senex demum miserit nuncium, discimus ex literis Farelli A. 1556. scriptis ad Conr. Pellicanum, ex quibus hæc nobis earum possessor J. H. HOTTINGERUS in Hist. Eccl. Sec. XVI. P. II. p. 18. retulit verba: Pius senex Jacobus Faber, quem tu no-

Parisiensium Theologorum ejus temporis invidiam is effugere potuit, cum non deessent, qui vel in summa adhuc senectute, quando jam octuagenario major erat, depravatæ religionis reum eundem postularent; Quod tum, cumprimis ab iis factum esse (quo tanto certior ipsis esse posset victoriæ spes) docemur, cum in Hispania *Franciscus I.* Galliarum Rex captivus A. 1525. detineretur, quem ceteroquin norant atque non semel experti erant, *Fabro* præ reliquis omnibus favere; Nam & tunc eum ita exagitabant, ut ille deserta Gallia migraret alio, (a) ut re quoque verà eundem oppressissent sua hac importunitate, nisi denuò doctus princeps, intercedente Margareta sorore, Navarræ Regina, cœcas Theologorum artes & consilia elusisset, datis ad Senatum Parisiensem Literis, hujus argumenti, *audire se litem esse motam apud ipsos Jacobo Fabro & quibusdam aliis eruditione præstantibus Viris, Theologorum impulsu, qui Fabrum imprimis valdè oderint, nam & ante suam ex Gallis profectionem ab ejus ordinis nonnullis, graviter ad se delatum fuisse illum: Sed immerito & calumniose. Tunc etiam magnis quibusdam & claris doctrina Viris negotium se dedisse, qui de Libris illius atque scriptis, quorum nomine fuisset accusatus, cognoscerent. Eos autem, rebus omnibus investigatis atque perpensis, amplum & honorificum illi testimonium apud se dedisse. Quod quum ita sit, & quoniam illius magna sit apud Italos & Hispanos opinio virtutis atque doctrinæ, quod quidem interea resciverit, idcirco grave sibi futurum, si qua creetur ei molestia vel periculum in-*

no-

novisti, ante annos plus minus quadraginta, me manu apprehensum ita alloquebatur: *Gulielme oportet orbem immutari, & tu videbis* dicebat. Ego tunc charus eram seni, & perrexit mihi ut pater esse. Sed nihil erat nisi ipsa superstitio, in qua seni adnitebar accedere aliquantum. Nam æquare vix poterat quisquam, tantùm abest ut vinceret. Sanè stupesco, quando cogito insanam tanti viri superstitionem, qui vel floribus jubebat Marianum idolum, dum unà soli murmuraremus preces Marianas ad idolum, ornari: In Missa omnes vincebat. Tandem aliquid lucis cœpit intueri, sed quanta caligo adhuc restabat? Demum coactus Galliam deserere, Argentoratum descendit, ubi virum commonefeci eorum, quæ olim prædixerat, & jam tempus instare dicebam, quod & pius senex fatebatur, meque hortabatur, pergerem in annunciatione sacri Evangelii......

(a) SLEIDAN. in Comment. L. V. sub fin.

nocenti. Quumque severè & integrè per suum regnum jus administrari, si unquam alias, nunc maxime velit, deinde, quia Viris Doctis omnem deinceps benevolentiam præstare cogitet, ideò mandare, si qua sit post abitionem suam instituta lis in illos & actio, ut ad matrem suam, quæ sit cum imperio, referant: quò per eam certior ipse fiat, utque suam in eo mentem atque sententiam exspectent, neque longius progrediantur, & omninò supersedeant, donec vel ipse reverteris, quod jam brevi futurum speret, Dei beneficio, vel aliud in eo decretum ipse maturè fecerit. Hæ literæ datæ Madricii, oppido Hispaniæ ad XII. Novembris diem, senatui Lutetiæ redditæ sunt ejusdem mensis die XXVIII.

Ipse saltem JOVIUS, qui ceteroquin *Fabri Stapulensis* nostri habet elogium, inter alia tamen ita suam aperit mentem: *Ætate jam confectus Faber, quum Sacras literas attigisset, à Lutherana Hæresis veneno non procul absuit, ita ut in ea suspicione senex parum feliciter moreretur.*

Enimverò Faber noster, hac ratione urbe discedens se subduxit invidiæ, Neraçumque, Navarræ ditionis urbem, Albretiorum olim regiam in ipsius Margarethæ Reginæ clientelam se recepit, ibique ad longissimam ætatem vixit tranquillissimè, & relatum legimus, ipsum aliquando JOHANNEM CALVINUM nostrum (a) A. 1533. ipsum Neraci officii causa salutasse, eumque à sene, cum admodum juvenis adhuc esset, magna animi voluptate exceptum fuisse, futurum augurante, *Calvinum, insigne cœlestis in Gallia instaurandi Regni instrumentum.* Cæterum is A. 1537. integrum fermè posteaquam vivendo emensus erat Seculum, senio magis quam ægritudine oppressus, mortalitatem deposuit. (b) Mortuum luxerunt eruditi omnes, veluti ca-

(a) vid. VERHEYDEN in Elogiis Viror. Doctor. fol. 105.

(b) Est memorabile, quod hic præteriri non debet de ejus εὐθανασίᾳ testimonium HUBERTI THOMÆ *Leodii* Annalium Lib. XI. de rebus gestis Friderici II. Elect. Palatini p. 229. a & 230. ubi „Non possum, „ *inquit*, reticere, quæ de Jacobo Fabro Stapulensi, ipse (Rex Navarre-„ nus) recensuit: Is in persecutione professorum Evangelicorum fuga sa-„ lutem sibi quæsivit, & ad ipsum Navarræ Reginam Alebrettam in Vas-„ co-

carissimo parente orbati, solemnemque funeris pompam Margaretha

„ conibus se contulit. Quadam autem die misit ad eum Regina, & se „ velle cum eo prandere dixit, convocatis aliquot Doctis, quorum confabulationibus mirum in modum delectabatur. Inter prandendum autem cœpit Faber vehementer contristari, & subinde illachrymari. Quorum causam dicere rogatus, accusareturque à Regina, quod pransum „ apud se venisset, ut læta fieret, ipse verò tristaretur. Tandem, inquit, „ *Et qui possem, ô Regina Serenissima esse lætus, aut alios exhilarare, omnium, quos terra sustinet, scelestissimus*? Et quod tantum potuisti admisisse „ scelus, inquit illa, Jacobe, Qui visus es semper ab ineunte ætate sanctissime vixisse? *Ego*, inquit, *sum ætatis* 101 *anni, purus ab omni contagione muliebri, & nihil recordor me admisisse, quo gravi conscientia discedere ex hoc sæculo reformidarem, nisi unum, quod expiari posse, confido.* „ Cumque illa urgeret ad aperiendum, vix præ lachrymis tandem inquit: „ *Quomodo ante summum Dei Tribunal consistere potero, qui Sanctum Filii sui Evangelium purè & sincerè multos docui, qui doctrinam meam secuti, mille tormenta & mortem ipsam constanter pertulerunt. Ego verò male constans Doctor effugi, & cum tantæ & provectæ ætatis jam vixissem satis superque, neque mortem ullam reformidare imò percupisse deberem, & clanculum me subduxi, & Dei mei præceptum turpiter deserui.* Ad quæ Regina, ut erat loquentissima, & plena divinorum sermonum, cum multa „ disseruisset, & rationibus ac exemplis docuisset, multis bonis & sanctis „ Viris, qui cum Deo regnarent obtigisse, neque desperandum de Dei misericordia & bonitate unquam Et pleraque in hanc sententiam, qui assidebant, adderent: Quibus confortatus ille tandem inquit. *Ergo nihil restat, nisi ut hinc ad Deum migrem, si libet, condito meo testamento, neque ultra differendum sentio, quia à Deo me vocari intelligo.* Deinde intentis in Reginam oculis. *Ego te*, inquit, *hæredem meum instituo, concionatori tuo M. Gerhardo libros meos omnes delego. Vestes & quicquid insuper habeo pauperibus relinquo, cætera Deo commendo.* Ad quæ subridens Regina: Jacobe, inquit, quid ad me de hæreditate redibit? *Negotium*, inquit, *distribuendi inter pauperes.* Esto, inquit, juro hanc hæreditatem gratiorem mihi fore, quam si Frater, Francorum Rex, me suum „ hæredem nominasset. Lætior obinde visus, ait, *Opus habeo, O Regina aliqua quiete. Estote læti, & interim valete*, declinavitque in proximum „ lectum. Et cum putarent, illum dormire, obdormiverat in Domino, „ nullis signis malæ valetudinis editis. Quod volentes illum excitare, vehementer admirati, jam tum expirasse. Hunc exitum habuisse Sanctum procul dubio Virum recitabat Regina, quem honorificè tumulari fecit, & „ marmore, quod pro se exscindi fecerat, contegi voluit.„ Quam cur falsi arguat narrationem Doct. BÆLIUS in Diction. voc. *Fevre*, ratio est nulla, conf. WITS. Miscell. S. T. II. Exercit. VI. §. 33.

retha ipsa moerens præsentia sua honoravit. Inter scripta ejus, quippe qui ingenio non solum, sed & diligentia & usu plurimum valebat, præcipue commemorari merentur, ea, quibus rem sacram vel instaurare vel exornare is annisus est: Quo pertinent ejus *Psalterium quintuplex*, *Gallicum*, *Romanum*, *Hebraicum*, *Vetus*, *Conciliatum*, cum Fabri ad singulos Psalmos brevibus notis. Paris. 1509. & 1513. fol. porrò, Ejus *Commentarii initiatorii in quatuor Evangelia*, Meldis 1522. fol. apud Simonem Colineum, & alibi, ex quibus in Indice expurgatorio plures locos & integras paginas expungi jusserunt Theologi Hispani, qui & *commentarium in Johannem* omninò abolendum judicarunt, quia commodè emendari (a) non posset. *Commentarius in Epistolas Pauli* cum Versione earum Latina duplici, Vulgata, & Fabri, quam vocat *Intelligentiam*. Paris 1512. fol. & alibi. *Comment. in Epistolas Joannis, Petri, Jacobi & Judæ* Meldis 1525. Liber *Exhortationum super Epistolas & Evangelia*, pro usu Meldensi, qui Parisiensis Facultatis decreto est condemnatus. Disceptationes *de Maria Magdalena: Versio Gallica totius Novi Testamenti* Paris 1523. 8. 2 voll. (b) & sim. Eas verò, quæ ipsi intercesserunt lites cum adversariis, opus non est, ut hic enarremus, uti ERASMUS ipse, inter ejus adversarios connumeratus est, sed qui mox in gratiam cum eo rediisse dicitur. *Petrum* SUTOREM, NATALEM BEDDAM (c) *Didacum* LOPESIUM *de* STUNICA, *Marcum* GRANDAVILLEM aliosque, ne commemoremus.

§. LXXVII. THOMAM MORUM, Virum ea ætate incomparabilem, an in hunc censum referre nobis liceat, vehementer ambigimus. Erat is ingentium erga bonas artes, & variam

Z

(a) vid. MORNÆ Myster. Iniquit. fol. 623. & ipf. Indic. fol. 690-696. edit. Madrit. 1667. fol.

(b) Hæc autem *Versio* paucissimis cognita inter rarissimos libros commemorari meretur, vid. SCHELHORN. Amoen. Lit T. II. p. 360 siquidem ejus usus publica authoritate fuit prohibitus. conf. VOGT Catal lib. rar. p. 251.

(c) N. BEDDÆ Annotationes in Erasmi Paraphrasin & Fabri Commentarium in Evang. & Epistolas Pauli extant Libris tribus Paris. 1526. fol. atque inter rariores Libros commemorantur.

riam eruditionem, meritorum, qui & libris ingeniose scriptis, multaque prudentia refertis, dum vivebat, laudem, & post mortem nominis immortalitatem est consecutus: Quod summa ejus fuerit in Anglia, tempore Henrici VIII. Anglorum Regis, authoritas, ex annalibus eorum temporum, iisque qui Mori Vitam descripserunt (a) constat, nam &, post varia alia munera splendidissima, quæ obierat, eundem, in *Volsei* Cardinalis locum ad Anglicani Regni Cancellariatum, quem duobus annis cum dimidio gessit, evectum fuisse novimus.

Erat is itaque in summa Dignitate non una constitutus, Eruditorum Virorum Fautor atque Patronus, quod ex ejus commercio literario, cum *Erasmo* Roterodamensi, P. *Jovio*, Card. *Polo*, Jo. *Rivio*, *Cochlæo*, *Gu. Budæo* Parisiensi, *Martino Dorpio*, aliisque Græcarum cumprimis literarum amatoribus & instauratoribus, (b) inter quos, *Johannes Lascaris*, *Phil. Beroaldus*, *Hieronymus Bussidianus*, *Petrus Ægidius*, *Johannes Crocus*, *Beatus Rhenanus*, *Franciscus Craneveldius*, aliique eminent, instituto comparet: Quanquam, vero Monachatus is quoque osor esset acerrimus, atque Monachorum inscitiam & corruptos mores vehementer aversaretur, atque in universum, seculi corruptissimi in quocunque vitæ genere intimam haberet scientiam, tantum tamen aberat, ut illa doctrinæ morumque reformatio, quæ tum orbem illustrabat, atque ab Ecclesia Romana secessionem unicuique Viro bono imperabat, ad ejus esset palatum, aut ejus mereretur approbationem, vel quicquam per eum caperet solatii aut incrementi, ut potius is vehementem in modum ei negotio se præberet inimicum, quin & ipsum Regem Henricum, cujus alioquin erga Lutherum & Protestantes exacerbatus jam satis erat animus, non semel induceret, ut ipsas adversus Hæreticos latas leges, majori cum diligentia ac strenuitate vel-

(a) In hac describenda, plures uno eruditorum occupatos fuisse, constat; quibus tamen omnibus palmam præripuit THOMAS MORUS, Mori abnepos, cujus liber jam A. 1627. 4. publicatus, ante aliquot annos A. 1726. 8. altera vice non sine augmento singulari prodiit lingua Anglicana:

(b) Vid. STAPLETONI Vita Thomæ Mori p. m. 80. 82. 85. 87.

vellet exsequi. (a) Quin imò etiam, licet constet, eum S. Scripturarum studium (b) longe prætulisse omnibus illis, quæ tunc proponebantur quæstiunculis scholasticis, est tamen notum, quod studio veteris Doctrinæ, qua à puero fuerat imbutus, quoque ille se obliniverat, mirum in modum abreptus, in persequendis Hæreticis nimium fuerit progressus acriter; Sunt hujus rei documenta vivida, ipsa Mori Scripta, quæ publicavit varia, hunc atri loliginis succum præ se ferentia, inter quæ, & præter alia, sunt illa, quibus adversus ipsum *Wilh.* TINDALIUM celebrem tunc Novi Testamenti Anglico sermone Interpretem, integris *novem libris* editis religionem Pontificiam defendere est aggressus, (c) quorum *tres* scripsit Regni Cancellarius, *sex* posteriores, eo munere abdicato; (d)

Quod verò tribus illis annis, 1519--1532. quibus Cancellarii munere functus est, in Lutheranos acerbissima grassatus sit suppliciorum sævitia, multosque homines neci dederit, quod à Viris Doctis (e) traditum legimus, id equidem ex ejus temporis Historia

Z 2

(a) Qua de re in Historia Reformationis Anglicanæ plura venient exponenda, quæ digito jam tetigisse satis erit. Et curavit is inter alia, ut suo epitaphio inscriberetur & hoc, quod *furibus*, *homicidis*, & *hæreticis fuerit molestus*: vid. Ej. Ep. ad Erasm. inter ERASMI Epist. P. II. fol. 1442. A. Maximè verò *hæreticis*, de quibus sic ad Erasmum in opere Epistolarum Erasmi Part. II. fol. 1857. B. *Quod in Epitaphio profiteor* HÆRETICIS *me fuisse molestum*, *hoc ambitiose feci. Nam omnino sic illud hominum genus odi*, *ut illis*, *ni resipiscant*, *tam invisus esse velim*, *quam cui maxime*, *quippe quos indies magis ac magis experior tales*, *ut mundo ab illis vehementer metuam.*

(b) Vid. Epistola MORI ad Martin. Dorp. edit. Lond. p. 29. lit. F. ubi ita: *At quod utiliores etiam quam Sacrarum cognitionem Literarum quæstiunculas istas esse vis gregi*, *pro quo mortuus est Christus*, *ferre profecto non possum* &c. atque deinceps illud Terentianum quæstiunculis illis applicat: *Abite hinc in malam rem cum isthac magnificentia fugitivæ: adeò putatis vos aut vestra facta ignorarier?*

(c) STAPLETON. lib. cit. p. 59.

(d) Meminit horum ipse MORUS in Ep. ad Erasmum, inter Epistolas Erasmi edit Lond. fol. 1588.

(e) vid. PERIZON. Histor. Seculi XVI. pag. 221. Quo cum in his consentit *Thoyras de* RAPIN Tom. V. p. 332. qui & quosdam, qui admirabili constantia martyrium subierint, commemorat.

ſtoria non liquet. (a) Quanquam quod carceribus tamen non pepercerit, luculento ſatis teſtimonio, quod ipſum Reformationis negotium ipſi fuerit inviſum, ſit certiſſimum. Sed, quæcunque illa demum fuerit ejus in Evangelicos, atque à Pontificiorum placitis diſſentientes feritas, vel animi obfirmati indoles, experiri ipſe deinceps debuit, quam acerbum ſit aliorum ligare velle conſcientias; Brevi enim poſt, MORUS hic noſter, æque ac FISCHERUS Epiſcopus Roffenſis, jam octogenarius, quod in legem à Parlamento ſcriptam, qua Pontificis abolita poteſtate, Regi, Henrico VIII. ſuprematus in Eccleſias Angliæ dabatur, jurare recuſarent, in carcerem ſunt conjecti, ac tandem, cum ipſum Regis Primatum rejeciſſent, ab ipſo Parlamento damnati, Capitis ſupplicium luerunt; invidioſa quidem Henrico cædé, quum Viri fuiſſent egregii, & integerrimæ vitæ, ſed juſta tamen Dei vindicta, quod in eos, qui ab Eccleſiæ Romanæ placitis ſeceſſerant, acerbe adeò animadvertiſſent, eorumque conſcientiis vim inſerre tentaſſent.

Scripta MORI ſunt varia, inter quæ ejus eminent, *De Optimo Reip. ſtatu, deque nova inſula Utopia, Libri duo,* quos anno ætatis 34. qui erat annus ejus ſeculi decimus ſextus, is conſcripſit, quique tanti apud omnes æſtimabantur, ut brevi quoque poſt, in *Gallicam*, *Italicam*, *Flandricam*, *Anglicam*, aliasque Linguas transferrentur, & Virorum Doctiſſimorum (b) applauſus commeruerint. Reliqua, inter quæ & *Hiſtoria Richardi III. Regis*

(a) Dicit SLEIDANUS ſolum, *eum in ſuſpectos de Lutheraniſmo acriter animadvertiſſe*; Sed ERASMUS in Epiſtola ad Johann. Fabrum Vienneuſem, ubi cumprimis Th. Mori enarrat laudes, (vid. Epiſt. Eraſmi P. H. fol. 1811. A.) *Illud tamen eximiæ*, inquit, *ejus clementiæ ſatis magnum eſt argumentum*, *quod ſub illo Cancellario* nullus ob improbata Dogmata Capitis pœnam dedit, *quum in utraque Germania Galliaque tam multi ſint affecti ſupplicio.*

(b) Sic v. *Gul.* BUDÆUS in Epiſt. ad *Thomam Lupſetum* apud Stapletonum p. 51. *Utopiæ cognitionem*, inquit, *Thomæ Moro debemus*, *qui beatæ vitæ exemplar*, *ac vivendi præſcriptum ætate noſtra promulgavit. Hanc hiſtoriam ætas noſtra*, *poſteræque ætates habebunt*, *velut elegantium utiliumque inſtitutorum ſeminarium*, *unde tranſlatitios mores in ſuam quisque civitatem importent & accommodent.*

gis Angliæ, itemque acerbissima pro *Henrico VIII.* adversus Lutherum, qui anno 1523. contra Librum Regis de Sacramentis libellum emiserat, *Responsio*, quam tamen sub *Gulielmi Roffei* nomine dicitur edidisse; itemque Opera Anglicana lingua ab ipso edita, jam non commemoramus, inter quæ & scripta adversus *Johannem Frythum*, itemque *Vita Joh. Pici Mirandulæ* & quamplurima alia; Lectores relegantes ad literatissimi *Ant. Woodi* (a) Athenas Oxonienses, ubi & Vita ejus enarratur, & Illustris G. BURNETI de *Th. Moro* (b) Judicium memorabile affertur, & Scripta simul Mori recensentur.

§. LXXVIII. GULIELMUM BUDÆUM, quem jam verbo, tanquam elegantioris literaturæ, omnisque Eruditionis promum pariter atque condum indigitavimus, (c) nunc accedimus,

(a) vid. Ant. WOOD Athenæ Oxonienses, or The History of Oxford. Writters Tom. 1. pag. 36-41.

(b) Est verò illud G. BURNETI judicium insertum ejus Historiæ Reformationis Anglicanæ. Vol. 1. lib III. p. 581. edit. Belg.

(c) vid. §. XIV. pag. 23. Cæterùm, Elogium à LUDOVICO VIVE conscriptum Budæi nobis imaginem ita vivide repræsentat in notis ad Augustin. De Civit. Dei L. II. C. VII. p. 101, 102. ut illud hic inserendum judicemus. *Hoc Viro Gallia acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentia, majore eruditione nullum unquam produxit: hac verò ætate nec Italia quidem. Nihil est usquam vel Græcorum, vel Latinorum Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excusserit. Græca & Latina juxta & summè callet. Tam facile utraque lingua loquitur, quam Gallica, quæ est ei vernacula, haud scio an etiam facilius. De libro Græco quæ sunt scripta, leget Latinè: de Latino Græcè. Hæc quæ videamus tam elaboratè, tam excultè ab eo conscripta, extemporali sunt et facultate parta. Facilius tum Græcè scribit, tam Latinè, quam etiam earum Linguarum peritissimi intelligant. Nihil est tam reconditum, tam abstrusum in his Linguis, quod non pervestigarit, adierit, inspexerit, & velut Cerberum è tenebris produxerit in lucem. Infinitæ sunt seu vocum significationes, seu loquendi figuræ ac proprietates, quas unius Budæi opera sciunt homines studiosi prioribus Seculis ignoratas. Et hæc quidem omnia tanta & tam admirabilia ipse per se sine Magistro ullo perdidicit. Fœlix ac fœcundum ingenium, quod in se uno invenit & Doctorem & discipulum, & docendi viam rationemque. Et cujus decimam partem alii sub magnis Magistris vix discunt, ipse id totum à se Magistro edoctus est. Nihil dixi de scientia juris, quæ per ipsum instaurari collapsa jam cœpit, nihil de Philosophia,*

mus, quippe qui locum ut teneat inter eos, qui Evangelicæ Veritatis à ſcoriis atque nugis Pontificiorum repurgatæ erant fautores, ſummopere promeruit, quanquam etiam ab externa Eccleſiæ Pontificiæ communione non receſſerit aperte unquam: Erat is ex vetuſta atque ſplendida ortus ſtirpe, atque Lutetiæ Pariſiorum A. 1467. primam lucem vitalem aſpexerat, cumque primò ad ſtudia literarum adplicare animum, eorum guſtu deſtitutus nollet, tum deinceps tamen ita ſibi ipſi dux extitit & Doctor, (a) (quod perhibet ipſe), ut ſe quoque αὐτομαθῆ potuerit appellare atque ὀψιμαθῆ; (b) quibus duobus vocabulis ipſe in deſcribendis ſuis profectibus eſt uſus. Et quanquam opera quoque deinceps *Georgii Hermonymi Spartiata* itemque *Johannis Laſcaris* in addiſcendis Græcis fuerit uſus, atque in philoſophicis habuerit magiſtrum *Jacobum Fabrum Stapulenſem*, tamen quod is brevi tempore præceptoribus ſuis excelleret, atque à nemine melius quam à ſua ipſius Minerva edoctus, in intima literarum adyta penetraret, inde eſt, quod ſe poſſet Αὐτομαθῆ dicere, veluti propterea, quod primam adoleſcentiam, literas averſatus, in otio atque

ſophia, cujus ipſe in libris de aſſe jam id ſpecimen edidit, quod edere non quiviſſet, niſi homo, qui in omnium Philoſophorum libris aſſiduò verſatus eſſet, maximosque in eis progreſſus haberet. Accedit his omnibus, quod haud dubiè cæteras res univerſas antecellit, probitas, tantæ doctrina congrua, decensque, tam rara, tamque admirabilis, ut ſine cæteris ingenii dotibus monumentiſque miraculum poſſet videri: ut eruditione, ita & probitate ſuperiorem non habet. Qui in omni vita actibuſque tam variis primas ſemper religioni partes attribuit. Qui vir conjugatus liberorum plenus, nunquam commodis ullis & rei familiaris incrementis transverſus eſt actus, ſemper ſeque ſuamque fortunam rexit, & moderatus eſt: nec à fortuna quantumvis magna ſpe propoſita abripi ſeſe permiſit, ſemper ſe ipſum habuit in ſua poteſtate. Homo verſatus, in legationibus, in aula, inter principes Viros nihil unquam gratiæ dedit, nulli aſſentari in animum induxit, patrimonium nunquam auxit, quod à recto vel pilum tantum deflectere non ſuſtinuit. in ſe ipſum acrior quam in alios judex: muneribus invidioſiſſimis functus, non invenit à quo labecula ſpargeretur ulla, vel ſuſpicione criminis qualibet perſtringeretur, etiam in libera gente, nec omninò muta, & ſatis ſuſpicaci.

(a) Sic enim in Ep. ad Erasmum dicit *ſe in utraque Lingua addiſcenda præceptore ſe tantum ipſo ac prælectore fuiſſe uſum* A. 1516. d. 27. Octobr. v. Ep. Erasmi P. 1 fol. 205. a.

(b) Vid. Ej. Ep. ad Cutb. *Tonſtallum* inter Ep. Erasmi P. 1. fol. 242.

atque illiteratæ juventutis studiis traduxerat, ὀψιμαθὴς appellari poterat, quanquam posthac etiam ad miraculum usque in omni disciplinarum genere fuerit edoctus, cujus rei fidem faciunt cum scripta ejus, omne ævum perduratura, tum Viri Docti, qui, sive in Gallia, sive in aliis regionibus, literarum studiis rectum statuere pretium norant, omnes Budæum, tanquam commune eruditionis oraculum suspiciebant, seduloque sibi cavendum putabant ne ab ejus divortium facerent (a) opinionibus. Inter scripta ejus eminent Ejus *Notæ in* Libros XXIV. priores *Pandectarum*, varia eruditione refertissimæ. Ejus *Commentarius de Asse & variis ejus partibus*, de quo nemo non eum esse eruditionis edecumatæ testatur, quippe in quo res nummarias à tot jam seculis intactas, penitusque abstrusas & latentes ex infirmis obscuræ antiquitatis penetralibus eruit & in lucem protulit. Porrò ejus *Commentarius Linguæ Græcæ*, quod opus esse laboris immensi ac propè infiniti, ipsa ejus testatur inspectio, cum omnes fere orationis græcæ ejusque cum latina cognationis thesauri in eo sint effusi, totiusque Linguæ Græcæ sacrarium in eo posteritati sit reseratum. *De Institutione principis* etiam est commentatus, itemque libris tribus de *contemtu rerum fortuitarum*, libris duobus de *Philologia*, ne commemoremus alia, inter quæ & ejus de *Transitu Hellenismi ad Christianismum* liber est commemorandus &sim. Ne quis autem solis literis eundem natum fuisse, aut à civilibus negotiis & reipublicæ cura eundem abfuisse judicet, variæ ejus facient & gravissimæ legationes, in quibus is Galliæ Regibus laudabilem prorsus præstitit operam, uti post reditum, cum in exoptatam solitudinem studiorumque suorum portum se recepisset, FRANCISCI I. benevolentia in aulam fuit revo-

(a) Quod vel ex unico *Johannis Baptistæ Egnatii* exemplo apparet, qui cum aliquando in re minoris momenti dissensisset à Budæo, idque testatum fecisset, præterito ejus nomine, in Erasmum deinceps invehebat, quod is id disertis verbis monuisset, atque singulari ad amicum missa Epistola volebat, ut is semet ipsum Tanto Viro iterum conciliaret, *ut intelligat Budeus, esse in terris hodie neminem, cujus* (ita scribit Egnatius in Epist. Venetiis 1518. d. 18. Januarii data quæ inserta est Epistolis Philolog. à Goldasto editis n. XXXV.) *ego doctrinam magis admirer, de cujus ingenio libentius prædicem, quemque ego pluris faciam.*

vocatus, atque ab eodem Regiæ Bibliothecæ præfectus, & magifter libellorum creatus eft, ingenti ac nova fignificatione honoris, cui non minori probitatis quam eruditionis gloria diu multumque præfuit, donec A. 1540. cum effet annos natus 73. fub finem Augufti menfis, relicta numerofa fobole, Deo redderet animam. Quam graviter is & nervofè in Ecclefiæ Romanæ Simoniam, luxum, (a) inertiam, ambitionem, fuperftitionem, tyrannidem, aliaque vitia, cumprimis in Libro quinto *de Affe & ejus Partibus* invexerit, notum eft.

Præterea verò etiam, quod is ultimo antequam moreretur anno, teftamento caverat, ne pompa funebris ulla, vel proclamatio, vel Miffa, vel quæ ejus generis funt alia, fuperftitionem redolentia, atque fcandalum inferentia (qualia tum inter pontificios erant confueta,) (b) fierent, ea res aliquo modo anfam dedit cogitandi, eum lumine doctrinæ Evangelicæ perfufum fuperftitionibus papalibus nuncium remififfe, prouti revera ex Pontificiis quidam eundem eapropter fufpicione gravare non dubitarunt, cum alii ejus in (c) fe fufceperint patrocinium. Enimverò, quod tamen brevi poft, Uxor Budæi vidua, una cum filiabus Lutetia migraverit Genevam, atque miffa fuperftitione Papali fe receperit in Ecclefiæ

(a) Sunt memorabilia hæc ejus verba l. c. p. m. 593. *Age recitentur* (loquitur de expenfis Sacerdotalibus & Pontificialibus) *expenforum nomina, proh fuperi immortales, in cupedias, in delicias popinales, & in luxum menfarium, in equitium numerofum & elegans, in inftrumentum lautum Epifcopi, in fupellectilem, in vafa argentea, in veftem ftragulam & peripetafmata, in ftipendium cohortis honorariæ fericatorum & calamiftratorum, in avitium & accipitrarios, in venaticum minifterium inftrumentumque, in ferculorum ftructores, in fcurras, in ludios, in acromata, in thymelicos, in eos quos à cavillis habent & à voluptatibus, in deliciarum mille nomina. Adde etiam, fi placet, in aleam, & in ea denique quæ non nifi fubdititio nomine in rationes referuntur, & quæ in ea cadunt, quæ feriatos oblectant, & animi caufa vel morigeris vel aliter obfequiofis expenfantur. In his nominibus ita confumptam acceptorum fummam invenies, ut vix decima pars in erogationes pias & in rem dominicam fuperfit.* conf. MORNÆI Myfter. Iniquit fol. 623. 624.

(b) vid. Jo. LAUNOJI Hiftor. Gymnafii Navarreni Cap. XXXI. Oper. Tom. IV. P. I. fol. 606

(c) vid. BAYLE Dictionar. voc. Budè Volum. I. fol. 700.

clesiæ Reformatæ gremium, (a) quodque id exemplum ex filiis *Ludovicus* pariter *Budæus*, Ling. Hebr. in Acad. Genev. deinceps Professor, itemque *Mathæus*, fuerunt secuti, (b) id egregium certe pro Budæo præjudicium, quod is Veritati, & faverit seriò, & fuerit addictus intime, suscitat, si vel nulla alia extarent ejus pro veritate adversus ejus seculi doctrinam testimonia, inter quæ illud maxime tamen est memorabile, quod is in Epistola ad Erasmum (c) ipse nobis suppeditat, quando *Scholam Sorbonensem*, non solummodo *των σοφιςων διατριβην conventum Sophistarum* appellat, sed & ipsos Sorbonicos vel Doctores, vel discipulos, *διατριβειν* affirmat *ἐν σοͅβωνιδι λιμνη*, *vitam transigere in palude Sorbonitica;*

Sed tamen, est alioquin observatum a *Ludovico* quoque REGIO, qui Budæi vitam (d) consignavit, eum religionis avitæ fuisse „ in omni vita observantissimum... adeò, ut cum in maximis „ quoque procellis & turbulentissimis tempestatibus, ingens „ Græcæ Linguæ conflata esset invidia, quod harum stirps & „ semen malorum omnium videretur.... & cum in his asperita- „ tibus rerum eruditi plerique de religione suspecti haberentur, „ nec satis essent inter imperitorum greges tuti, Budæus solus „ non modo integra mente, verum etiam existimatione integra „ permanserit „ Quid? quod idem ille noster, in Libro *de transi-*

Aa *tu*

(a) Vid. Epist. *Melancht.* ad Camerar. d. XI. Septemb 1549. in edit. Londin. L. IV. Ep. 764. fol. 908. & conf. COLOMES. in Gallia Oriental. p. 16. ubi ita Melanchton: *Venit huc quispiam ex Gallia nobilis Vir ac doctus, qui narrat honestissimam matronam viduam Budæi, unà cum filiabus Lutetia migrasse ad Calvini Ecclesiam, ut ibi & vocem Evangelii audiat, & longius absit à sævitia, quæ in regno Gallico adversus Evangelii studiosos exercetur. Hoc exemplo matronæ valde moveri multos homines in Gallia idem affirmat, propterea quod mortui mariti sui doctissimi & gravissimi Viri judicio existimatur hanc doctrinam amplecti, de qua ipsum multa piè disseruisse ante mortem constat.*

(b) Vid. BAYLE Diction. fol. 700. l. c.

(c) Verba ita se habent: *Reddiderat Epistolam Juvenis, is quem mihi commendasti, Sorbonæ nunc agentem μαλλον δε ἐν σοͅβωνιδι λιμνη διατριβοντα, ὑτω γαρ ἐικοτως αποκαλοιημεν την των σοφιςων διατριβην.* v. ERASMI Epistolar. P. 1. Epist. 249. fol. 247.

(d) Vid. Gulielm. BATESII Vitæ Selectæ Clarorum Virorum p. 233. sq.

tu Hellenismi ad Christianismum, quoque satis disertis verbis, quid in utravis dissentientium parte desideret (a) indigitaverit, quem librum, eundem eodem anno quo Calvinus suas ediderat Religionis Christianæ Institutiones, atque Regi Francisco dedicaverat, edidisse, ipsique illi Regi dedicasse, notat LAUNOJUS (b) qui vel in eo nescio quid arcani latere suspicatur, & quasi ad Calvini conatus irritos faciendos, Regisque animum præoccupandum id factum fuisset, judicat.

Cæterum, quænam Viro huic præclaro cum Viris Doctis quamplurimis famæque celeberrimæ, intercesserit necessitudo, & quam is cum ipsis amicitiam coluerit, & familiare instituerit literarum commercium, ex ejus patet Epistolis ad *Erasmum*, *Morum*, Th. *Linacrum*, *Egnatium*, J. *Vadianum*. Cl. *Cantiunculam*, P. *Bembum*, J. *Sadoletum*, Chr. *Longolium*, G. *Brixium*, Fr. *Deloinum*, A. *Alciatum*, *Jac. Tusanum*, Cutb. *Tonstallum*, J. *Lascarim*, P. *Seguierium*, aliosque quammultos datis, atque æternitati consecratis. Refertur denique, Budæum tanta assiduitate literis incubuisse, ut quotidie duodecim horas literarum studiis impenderet, quippe qui & ipso nuptiarum die (c) minimum tres horas studuisse commemoratur, ut ne parva quidem momenta per incuriam solitus fuerit prætermittere; Sunt Ejus Opera A. 1557. Basileæ junctim edita, quatuor in folio (d) voluminibus.

§. LXXIX.

(a) Verba ejus in lib. 1. ita se inter alia habent: „Est *nunc in partibus* „id incommodum, quod homines quidam existimatione freti longo usu „quæsita, tituloque inani magis quam solido jure parta, omnia Dei ac „Pietatis Christianæ causa facere se, aut simulantes, aut parum potius perhibentes persuasibiliter, jus oraculorum interpretandi solis sibi vendicant. „Cum *interim alteri* magnæ matris sacra putidis verbis elevent, ceremonias annis melioribus consecratas rideant, ritus etiam vetustissimos, ordinum discrimen obterant ac despuant, hymnodias lerbdias esse censeant, psalmodias pro rhapsodiis habeant, ut quidem est opinio multitudinis occupatæ inconsulto præjudicio in utrisque partibus. &c. „

(b) Conf. LAUNOI. Hist. Colleg. Navarren. c. 31. fol. 605. Opp. Tom. IV. p. I.

(c) v. RHEG. in Vita Ej. l. c. p. 222.

(d) Apud Nical. Episcopium Jun. Quod Opus rarissimum esse annotant ii, qui de rarioribus libris sunt commentati.

§. LXXIX. Sed ad *Jacobum* WIMPFELINGIUM Seleſtadienſem properamus, cujus præclara in reſtauratas Literas divinas pariter atque humanas fuerunt merita: Erat is *Seleſtadio*, Virorum ejus temporis plurimorum Doctorum, patria, natus anno 1449. Atque in ſchola primum patria bonis literis innutritus, *Ludovico Dringenbergio* (a) potiſſimùm Præceptore uſus, ad Academias, *Friburgenſem*, *Baſileenſem*, *Erfordienſem* ac *Heidelbergenſem* ordine ſe contulit, ut Theologiæ ac Juris Pontificii, pro illorum temporum more, ſcientiam hauriret, quando utriuſque hujus ſcientiæ demum Licentiatus rite fuit inauguratus:

Cum itaque tantum profeciſſet, ut inter diſertiſſimos ſui temporis Concionatores haberetur, *Spiram* evocatus A. 1494. Eccleſiaſtæ munere ibidem functus eſt; cui etiam muneri per aliquot annos cum præfuiſſet non ſine fructu, tum ſæculi pertæſus, dignitati ſuæ Eccleſiaſticæ, unà cum Viro Doctiſſimo *Chriſtophoro ab Uttenheim*, qui ipſe tamen ad Epiſcopatum tandem evectus eſt Baſileenſem, renunciavit, & Heidelbergam profectus, in Gymnaſio urbis literario, ſacros auctores, atque inter hos Hieronymum explicavit, plures etiam nactus diſcipulos egregios, atque inter hos *Wolfgangum* Ludovici filium, Comitem de *Lowenſtein*, *Jacobum & Petrum Sturmium*, *Jacobum Spiegelium*, atque *Johannem Majum*, Viros illuſtres omnes: Ipſe autem meliori literatura inſtructus, cum monachorum inſcitiam & arrogantiam ægrè ferret, eandemque dictis mordacibus convelleret, hæreſeos à Monachis Auguſtinianis apud Julium II. Papam delatus eſt, quod ſcripſiſſet, *Auguſtinum non fuiſſe monachum, aut certè non talem, quales jam habentur Auguſtiniani, neque ordinis dicti habitum tuliſſe, nec etiam Gregorium M. Alcuinum & Bedam fuiſſe Monachos*, ita ut *Paulus* LANGIUS in laudem & defenſionem clauſtralium omnium bipertitum opus ederet, & ipſe TRITHEMIUS quoque in Epiſtola quadam ad ipſum data, id improbaret, Abſolutus eſt is tamen, arbitris ipſi datis, *Conrado* PEUTINGERO & *Jacobo* SPIEGELIO, auctoritate Julii II.

(a) Vid. STRUVII Biblioth. Ant. 1705. m. Maj. p. 237. 238. & ADAMI Vit. Theol. Germ. fol. 10. 11.

Pontificis Rom. Quam verò is Libertati Germanicæ, adversus tyrannicas Pontificum artes fuerit addictus, ex ejus *Replicis* apparet de *Germanicæ nationis & imperii gravaminibus, contra sedem & curiam Romanam, adversus Æneam Sylvium.* In quo paucorum foliorum libello, digno qui legatur, is docet, sua virtute, non Romanæ sedis beneficio, obtinuisse Germanos Imperium Romanum, qui, si quo fuerint à Romanis mactati beneficio, longe plura semper ac majora reddiderint ipsis, quanquam etiam nunc universis suis exui non velint opibus, aut omnia Romanensium gravamina nimium exorbitantia perferre. Cæterum, eundem hunc nostrum mandato Cæsaris aut Imperii Ordinum, omnia ea elaborasse scripta, quæ tum temporis sub nomine *Remediorum, Avisamentorum, Conclusionis* (b) &simil. publicabantur judicant Viri Docti.

Quanquam verò ita is temporum calamitatem deplorare, moresque depravatos corrigere, & huic malo, quantum in ipso erat, mederi allaboraret, & Sacrarum quoque Literarum veritatem tueretur, quò varia ejus pertinent Opuscula, omnia rarissima, tamen eundem ita Ecclesiæ Authoritati, & inveteratæ consuetudini inhæsisse, notum est, ut priusquam ipse huic dissidio Ecclesiastico, quod per Reformationis negotium imminebat, sese immisceret, potius solitudinem quæreret denuo, atque secessum, quem in ædibus Magdalenæ sororis invenit in urbe patria *Selestadiensi*, ubi ad annum pæne octogesimum cum vitam protraxisset A. 1528. placidè obdormivit. (c) Inter Scripta ejus cum-

(a) Has insertas habemus in Politicis Imperialibus GOLDASTI P. XXIII. n. IV. p. 1045. sq. FREHER. Rer. Germ. Tom. II. p. 381. sq.

(b) vid. J. F. GEORGI Historia Gravaminum &c. p. 307. & seqq.

(c) Est memorabile quod ipsi à duobus ex Sorore nepotibus *Jacobo Spiegelio*, & *Johanne Majo* est positum sepulcrale monumentum apud ADAMI in Vitis Theolog. fol. II. a.

Jacobo Wimphelingio Sletstadiensi, Viro Clarissimo, & unico puerilis institutionis ac profectus circa literas amatori, exhortatori, patrono. Cujus rei argumentum nobis exhibent, non solum editus liber adolescentiæ nomine, & quem *ἰσοδον* inscripsit, ac elegantiarum Linguæ Latinæ compendium, præter Libellos hoc genus alios, verum etiam ipsæ scholæ eruditis

cumprimis sunt, Ejus *de studiis Principum*, de *bello Turcico*, & de *Laudibus Philippi Electoris* Tractatus, editi sub tit. *Philippica*, Porro ejus *Agatarchia*, & ejus *Adolescentia*, itemque *Stilpho*, scriptio in homines sui seculi vehementissime salsa imò mordax, & digna profectò luce publica. Deinceps & *Apologiam* eundem edidisse novimus pro *Republica Christiana* Argent. 1506. 4. itemque Orationem *de Spiritu S*. Patav. 1507. 4. Variæ etiam ejus extant *Epistolæ*, vel proprio nomine, vel nomine *Palatini* Comitis, Episcopi *Spirensis* & aliorum scriptæ. Edidit quoque *Epitomen rerum Germanicarum* ad Senatum Argentinensem (a) & alia quam multa, quæ à Doctissimo HARDTIO commemorantur in Præfat. ad Tom. I. Autograph. Lutheri p. 29. 30. 31.

§. LXXX. Sed ne PETRUM *Schade* silentio prætereamus, dictum à Mosella fluvio, in cujus vicinia natus erat, MOSELLANUM, gravissimæ sunt rationes: Is equidem humili loco natus, atque à tenuis fortunæ parentibus, in agro Trevirensi, sed ingenio atque diligentia adjutus, haud vulgarem sibi jam in Ju-

ditis hominibus hujus consilio passim commissæ. Qui quam capitaliter luxum, avaritiam & ambitionem oderit, frugalissime acta vita docet, & splendida sæpe fortuna contempta, parvo semper contentus animus, sed & adversus illa vitia graves Libelli & ad oppositas virtutes inflammantia scripta apud posteros quoque testabuntur. Religionis Christianæ pius cultor, quemadmodum Theologum & Presbyterum inprimis decebat, bonos Viros etiam in Cœnobiis degentes familiariter dilexit. Apud Spiram Nemetum in Regio illo templo aliquot annis munere Concionatoris functus est; Primus sane inter cives suos, qui carmine & oratione prosa atque editorum voluminum numero in omni penè scripti genere apud eruditos laudem meruerit. Nam Hugonis Veteris Theologi, præter Commentarios rerum sacrarum & alterius Johannis, præter Ethicorum Aristotelicorum expositionem, nihil hodie extat. Jacobus Spiegelius Jureconsultus, & Johannes Majus fratres Regii Secretarii utrique Avunculo. B. M. statuerunt. Vixit annos LXXVIII. Menses III. dies XXI. obiit A. M. D. XXVIII. decimo quinto Calend. Decemb. Magdalenam matrem fœminam plane Christianæ patientiæ, quam difficili morbo oppressa non modico tempore præstitit eodem sepulcro (id quod viva optaverat ob amorem fratris) iidem filii paulo post collocaverunt.

(a) Hunc Libellum recenset & laudat STRUVIUS in Bibl. Antiq. 1705. p. 237.

venilibus annis paravit eruditionem, præceptoribus usus *Johanne Cæsario*, qui tunc Coloniæ Græcas & Latinas profitebatur Literas, porrò *Herm. Buschio & Sobio*, qui ambo Coloniæ publico stipendio elegantiores literas colebant, adeò ut quoque jam A. 1514. ab Illustr. Duce *Georgio*, ad publicum docendi munus in Academia *Lipsiensi* obeundum vocaretur, secundus post *Richardum* CROCUM Britannum, paris cum Melanchtone præcocitatis sed brevioris vitæ: Docuisse eum ibi magno cum omnium applausu Græcas potissimum Literas, eamque docendi iniisse rationem, dicitur, ut explicando authores optimos una eademque opera suos & in Lingua instrueret, & in iis, quæ eadem lingua erant perscripta, quando non minus Latinæ Linguæ culturam inculcabat, & artem dicendi, suaque aliis cogitata communicandi, quo quidem in genere, quod singulari polluerit erudiendi alios peritia, à Viro Docto *Julio* PFLUGIO, qui & ipse inter ejus discipulos facile primas obtinuit, singulari pietate & disertissima Oratione funebri est expositum: Cæterum prudentia eundem animique moderatione singulari fuisse inclytum, quæ ab ipso scripta supersunt, luculenter testantur: uti quod Evangelicæ Veritatis fuerit fautor, ex ipsius ad Erasmum Epistola, (a) & hujus ad illum responsione colligi potest. Erat verò præ ceteris ERASMUS Mosellani nostri amicus atque fautor singularis. *Qui quanti fecerit*, sunt verba Pflugii, *Mosellanum nostrum, & Epistola ejus ad illum & voces perhonorifica ab hominibus non vanis excepta perlataque ad nos declarant. Hic profecto sic complexus est eum, ut pater filium, ut grandior natu hæredem. Neque id*

(a) sv. Opus Epistolarum Erasmi Part. 1. fol. 403. & 405. sqq. Et sunt inter alia notabilia MOSELLANI in illa Ep. quæ in principio A. 1519. est data de instanti colloquio Lipsiensi p. 404. verba: „ Johannes Eckius ὁ τῶν ἀεροβατούντων καὶ τὰ μέγιστα πνεόντων ἄλφα, „ καὶ ὥσπερ ἀριστοφάνειος τις Σωκράτης ἀπὸ ταῤῥοῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονῶν, „ cum Andrea Carlstadio Witebergensi archidiacono pro sua vita, hoc „ est, corollariis, in Disputationis arenam descendet. Palæstra erit Theo„ logorum nostrorum φροντιστήριον, arbitri quoque nostri ματαιολόγοι; „ de die nondum convenit, magnis apparatibus pugna utrimque ador„ natur. „

id sine causa. Erat namque huic tanquam hæredi relicturus universorum bonorum hæreditatem.

Cæterùm Mosellano, quod iidem prorsus fuerint sensus in rebus divinis atque Erasmo, ut illum hujus esse imitatorem & pæne alterum hunc facile agnosceres, recte idem annotat PFLUGIUS; Quæ & ratio fuit, quod equidem Reformatoribus vota sua plenè non addixerit, quanquam ipsi Reformationi faveret, atque etiam cum *Phil.* MELANCHTONE, Eobano HESSO, *Joachimo* CAMERARIO, *Jacobo* MICYLLO aliisque ipsi singularis intercederet necessitudo, quam tamen inopina mors A. 1524. in ipso ætatis flore cum annum tricesimum primum vix egressus esset, interturbavit: Enimvero LUTHERUS (a) de hac ipsa Mosellani ad Erasmum propensione in Ep. A. 1522. ad Casp. Bornerum data testatur: *Salutabis Mosellanum: neque ideò alienus sum ab eo, quod Erasmi magis quam mea sectetur, immò dicito ei, ut fortiter sit Erasmianus: erit tempus, cum aliter sentiet, interim est ferendus Optimi animi sensus inferior;* Interea eundem præ ceteris id operam dedisse constat, ut publice Sacras quoque literas Novi instrumenti interpretaretur, quam ob rem ipse in singulari ad amicum data Epistola (b) hunc in modum de se ipso scribit, *'Novarum rerum, hic nihil habemus, neque etiam novum est bellum, quod infestis utrimque armis cum Sophistis gerimus. Circumspicimus hic viam, per quam* Fabricium Capitonem *huc queamus adducere. Tota juventus in Sacrarum Literarum studia prona fertur. Ipsum adeò me certe non optimum præceptorem Paulinas Epistolas interpretantem audiunt plus minus trecenti. Vide quanta rerum vicissitudo. Olim hæ literæ ut jejuna sordebant omnibus; nunc cæteris rejectis hæ sola placent.*

Et extat Mosellani nostri ad Bilibaldum Pirckheimerum, de colloquio Lipsiensi (c) A. 1519. habito Epistola, elegantissima,

(a) Vid. Ep. LUTH. L. II. p. 67.
(b) Ep. MOSELL. ad Conr. Mutianum in Collectaneis Heckelianis ap. SECKENDORF. L. 1. p. 90.
(c) v. SCULTET. Annal. Dec. 1. p. 37. SECKENDORF. Hist. Luth. L. 1. fol. 90, 91. Hanc Cel. HEUMANNUS denuo cum ediderit accuratissime impressam eandem itidem inter Documenta Num. XIX. huic operi subjuncta referendum judicavimus.

ma, quæ, quantum is veritati faverit, atque à Scholasticorum disputationibus intricatis fuerit alienus, fidem facit. Ne jam alia ejus commemoremus scripta, inter quæ, permultæ sunt scriptorum *Nazianzeni*, *Basilii*, *Chrysostomi* & aliorum è Græco in Latinum translationes, itemque variæ Orationes v. gr. *pro linguarum studio contra Barbaros*, de *Concordia* in *publicis Scholis retinenda*, de ratione in re *Theologica disputandi* &sim. Uti ejus in *Quintilianum* & *Gellium* extant commentarii, variaque alia, quæ in incrementum literarum humaniorum ab ipso sunt publicata, quæque plura certe daturus erat & absolutiora, nisi præmatura morte abreptus colophonem laboribus imponere prohibitus fuisset. Neque verò Viri hujus præclari, & quem meritò sibi in exemplum ponant quotquot humanioribus literis operantur, imaginem nobis accuratius, quam propriis ejus verbis repræsentabimus: Sic enim ipse ad Rev. Patrem, Martinum à Lochan, (a) *Deum*, scribit, *quem nihil latere potest, mihi aliquando animam agenti, & cum morte luctanti propitium adesse nolim, si non jam inde à puero, non sine summo domandi animi labore, nihil tam cavi, quam ne alicujus vel lacessentis famam mordicus arriperem, quin omnibus, quæ mihi non adeo contemnenda, si anniti voluissem, contigissent, posthabitis honoribus, copiis familiaribus ac communibus humanæ vitæ voluptatibus, hoc unum sum subsecutus, ut optimi cujusque & doctissimi calculo probatus, tandem mentem disciplinis his elegantioribus à mundi sordibus repurgatam, Christo Jesu veræ sapientiæ fonti, divinæ doctrinæ scatebris irrigandam, supplex offerrem. Hoc interdiu cogitavi, hoc noctu somniavi, huc manibus pedibusque contendi, huc omnibus aspiravi votis, in hoc otium & negotium omne collocavi, ac denique omnes ingenii nervos intendi, videlicet ne desit, quod Evangelico illi diviti rationes suas olim explicanti, pro talenti quantulicunque mihi crediti usura rependere possim. Nullus alius vitæ meæ unquam fuit scopus. Nam si ad voluptates, ad opes, ad honores, ad potentiam anhelassem, longe alia via fuissem ingressus. Nec operam hic lusi omnem, nec caruit successu conatus.*

§. LXXXI.

(a) vid. ADAMI Vit. Philos. Germ. pag. 29. a.

§. LXXXI. BEATUM (b) *Bildium*, sive RHENANUM à Rhenaco patria, unde pater Selestadium advenerat, appellatum hic præterire nefas esset. Is natus est A. 1485. honestis parentibus, atque jam inde ab infantia, literarum tum reflorescentium studiis est imbutus, primò quidem in patria, Doctoribus usus *Cratone Udenhemio*, & qui ei successerat in Schola Selestadiensi *Hieronymo Gebuilero*, Viris, uti ferebant tempora, bonis magis quam doctis, deinceps Lutetiam missus, ulteriores in iisdem fecit progressus, sub *Georgio* HERMONYMO, *Jacobo* FABRO Stapulensi, *Jodoco* CLICHTOVÆO aliisque, quando literis probe instructus in patriam est reversus, atque primum *Argentorati* per aliquot annos substitit, postea Basileam profectus, ubi *Jo.* CONONEM Græcos authores interpretantem, una cum *Brunone*, *Basilio* & *Bonifacio* AMERBACHIIS audivit, mortuoque Conone, & propter loci salubritatem atque amœnitatem, & propter doctissimorum hominum, optimorumque Virorum consuetudines atque familiaritates ibi sedem fixit, Inter quos AMERBACHII erant, FROBENII, *Ludovicus* BERUS, *Claudius* CANTIUNCULA, *Henr.* GLAREANUS, *Gulielmus* NESENUS, *Ludovicus* CARINUS, *Nicolaus* BRISERUS, *Paulus* PHRYGIO, *Marcus* BERSIUS & alii:

Præ ceteris tamen ERASMUS *Roterodamus*, inde ab eo tempore, quo is Basileam est profectus, ejus cum hospitio, tum familiaritate est usus, uti ipse RHENANUS in Epistola quam *Origenis operibus* præfixit, *de vita obituque Erasmi* pleraque cognitu digna recensuit, in æstimationis erga ipsum summæ & necessitudinis quæ inter ipsos fuerat, documentum. Quidquid sit, Rhenanum, cum Argentorati adhuc subsisteret, jam tum, sui de reformationis clericalis necessitate judicii non obscurum dedisse specimen, certum est, edita de *Jo. Geileri* KEISERSBERGII *Vita & morte* narratione historica, in qua, cum inter

(b) Est inter scriptores Gallos, qui eo prænomine deceptus, hunc *Rhenanum* miro saltu inter suæ Confessionis Sanctos vel *Beatificatos* retulit, eum vocando: *Le bien heureux Rhenanus* v. SCHELH. Amoen. liter. T. vi. p. 607.

ter reliqua, Virginum pœnitentialium mentionem injeciſſet, & hæc addit: *Hæ, cum luxu & deliciis diffluerent, nec pudicitia ſic tuta ſatis videretur, ſub arctiorem vivendi regulam redegit:* Quibus verbis exacerbatæ fœminæ, injuriarum inſtituerunt cum Rhenano agere, ut difficulter admodum illa defenſiò fuerit compoſita. (a) Cæterum is per omnem vitam deinceps, in Religione probabat, quod præcipuum eſt, doctrinæ lucem, & improbabat, quæ peſtiferæ ſemper fuerunt, doctrinæ tenebras: quanquam etiam nullius ex Reformatoribus nomini ſeſe addiceret. Faviſſe tamen eundem Lutheri cauſæ, vel tum, quando is ad Comitia vocatus erat Wormatienſia, ex ejus ad Ge. Spalatinum A. 1521. data (b) colligitur Epiſtola, in qua inter alia: *Principi Tuo*, inquit, *Vellejum idcirco conſecravi, quod videam huic uni, recta ſtudia veramque pietatem cordi eſſe, quæ laus illi perpetua futura eſt, ſi nunc, cum maxime præſidio opus eſt, Martinum Lutherum non deſtituerit. Non faciet autem, ſi tuo conſilio fuerit animatus. Proinde fac, omnes ingenii tui vires explices, ut iſta feliciſſima cauſa reparandæ pietatis ea maturitate graviter tractetur, qualem hoc negotium religionis poſcit. Scio, quid Princeps hic tuus poſſit, cui imprimis felicitatem hanc totus orbis feret acceptam.* Et paulo poſt: *Cæterum arbitror Martinum Lutherum in hoc accitum à Principibus, ut ſuo conſilio hos adjuvet modum ſtatuturos tyrannidi Pontificiæ. Sunt qui nollent vocatum, illi à violentia timentes. Sed video non alium fuiſſe modum cohibendi edicti Cæſarei quam ſi accerſeretur. Proponet paucis ſummam veri Chriſtianiſmi, & quantum ab illo degeneravit vita noſtra, & inprimis Pontificum, ſimul oſtendet, & eſt alioqui incipiendum à capite.*

Scripta BEATI noſtri, uti à *Conr.* GESNERO enarrantur in *Bibliotheca univerſali*, ſunt ſequentia.

Obſervationes in C. Plinii Naturalis Hiſtoriæ Libros Rerum Germanicarum Libri tres. Adjecta eſt in calce Epiſtola Rhenani ad Bil. Pirckhaimerum, *de locis Plinii per S. Aquanum attactis* &c.

An-

(a) vid. Melch. ADAMI in Vit. Rhenani.
(b) vid. hæc verba apud SECKENDORF. L. 1. §. XCII. fol. 151.



MERCURINUS DE GATTINARIA

Caroli V. Imp. Cancellarius.

nat. 1465. denat. 1529.

Annotationes in extantes Livii libros
Notæ in Corn. Tacitum.
Velleji Paterculi Volumina duo Historiæ Romanæ omnium primò ab ipso edita.
Tertulliani Opera notis & conjecturis instructa.
Epistola Operibus Origenis præfixa.
Præfatio ad Carolum V. Erasmi Operibus præfixa

Est is quoque præfatus in *Theophrastum Æneæ Gazæ*, & in *Xysti Gnomologiam*, & quædam *Gregorii Nazianzeni* convertit in sermonem Latinum.

Quæ omnia Basileæ apud Frobenium typis sunt excusa. Ipse vero Rhenanus A. 1547. ætatis suæ 62. diem obiit supremum, ejusque primaria fata *Johannes* STURMIUS enarravit in commentatione præfixa *Germaniæ* à RHENANO editæ.

§. LXXXII. Neque hic silentio est prætereundus, quem in superioribus (a) jam laudavimus, Vir undiquaque Illustris atque Magnificus, *Mercurinus* GATTINARA, in eundem illum, quem hic recensemus, numerum ponendus. Fuit is inde ab A. 1506. Burgundiæ, Authoritate Maximiliani Imp. (uti tum domui Austriacæ Burgundiæ comitatus parebat) Præses atque Cancellarius, deinceps vero etiam inde ab A. 1518. Caroli V. Imperatoris Consiliarius intimus atque Cancellarius supremus, quin imò etiam, sub vitæ finem, Ecclesiæ Ro. Cardinalis; GATTINARÆ, vel *Gattinarii* vel *Cattinarii* nomen, eum, cum proprie *Mercurinus* appellaretur, atque *Arborei* vel *Herborii* nomen pro Gentilitio haberet, accepisse à patria *Gattinara*, (b) recte jam ab aliis (c) est notatum: Natus is est circa Ann. 1465. Et quanquam Patre jam in teneris orbatus esset annis, quod tamen jam inde ab infantia ad præclara quævis surrexerit ex *Alph.* CI-

(a) vid. §. XIX. p. 36. 37.
(b) Est vero *Gattinara* Pedemontii Oppidulum in tractu Vercellensi, in ipsis Mediolani confiniis ad Sessim fluvium situm, distans ad tertium fermè lapidem ab ipsa Vercellarum urbe.
(c) v. D. Phil. Fr. HANII Memoria Merc. Gattinaræ §. I. p. 187.

CIACCONIO, ejus qui conscripsit elogium, (a) apparet, ubi inter alia: *Adolescens*, inquit, *studuit, didicitque accurate omnem politiorem literaturam, & Latini sermonis elegantiam, ac naturalem philosophiam.* Uti, qua ratione adultiorem transegerit ætatem, eodem referente docemur: *Juri Civili & Legibus deinde dedit operam, & accedente ad eximium ingenium maximo labore & industria, Jureconsultus evasit suo seculo facile Princeps, ita ut ad ipsum in difficillimis ac pane desperatis causis tanquam ad oraculum homines ex longinquis provinciis confluerent.* Enimverò cum ad maturam ætatem is devenisset, tum verò civilibus, etiam antequam ad Aulicos Honores aspiraret, eundem muneribus præfuisse, dubium non est: *Vixit enim annos*, uti ejus habet Epitaphium, *LXV. illustrissimi Ducis Sabaudiæ annos novem Consiliarius, annos totidem magnæ Burgundiæ Præsidens: annos duodecim supremus acceptissimusque Cæsari Consiliarius.* Prima itaque aulici muneris tyrocinia posuit apud Philibertum II. Sabaudiæ Principem, in cujus ditione illum natum esse contigerat: Deinceps ab A. 1504. apud Carolum III. Philiberti successorem, qui eidem quoque per aliquot annos Bressiæ præfecturam admodum honorificam demandavit: Quum verò *Margaretha* Austriaca, Maximiliani I. Imp. filia, Philibert Sabaudi vidua A. 1506. post fratris Philippi mortem, universis Belgicis Burgundiisque provinciis præficeretur, quas ea nomine Caroli adhuc impuberis gubernaret, tum factum est, ut MERCURINUS quoque, qui jam antehac, in aula Sabaudica cum esset, Margarethæ viduæ jura dotalia tutatus erat, statim ab ipso Maximiliano, ejusdem illius Burgundiæ Præses constitueretur, qua in statione, quam ad vitæ finem usque tenuit, quod jam fuerit constitutus circa principium Anni 1508. ex ejus temporis documentis (b) colligitur, quippe quo ipso jam anno quoque, no-

(b) in Vitis & Reb. Gestis Pontif. Rom. & Rom. Ecclesiæ Cardinalium.

(b) Sic enim ipsi titulum A. 1508. jam datum à Margaretha videmus M. d. G. *President du Parlement du Comte de Bourgogne & l'un des Ambassadeurs de l'Empereur, vers le Roy.* vid. Lettres du Roy LOUIS XII. & du Cardinal G. d'AMBOISE Tom. 1. p. 146. 147. quibus documentis cum destitutus fuerit Cl. HANE, mirum non est, quod is circa A. 1509. hæc demum contigisse harioletur l. c. p. 191.

nomine Imperatoris, una cum aliis quibusdam summa Legatione is functus est, apud Ludovicum XII. Galliarum Regem, cui, nomine Margarethæ Austriacæ, quod ea comitatum Carolesium (Charolois) aliasque quæ Burgundicæ ditionis erant, terras teneret, homagium is tum quoque præstitit. (a) Deinceps A. 1509. quod de novo una cum *Andrea de Burgo* Equite, à Maximiliano ad Ludovicum XII. Galliæ fuerit missus, ex iisdem documentis colligitur (b) quæ ipsius quoque Mercurini Litteras varias ad Margaretham Principem datas nobis exhibent, inter quas, præ ceteris, quæ rebus civilibus sunt refertæ, commemorari merentur, & eæ, quæ d. VIII. Octobris A. 1509. ab ipso sunt datæ, quippe quæ & fidei & prudentiæ & authoritatis & generosioris ejus indolis non vulgare præbent indicium: Margaretha aulicorum quorundam susurris inducta, in eam devenerat suspicionem, quasi non, uti fas erat, suæ domus gloriam, suæque causæ emolumentum is in ea legatione procuraret, atque hujus suspicionis levem quandam injecerat mentionem; Tum verò ille, quod Virum probum & justi tenacem, sed & nominis honorifici studiosum decebat, admodum graviter ea de re conqueri, & quantæ sibi curæ essent res sibi demandatæ, profite-

(a) v. Lettres l. c. p. 149. ubi H. de *Meleun*, le Syr *de l'iry*, Merc. de *Gatinaria* & Jean *Caulier* Maximiliani Imp. Legati, ita scribunt d. XII. Martii 1508. ad Margaretham: *Au sur plus*, *Madame*, *demain Monsr. le President doit faire l'ommaige pour vous* (c'etoit pour le Comté de Charolois & autres terres en Bourgogne) *& est le Roy tres Chrestien bien joyeulx d'avoir une telle Dame pour Vasalle*, *& a dit*, qu'il aimeroit mieulx baiser sa Vassalle que cellui qui reprent pour elle. Conf. p. 159. ubi ipse GATTINARA, quam illud homagium revera jam præstiterit, refert: *J'ay fait votre Hommage entre les mains du Roy*, *& l'ay baisé en vostre lieu*, *& me repliqua encore de nouveau*, *qu'il est mieulx aimé vous baiser que moy &c.*

(b) Vid. Instruct. Maximiliani tum temporis data in *Lettres de Louis XII.* l. c. p. 180. sub hoc tit. *Instructio eorum* quæ Nobiles fideles dilecti Consiliarii nostri, Mercurinus de Gattinaria *Præsidens Parlamenti nostri Burgundiæ* & Andreas de Burgo, *miles apud Serenissimum Regem Franciæ fratrem nostrum carissimum*, *circa tractatum concordiæ Hispanicæ*, *dicere*, *proponere*, *atque agere habebunt parte nostra.*

fiteri, verbis (c) quæ, cum generosam animi indolem tum nulla labe infectam ejus virtutem nobis admodum vividè sistunt. Sed

(a) Est ea Epistola querelarum plena, sed ex qua has illasve excerpere pericopas forte non injucundum erit lectori earum rerum studioso; Sic enim inter alia p. 185. *il me sembloit* (scribit) *que vous eussiez si petite confidence en moy & que vous me teinssiez si meschiant que de vouloir consentir & entendre à chose qui fust contre l'honneur de l'Emperenr ny de vous, & au dommage de vostre Maison, ce que je ne vouldroie avoir fait ny seulement pensé tant pour l'affection que j'ay tous jours eu à vous bien servir; quant aussy pour non blesser mon honneur propre, lequel je me suis continuellement efforcé de bien garder, & le vouldroye garder pour l'advenir plus que tous les biens que vous ny aultre Prince me sçauriez faire, car les biens, l'on les me pourroit oster maulgré moy, mais de mon honneur il ne seroit en pouvoir ny de vous, ny de Prince du monde, le moy oster sans mon consentement, & pour ce je m'efforceray tant que la vie me durera de garder cette piece autant que le plus grand tresor du monde.*

Deinceps de aliorum susurris, qui sua tantum quærebant, non ea quæ essent Cæsaris, conqueritur ita, pag. 188. *mais quand Dieu me donra grace que je puisse estre devers vous, je vous feray toucher le tout au doig & par voye indirecte, je feray confesser à ceulx de par de lá en vostre presence, que je vous auray dit verité & les despite tous tant qu'ils sont s'ils eussent sceu mieux faire que j'ay fait, mais si je puis, avant que le tout soit conclu & ratiffié, ils n'entendront jamais les poincts secrets que j'ay en mon cerveau, car si les choses doivent aller en rompture, je ne veuil pas que les aultres se facent bonneur de mon labeur & de mon estude, & s'ils veullent aprendre qu'ils aillent à l'escole.*

Porrò 195. ita scribit: *Madame, par ces choses joinct ce que l'Empereur vous en a par deux ou trois fois escript, vous pouvez cognoistre evidemment que vous avez tres mal soupconné que ceste matiere ayt esté tirée hors de vos mains par quelque habilité de Cour, car il n'y a nul qui ait taché de la vous oster.*

Et cumprimis p. 196. *Ainsy que vous a esté escript, & si vous ne vous contentez de cela, & que par quelque sinistre subordination, vous souspecionez ou mescroyez en cecy ny Monsr. de Gurce, ny Monsr. de Burgo, ny moy: je vous dis, Madame, en toute humilité* que vous ne feriez pas digne d'avoir tels serviteurs, *qui vous ont si bien servie & pensent encores mieulx servir, & que les debvriez bien entretenir d'aultre sorte & avoir aultre confidence en eulx qui ne vous ont jamais fait faulte, car si vous ny avez la confidence bonne, vous n'en seriez jamais servie à vostre contentement & les perdriez, & auriez*

Sed, si vellemus omnia ejus persequi, in quibus, vel MAXIMILIANO, vel MARGARETHÆ, vel etiam deinceps CAROLO V, is laudabilem præstitit operam, longus atque magnus nobis politicorum civiliumque negotiorum incundus esset numerus, quod à nostro scopo abluderet, ut indicatis solummodo, unde hæc hauriri latius possint fontibus, (a) hos rivos claudamus, si id modo paucis adhuc monuerimus eum *Carolo V. Im-*

riez à l'adventure apres bien à fere à en recouvrer de si bons & loyaulx, & si je les cogneusse aultres, je n'en parleroie pas en cette sorte ny si chaudement, mais, Madame, vous savés que j'ay esté l'instrument à les vous faire gagner pour vostre grand bien & par moyen d'eulx avez fait tant de belles choses à vostre grand honneur reputation & prouffit, & pour ce seroye bien marri que vous les perdissiez, & que vous leur donnissiez occasion de perdre le bon vouloir & affection qu'ils ont avous faire service.

Et denique pag. 198, 199. *je espere Madame, que en la fin cognoistrez mon innocence & que la verité viendra toujour au dessus, & quand vous vouldriez adjouster plus de* foy à quelques maulvais rapports ou à quelques souspicions legeres, que à ma loyaulté & prudhommie, *& pour ce eussiez quelque regret à moy, je n'ay pas Madame, si mal vescu en ce monde ny acquis si maulvaise renommée*, que je ne puisse tousjours aller à teste descouverte, *tellement que quand je seroye dedans ung bois, je vivroye à honneur & ainsy que ung homme de bien doit vivre, combien que quand vous me fauldriez, ce que ye ne scauroie imaginer, jamais apres Prince ny Princesse ne me auroit à son service, car je n'auroye jamais plus de confidence en Prince ny en Princesse du monde, & aussi je ne scauroie avoir l'affection de servir aultruye de la sorte que j'ay servy vous & les vostres, & à vous dire la verité Madame, combien que ce que dessus ne soit pas escript en Chaulde colere mais à sang rassis, neantmoins le grand regret que j'ay eu de vos lettres &* de la diffidence qu'avez monstré avoir de moy & de vos aultres bons serviteurs, *à fait passer ma plume ung peu plus avant pour vous donner mieulx à cognoistre la verité de ces choses.*

(a) Quæ dum is Parlamenti Burgundici Præses erat, antequam Carolus V. vel ad Hispanici Regni thronum vel ad Imperatoriam Dignitatem adscendisset, sub Maximiliano & Margaretha Austriaca ab A. 1508-1514. cumprimis egit, ex plus quam 25 ejus *Epistolis & aliis documentis* colligi potest, quæ inserunrur collectioni Epistolarum modo dictæ, quæ IV. Volum in 8. prodiit Bruxellis 1712.

Quæ vero sub Carolo V. ab ipso sunt acta, breviter & nervose à Doct. HANIO loco citato sunt exposita, pag. 191-204.

Imperatori (a) *à secretis fuisse & consiliis, supremique ejusdem Cancellarii munus annos duodecim summa cum fide & integritate obivisse, ut nil arduum, nihil difficile absque maturo Mercurini consilio fieret:*

§. LXXXIII. Quum enim durante hoc ejus Cancellariatu Reformationis negotium, potissimum fuerit inchoatum, tum quomodo is in hac se gesserit causa, breviter, quantum fieri potest, est indicandum, quando simul id apparebit, quam equidem Sacra repurgata is publice amplexus non fuerit, sed ad finem usque vitæ in Ecclesiæ Romanæ communione externa permanserit, at verò, quam Papæ tamen Romani non ita addictus fuerit, quin multis modis Protestantium causæ faverit, ipsisque Protestantibus profutura prorsus tulerit consilia: Quod enim in Comitiis *Wormatiensibus*, quæ A. 1521. celebrabantur, is in comitatu & consilio Cæsaris fuerit, vel ex ipsa ejus ad Erasmum d. v. Aprilis 1521. data Epistola (b) liquet, quæ simul ejus moderatum & erga Erasmum faventiorem nobis explicat animum. Et quanquam ibi quidem grave in Lutherum à Cæsare, ut Papæ Leonis X. gratiam aucuparetur, promulgatum sit edictum, id tamen non tam Gattinaræ, quam Principibus atque Imperii statibus fuisse imputandum, notari debet, ut credibile quoque sit, eundem id improbasse, inprimis cum MELANCHTON id disertis innuere verbis (c) non vereatur, in Ep. ad Lutherum A. 1530. data, dicendo: *Addidit Mercurinus, hoc quoque Wormatiæ apparuisse, quam nihil proficiant violenta consilia:* Quod illa moderata, quæ deinceps Cæsar capiebat, consilia, huic cumprimis Gat-

(a) Ea sunt CIACCONII l. c. verba: qui & hæc addit: *Quanta prudentia, æquitate, fide, dexteritate in amplissimo illo munere versatus fuerit, illud inter cætera argumento esse poterit, quod ut Italus, ut exterus ad supremam Cancellarii dignitatem evectus sit, ac Imperatori Carolo acceptissimus, regni Proceribus & Principibus Viris gratus, ab universo populo dilectus.*

(b) vid. Epist. Erasmi Operum Tom. III. P. I. fol. 635. ubi inter alia, *Eo*, inquit, *animo esse debes, ut tibi persuadeas..... tibi me semper eum futurum, qui & te ipsum & labores tuos quanti faciat, malit te re ipsa, quam verbis experiri*

(c) vid. COELESTIN. Histor. Comitior. Augustanor. Tom. I. p. 41.

Gattinaræ sint accepta ferenda, vel ex ipsis laudibus & encomiis etiam post mortem MERCURINO nostro à Viris Doctis inter Protestantes datis (a) perspicitur: Quod Cæsar, deinceps, ubi Clemens VII. P. R. posito omni religionis pudore Franciscum Galliarum Regem à jurisjurandi Cæsari facti vinculo exsolverat, ipse, ut hanc veritati atque sibi à Clemente illatam injuriam ulcisceretur, nominis Pontificii authoritatem per omnem Hispaniam aboleret, (b) quin imò, quod postea Romam caperet, Pontificem cum Cardinalibus captivum detineret &sim. id certe omne gravissimis atque sapientissimis Gattinaræ consiliis, quæ Cæsaris dirigebant animum, acceptum erat ferendum. Uti, quod is in

 Con-

(a) Sic Melancht. ad Luther. apud COELESTIN. l. c. p. 138. *Cornelius*, inquit, *spem se habuisse pacis aliquam vivo Mercurino. Hoc extincto, neminem esse in aula affirmat, qui auctoritate valeat, qui pacis auctor sit.* Et alibi in Epist. ad Silberbornerum apud Cœlest. p. 204. *Et quemadmodum fertur Alexander Imperator unice delectatus esse consuetudine Ulpiani JCti, ita accipio, familiarissimum Cæsari nostro fuisse Mercurinum Cancellarium quoad vixit. Hunc ferunt Virum optimum & sapientissimum, planeque Ulpianum alterum fuisse.* Conf. SECKENDORF. L. II. fol. 157. Sic Spalatinus ad Lutherum apud Cœlestin Tom. 1. p. 36. loco statim citando eum laudat.
Sic *Eobanus* HESSUS egregium in funere hujus summi Viri Epicedion composuit, quod inter reliqua ejus Epicedia legitur, ubi inter alia ita:

Tempore quo tetricæ ruperunt fila sorores
Tibi Mercurine Chattinariæ domus
Eximium decus, ad tumulum venere frequentes
Divæ daturæ justa funeri tuo,
Prima bonis VIRTUS comitata sororibus ibat
PROBITATE, LEGE, PACE, JUSTITIA, FIDE,
Ibat & ipsa suis SAPIENTIA cincta ministris
MODESTIA, PIETATE, FORTITUDINE,
Ex hys triste duæ pheretrum subiere priores
Capulum sequentes ingemuere cæteræ
Præcipue pax atque fides, quas ille solebat
In tempus omne amare constantissimè
Justitia indecores flebat laniata capillos
Audita sive hoc, sive tale quid loqui. &c.

(b) vid. THUAN. Histor. L. 1. fol. 23. edit. noviss.

Conventu Bononienſi egregie A. 1529. diſputaverit, etiam cum cardinalitia ipſi dignitas eſſet delata, jam velut in tranſcurſu in ſuperioribus (a) eſt obſervatum, & ex Hiſtoria Congreſſus Bononienſis ad A. 1529. apparebit. Nam & GATTINARA is erat, qui ſolennem illam Proteſtantium Legationem A. 1529. ad Cæſarem qui tum in Italia erat, factam, benevole pariter atque liberaliter excipiebat, & quam lubenter, ſi fieri poſſet, & facilem, ipſis legatis ad Cæſarem aditum & cauſæ favorem procurare vellet, teſtatum faciebat, quamvis & hæc præclara ejus conamina, per morbum, in quem incidebat, irrita fierent, (b) atque deinceps res ad Nicolaum Granvellanum relata, non ex voto vel Legatorum vel Principum Proteſtantium ceciderit:

Quidquid ſit, à morbo reſtitutus *Mercurinus*, fertur moderata Cæſari, tum iter in Germaniam paranti, ut *Auguſtana Comitia* in ſequentem annum 1530. indicta, celebraret, conſilia inſpiraſſe, atque etiam Proteſtantibus id (c) ut innoteſceret, curaſſe, *ſe nempe nihil in votis habere magis, aut amplius à Deo petere, quam ut Dux Elector Saxoniæ Sociique conjuncti conſtanter in Evangelii Profeſſione pergant & perſiſtant, ac conſilium pium ac liberum* (d) *urgeant.* Quanquam

(a) vid. §. XIX. pag. 36. 37.

(b) vid. MULLERI Hiſtor. Proteſtationis, Legationis & Comitiorum Auguſtanorum p. 181. ubi ipſæ Principum Literæ commendatitiæ ad *Mercurinum*, Marchionem (uti in Inſcriptione appellatur) directæ. Conf. ibid. p. 187. & p. 190. & SECKENDORF. L. II. §. XLVI. qui ita de Legatis: *Benignè eos tractavit Mercurinus Gattinara Cancellarius ſupremus Cæſaris, Vir maximus, nec à religionis reformatione valde averſus, tunc inter Cardinales cooptatus.*

(c) v. Joh. SAUBERTI Hiſtor. Auguſtan. Confeſſ. p. 7. ubi G. Spalatini ad Lutherum epiſtola ex Cœleſtino T. 1. p. 36. adducitur, quæ ſtatim à nobis quoque adducetur.

(d) Sunt memorabilia MELANCHTONIS ad Lutherum in Epiſtola jam ſuperius citata verba. *Feruntur duæ ſententiæ conſilii Cæſareani. . . . In poſteriore* (id eſt, ne vi agatur) *dicitur eſſe Mercurinus ὁ ἀρχιγραμματεύς, Vir ſummus & moderatiſſimus, quem ajunt dicere: ſe in adverſa valetudine, hac ſpe ſecutum Cæſarem eſſe, quod arbitraretur, fore ut res Eccleſiaſticæ rite conſtituerentur, nolle ſe violentis conſiliis intereſſe. Nihil hic audivimus, quod magis videretur nobis dignum memoratu, & certe delector hac voce & ſententia*

quam tamen ipse quoque hujus sui consilii exitum adspicere non potuerit, morte adhuc placida extinctus antequam ipsa illa comitia celebrarentur. Enimverò & GATTINARAM brevi antequam moreretur, id est mense Septembri Anni 1529. Cardinalem E. R. creatum fuisse à Clemente VII. novimus, proprio uti videtur Clementis instinctu, qui futura sua commoda atque emolumenta ex hac ipsa creatione sibi præsagiebat, dum ita sibi conciliandum censeret primatium Cæsaris administrum & supremum consiliorum arbitrum, quanquam num finem quoque eo facto attigerit Pontifex, merito dubitemus. Saltem quod hæc non diu ipsum ornaverit purpura, lethalis, qui anno sequenti instabat dies edocuit, siquidem, cum is in Comitatu Cæsaris esset Germaniam petentis, nec admodum firma adhuc uteretur valetudine, factum (a) est, ut ad Oenipontem

tia sapientissimi Viri. Christus respiciat ac servet nos, & gubernet omnium consilia ad pacem & utilitatem publicam: Addidit Mercurinus, hoc quoque Wormatiæ apparuisse, quam nihil proficiant violenta consilia. Fuit enim Wormatiæ in comitatu & consilio Cæsaris.

Nec minus notabilia sunt SPALATINI ad Lutherum verba, apud Cœlestinum p. 36. b. *Ex aula Cæsareæ Majestatis huc perscriptum est, mihique Georgio Spalatino D. Cornelius* (Schepperus scilicet) *utriusque juris Doctor, Mercurini Archicamerarii amicus intimus, & multis legationibus Vir exercitatissimus, ipse retulit, Dominum Mercurinum, præsentibus & audientibus multis nobilissimis & clarissimis Viris, dixisse & confirmasse, & nihil magis habere in votis, aut amplius à Deo petere, quam ut Dux Elector Saxoniæ Sociique conjuncti constanter in Evangelii professione pergant, ac persistant, & concilium pium & liberum flagitent atque urgeant. Si enim vel minis deterreri & abduci à proposito, vel aliis verbis lenibus sese decipi, sibique imponi patiantur, & non legitima concilii cognitione causa decidatur, definiatur atque componatur, animum suum per totius vitæ curriculum, in quo acquiescere possit, non habiturum, sed semper vacillaturum, & de vera ac certa salutis adipiscendæ & vitæ æternæ possidendæ ratione atque via perpetuò dubitaturum esse.*

(a) Monumento ejus sepulcrali hæc inter alia leguntur Inscripta apud CIACCONIUM l. c.

„ Vixit annos LXV. illustrissimi Ducis Sabaudiæ annos novem consi-
„ liarius. Annos totidem Magnæ Burgundiæ præsidens. Annos duode-
„ cim supremus & acceptissimus Cæsari Cancellarius, postremo ad cardi-
„ na-

d. v. Junii 1530. mortalitatem deponeret, omnibus sui relinquens desiderium.

§. LXXXIV. Verum, ut tandem ad ipsum Lutherum, à quo latius quam voluntas fuerat, evagati sumus, deducatur narrationis filum. Vidimus (a) eundem Thesibus propalatis irritasse cumprimis TEZELIUM, qui non verebatur illis in Academia Viadrina suas opponere Theses, easque publicè, sed non sine pudendo inscitiæ opprobrio ventilare, quod mense Januario Anni M. D. XVIII. factum fuisse jam monuimus. Sed harum Thesium *Tezelio-Wimpinianarum* exempla magno satis numero vix *Witebergam* erant delata, quin ipsi, qui jam tum Luthero favebant studiosi Witebergenses, in vicem furoris Tezeliani, qui Lutheri Theses rogo injecerat, in publico iterum foro easdem comburerent, quod tamen instinctu atque ausu privato, cum ab ipsis fuerit factum, ipse LUTHERUS hujus facti invidiam penitus à se amoliri, datis ad amicos epistolis est annisus; (b) Interea dum hæc geruntur, in Germaniæ Academiis Witebergensi & Francofurtana, dubium non est, quin res ipsa Romam fuerit perlata, atque adeò ad ipsum devenerit Pontificem Leonem X. *Sylvester* saltem *de Prierio* (quod ex Lutheri Epistola ad Spalatin. d. 14. Januarii 1518. scripta colligitur (c) jam ad Pontificem sub ipso mense Decembri, eum, quem sta-

„ nalatum evectus, Gattinariæ Valentiæ ac Sartinariæ Comes, Marchio „ Romagniani, Heros Montis ferrati ac utriusque Siciliæ V. Junii diem fe- „ lix clausit extremum, qui vivens publicis semper negotiis oppressus ex- „ titit, moriens publicis etiam pedibus conculcari statuit. „

(a) vid. §. LXIII. LXIV. LXV. pag. 133--138.

(b) vid. Epist. Lutheri ad *Joh. Langum*, Epist. Tom. I. p. 54. b. ubi disertis verbis, *hoc, inscio Principe, Senatu, Rectore, & suis omnibus factum fuisse conqueritur*, & ad *Jodocum* Freuwerium vulgo *Isenacensem*, suum præceptorem quondam datis, ubi inter alia: *Miror*, scribit, *quod credere potuisti, me fuisse authorem concremationis positionum Tetzellinarum: adeò mihi omnem sensum humanum periisse credis, ut tam insignem injuriam ego religiosus & Theologus in loco non meo homini tanti officii irrogarem.*

(c) vid. Epist. Luther. ab Aurifabro edit. pag. 44. num. 36. & LOESCHERI docum. ad Histor. Reform. Tom. II. pag. 599. ubi Luth. ad Spalat.

ſtatim commemorabimus, dialogum conſcripſerat; Quid verò tum animi fuerit Leoni X. omnium optimè ex BANDELLI Scriptoris Itali *Hiſtoriis Tragicis* P. III. in præfat Novell. 25. colligetur, qui hunc in modum: (a) *Sub initium propullulantis hæreſis Lutheranæ convenerant nobiles quidam circa horam meridianam in domo virtuoſi viri* Scipionis Atellani *noſtri, varia colloquentes; inter alios fuerunt, qui Leonem X. culpabant, quod in principio non quæſiviſſet remedium, cum ei Sylveſter Prierias oſtendiſſet, hæreticos quosdam articulos de Indulgentiis typis à Luthero publicatos. Imprudenter iis reſpondet Pontifex:* Che Fra Martino foſſe un belliſſimo ingegno, e che coteſte erano invidie frateſche: i. e. *Fratrem Martinum pulcherrimo eſſe ingenio, & has eſſe invidias monachales.* Sed eundem tamen brevi poſt, forte quod hæ nobilium querelæ tum ad ipſum (b) eſſent delatæ, ad *Gabrielem Venetum* ordinis Auguſtinianorum Eremitarum Promagiſtrum, tum, cum eidem hanc dignitatem conferret, dediſſe ſolennes literas novimus, quibus ipſi inter alia, ut ſeriò Lutherum ab inſtituto revocet, hunc in modum (c) mandatur: „Quare, mando tibi ea „ lege quæ de ſpreto imperio eſt, ut Magiſtratum ſtatim ineas, „ ne quid tibi poſthac de venia ſperandum putes, Atque ut jam „ tibi aliquid præcipiam, in quo multò maxima atque ampliſſi„ ma tui muneris pars jam nunc exerceatur, volo te eam cu„ ram ſuſcipere, ut Martinum Lutherum tuæ ſocietatis ſacer„ dotem, quem ſcire te exiſtimo in Germania novas res moliri,

Cc 3 „ no-

lat. ita: *Miror*, ſcribit, *Silveſtres nugas non fuiſſe tibi redditas à Priore Grimmenſi, cum tamen literæ meæ illis conjunctæ pervenerint* .... Et deinceps, ſub finem Epiſtolæ: *Silveſtro noſtris non videtur reſpondendum: imò convenit inter nos, eſſe perſonatum aliquem Silveſtrum ex obſcuris viris, qui tantas ineptias in hominem luſerit ad provocandum me adverſus eum.*

(a) v. COLOMES Particular. P. III. SECKENDORF. Hiſt. Lutheran. L. I. pag. 40. CYPRIAN. in not. ad Tenzel Hiſt. Ref. p. 283. 284.

(b) Atque inde illam, quam §. XVI. p. 29. jam commemoravimus fabulam *De Nævis Politicis à Leone X. commiſſis in hoc negotio*, forte natam eſſe, quis ſuſpicari poſſet.

(c) Videantur *Petri* BEMBI Epiſtolæ nomine Leonis X. Scriptæ Lib. XVI. n. 18. p. 379.

„ nova dogmata nostris populis tradere, quibus utantur, ab in-
„ cœpto, si potes, revoces, autoritate ea, quam tibi præfectura
„ dat, cum scriptis ad eum literis, tum per doctos & probos
„ internuncios, quos te illic habiturum multos puto, qui placa-
„ re hominem conentur. Id si celeriter feceris, non erit puto
„ difficile modò natam flammam extinguere. Parva enim om-
„ nia atque surgentia paulum, magnos vehementesque impetus
„ non sustinent. Sin differes, & malum vires sumpserit, ve-
„ reor ne cum velimus adhibere incendio remedia, non possi-
„ mus. Gliscit enim indies labes, fortiorque fit atque robusti-
„ or, nihil ut magis esse nobis timendum videatur, quam mora.
„ Sed singula tibi me mandare hac in re, non necesse esse arbi-
„ tror. Tua te virtus, tua religio, tua pietas, tua singularis
„ doctrina, quid te facere oporteat, facile admonuerint. To-
„ tum hoc mando, ut omnem tuam mentem, cogitationem,
„ studium, operam, omnem denique cum diligentiam, tum la-
„ borem adhibeas tuum, ut quod volumus, consequamur. Id
„ jure abs te postulatur, vel quia imperium in illum jam habes:
„ vel quia ipse cæteris & prudentior es, & doctior: vel quo-
„ niam reip maxime interest, cujus tu Magistratum geris: vel
„ etiam propterea, quia ego inprimis fieri cupio, qui quidem
„ tam te amo, & tibi tantum tribuo, ut nihil plane sit, quod
„ mihi non vel privatim debeas. „ (a) Quid? quod & ipsi jam
tum *Cardinali* CAJETANO, ut suum *de Indulgentiis* conscri-
beret commentarium, hæc res ansam dedisse videatur, quam
causam *Odoricus* RAYNALDUS (b) enarrat in Annalibus, qui
& varia alia de Cajetani in Germaniam legatione, deinceps
commemoranda, nobis suppeditat:

Sed ut ad ipsos, qui Luthero, atque ejus Thesibus se opposue-
re, nos conferamus, necesse est, Trium viros satis celebres, *Syl-
vestrum* PRIERATEM Ordinis prædicatorum Priorem Gene-
ralem & Sacri Palatii magistrum, librorumque Censorem, *Johan-
nem*

(a) Sunt datæ hæ literæ, tertio Non. Febr. 1518.

(b) v. *Odorici* RAYNAL. Annal. 1517. num 76. sq. qui & ex Cajetani hoc commentario quædam nobis suppeditat excerpta. Est verò ipse Cajetani liber jam sub initium Decembris ejus anni vel conscriptus vel publicatus.

nem ECKIUM Academiæ Ingolſtadienſis Procancellarium & *Jacobum* HOOGSTRATUM ex familia Dominicanorum, (a) de quo quod ſe jam in Reuchlini controverſia notum fecerit, obſervavimus.

§. LXXXV. Horum prior, quod verbo jam monuimus, *Sylveſter de* PRIERIO Romæ Dialogum (b) publicabat, cui tridui labotem ſe inſumſiſſe profitetur, ad ipſum Leonem X. in quo, ſtylo vehementi pariter ac aculeato, cum tamen Lutherus neminem adhuc privatim offendiſſet, id præcipue agebat, ut ſupremam & infallibilem Papæ Romani in ſpiritualibus authoritatem aſſereret, Lutherum autem deprimeret, ipſum appellando *Hæreticum*, *Hæreſiarcham*, *Maleficum*, *Diabolum*, *hominem ſtupidum*, *blaſphematorem &c.* uſque adeo ut diſertis verbis affirmare non erubeſcat, *Doctrinam Romanæ Eccleſiæ, ac Romani Pontificis* (c) *Regulam fidei infallibilem eſſe, à qua etiam Sacra Scriptura* ROBUR *trahat &* AUTHORITATEM, omnemque id negantem declaret HÆRETICUM: Quinimò eo progreditur inſaniæ, ut Authoritatem (d) *Eccleſiæ Romanæ, Romanorumque Pontificum, dicat eſſe* MAJOREM *authoritate Scripturæ;* atque etiam hanc Regulam Luthero præſcribat obſervandam (e) *quod Eccleſia Romana ſicut in dicto,* (quæ hominis ſunt verba) *ita & in facto ſuo non fallitur in fide aut moribus*, quod qui non obſervet, *à via ſalutis aberret.* Uti ſimul impudenter admodum illi Tezelii pronunciato adſentitur, (f) *quod ſtatim ut jactus nummus in ciſtam tinniverit, anima in Cœlum evolet*, addens, quod qui id prædicet, prædicet *meram ac catholicam veritatem.* Neque ipſe (g) diffitetur, quod

(a) De tribus hiſce Lutheri adverſariorum coryphæis conferri debent, quæ ab Illuſt. SECKENDORFIO traduntur, L. 1. §. XV. ſeqq. cum ex iis conſtet, quam nec horum molimina ipſis ſatis probata fuerint Pontificiis.

(b) Hunc totum habemus in Operib. LUTHERI Jenenſ. Latin. Tom. 1. p. 15. & ſeqq. itemque in LOESCHERI Actis & Documentis ad Hiſtor. Reform. Tom. II p. 12. ſeqq.

(c) vid. Fundament. tert. apud Loeſch. l. c. p. 15.

(d) vid. ipſ. Dialogum ap. Loeſch. l. c. p. 31.

(e) vid. ipſ. Dialog. ap. Loeſch. l. c. p. 37.

(f) vid. ipſ. Dialog. ap. Loeſch. l. c. p. 23.

(g) vid. ipſ. Dialog. ap. Loeſch. l. c. p. 34.

quod is, *cui potestatis à Papa concessa est plenitudo, possit absolvere,* si quis per impossibile Dei genitricem violasset, *à culpa, per ordinis clavem, à pœna per clavem jurisdictionis;* Ait enim, id adstruere, *non esse insanire, sed sane sentire.*

Quanquam, quod in hac tota controversia, quæ de Indulgentiis movebatur, notari meretur, concedat, (a) *eas authoritate Scripturæ nobis non innotuisse, sed authoritate Ecclesiæ Romanæ, Romanorumque Pontificum,* quæ major sit.

§. LXXXVI. Alter, qui se Luthero opponebat, erat *Jo.* ECCIUS; Theologus, Jureconsultus & Disputator ea ætate illustris, cui cæteroquin cum ipso Luthero quædam intercesserat familiaritas, sed qui, cum Lutherum adverteret Pelagio vehementer & doctrinæ Pelagianæ esse adversarium, statim arrepta Thesium à Luthero publicatarum occasione, calamum adversus ipsum stringere aggrediebatur, edendo (non equidem publice aut exscribendo typis, sed ita tamen ut scripto ubivis circumferrentur) adversus Lutheri Theses *animadversiones quasdam,* sub titulo *Obeliscorum,* in quibus quod contra amicitiæ jura antehac culta, Lutherum appellat *vinolentum, hæreticum, seditiosum, procacem, temerarium, ineptum, indoctum,* ipse conqueritur Lutherus, (b) prouti & *Bohemicum virus,* id est, hæresin, in iis Luthero impingit, variisque aliis dicteriis eundem lacessit, unde Lu-the-

(a) vid. ipf. Dialog. ap. Loesch. l. c. p. 33.

(b) vid. Epistol. Luth. T. I. fol. 57. ad Joh. Sylvium, ubi ita: *Scripsit nuper adversus meas propositiones, obeliscos aliquot, insignis vereque ingeniosæ eruditionis, & eruditi ingenii homo, & quod magis urit, antea mihi magna recenterque contracta amicitia conjunctus Johannes Eccius ille, Theologiæ Doctor, Procancellarius Ingolstadiensis studii, Canonicus Alstetensis, nunc denique Augustensis Ædis Concionator, Vir jam celebris, etiam Libris invulgatus: & nisi cogitationes Satanæ scirem, mirarer, quo furore ille amicitias recentissimas & jucundissimas solveret, nihil monens, neque scribens, neque valedicens.*

Scripsit vero Obeliscos, in quibus me appellat vinolentum, Bohemum, hæreticum, seditiosum, procacem, temerarium: jam leviores contumelias omitto, quod dormitantem, ineptum, indoctum, tandem Summi Pontificis contemptorem: breviter nihil aliud, nisi teterrimas contumelias, expresso nomine meo, & signatis Positionibus meis: ita ut in Obeliscis illis nihil sit, nisi livor & ferrugo animi furiosissimi.

therus ad Wenceslaum Linccum (a) cumprimis dolet, quod Eccius se, ut amicum non præmonitum, insidiosissimus, & iniquissimus tanto felle amaricaverit.

§. LXXXVII. Tertius, qui circa idem tempus in Lutherum erigebat cornua, erat *Jacobus* HOOGSTRATUS Brabantus, Inquisitor Dominicanus, & in Universitate Coloniensi Theologiæ Professor; Is, cum adversus Reuchlinum aciem instrueret, tum simul quoque adversus Lutheri Theses quædam conscribere, in quibus, quod ipse non diffitetur Maimburgius, Papam exhortabatur (b) ut *non alio remedio, quam ferro & igne adversus illum uteretur*, mundumque ab homine hoc pessimo liberaret, idque propterea cumprimis, quod Lutherus asseruisset, *Romani Pontificis potestatem*, non nisi frigidissimis Decretalium libris inniti, & *in ipsis* quoque *optimis nostris operibus peccata* contineri, quorum utrumvis sit hæreticum.

Sed priusquam, quid LUTHERUS, qui statim post Theses, & ante finitum annum 1517. probationes sive *Resolutiones suarum Thesium* quoque jam paratas habebat, sed publicationem earum differebat, (c) hisce suis antagonistis responderit, enarremus, quomodo jam ipsa quoque per Lutherum quæ in *Saxonia* ceperat Reformatio, in *Palatinatum*, ac Universitatem *Heidelbergensem* fuerit ingressa, tribus verbis est exponendum.

§. LXXXVIII. Fuerunt equidem jam antea (d) in iis oris, & tractu Rhenano, qui Reformationis necessitatem agnoverunt. Inter hos *Jodocus* GALLUS (e) erat, Conradi Pellicani avunculus, *Rudolphi Agricolæ* discipulus, ac veluti ad ejus ideam efformatus, & *Jacobus* WIMPHELINGIUS, Jodoci quoque Præ-

 ceptor,

(a) LUTHERI Ep. ad WENC. Linccum d. 10 August. 1518.
(b) SECKENDORF. L. 1. Sect. 14. fol. 38.
(c) v. SECKENDORF. L. 1. Sect. 13. fol. 32. Extant hæ Resolutiones in Oper. Jenens. Lat. Tom. 1 fol. 80. seqq. & excerpsit ex iis permulta egregia Ill. *Seckendorfius* fol. 33--38. quorum à nobis quædam deinceps commemorabuntur.
(d) Conf. ALTING. Histor. de Ecclesiis Palatinis, p. 13, 14, 15.
(e) *Jodoci Galli* vitam & fata breviter nobis delineat Melch. ADAMI in vita Pellicani fol. 26, 27.

ceptor, ſcriptis illa ætate clariſſimus, cujus jam in ſuperioribus quoque fata notavimus primaria, & de quo nunc illud tantummodo repetendum eſt, quod is exemplo Præceptorum *Rudolphi* AGRICOLÆ & *Weſſeli* GANSFORTII, partim ſuperſtitionem, & impietatem oppugnandam, partim Veritatem Doctrinæ indagandam & diſcutiendam ſibi ſumſerit; Quanquam, quod in illa temporum difficultate mirum non eſt, ſe quoque non uno modo implicatum teneri ſentiret; Quoties enim (a) lectitabat Scripturas, & earum oracula apud ſe expendebat, exſerentem ſeſe veritatem divinam & agnoſcebat & exoſculabatur. Ex altera parte, cum conſideraret authoritatem Eccleſiæ, Scripturam aliter interpretantis, ac de Dogmatibus aliter ſentientis ac ſtatuentis, attenderet etiam inveteratam conſuetudinem tot antecedentium ſeculorum, quibus non alia quam recepta ſententia obtinuiſſet, anceps & ſollicitus animi, quo ſe verteret, hæſitabat, & ingraveſcentibus certaminibus, nihil magis dolebat, quam quod illa ipſa Doctrina, quæ certiſſimum concordiæ vinculum eſſe debebat, animos diſſociaret, ac in partes diſtraheret. Cui dolori cum immoderatius indulgeret, munere Profeſſoris in Academia, & Eccleſiaſtæ in Eccleſia ſeſe abdicavit, & in Patriam Seleſtadium (b) ſe recipiens, quod reliquum erat vitæ, in precibus & piis meditationibus exegit.

Ex Wimphelingii ſaltem Schola prodierunt OECOLAMPADIUS, BUCERUS, MELANCHTON, BRENTIUS, SCHNEPFIUS, STURMIUS & alii, deinceps non uno nomine commemorandi.

Interea tamen ipſum Reformationis etiam Palatinæ initium, egregiè notante HENRICO ALTINGIO, non aliunde rectius deducemus, quam à primo Evangelii renati præcone Martino Luthero, qui cum ſe Heidelbergam primo vere hujus anni decimi octavi, obedientiæ ordini ſuo, erat enim Monachus Auguſtinianus, debitæ morem gerens, recepiſſet, tametſi diſſuaſerant

(a) v. *Henr.* ALTING. Lib. cit. p. 16.
(b) vid. §. LXXIX. pag. 188.

rant quoque profectionem (a) amici ejus, ob pericula, quæ ipsi in itinere, quod non equidem contritionis causa, pedestre, quanquam etiam ejus ea de re jocus (b) extet, sed, pro more illorum temporum, quibus equo vehi, aut vehiculo transportari pretiosum nimis erat, (c) ingrediebatur, possent obtingere, statim istic pii Operis initium cepit: Dum enim in claustro Augustinianorum, quod hodie *Sapientiæ Collegium* appellatur, hospitium ipsi assignatum erat, isque quæ ordinis erant tractaret, præ reliquis etiam mirifico propagandæ veritatis Zelo ductus conscripsit, & impetrata ibi docendi facultate proposuit, *Conclusiones*, quas *Paradoxa* (d) vocabat ipse, ex Theologia XXVIII. & XII ex Philosophia, in quibus præterquam quod *Romanæ Ecclesiæ errores* taxaret receptos, de *libero arbitrio* post peccatum, de *gratia*, *fide*, *justificatione*, *operibus bonis*, inprimis de *Justificatione per fidem*

(a) conf. ALTING Lib. cit. p. 18. Quam Lutherus intereà in ipso itinere salutaverit Episcopum Wurtzburgensem, *Laurentium à* BIBRA, Friderici Electoris amicum singularem, Virum Egregium, & cui, cum is singulari sapientia & virtute esset præditus, tantopere res Romana displicebat, ut Jubilæum & nundinationes Indulgentiarum ægrè admodum admitteret, vitæque Monasticæ præ cæteris infensus esset, atque ab eodem humanissime fuerit exceptus, ex ipsa Lutheri Epistola ad Ge. Spalatinum Wirzburgo 1518. data liquet, vid. Epist. Tom. I. p. 59. a. Conf. SECKEND. L. I. §. XIII. fol. 29. qui simul quoque hujus Episcopi encomium nobis suppeditat, & quam, si diutius vixisset (obiit enim 1519) Doctrina Evangelica eximium in eo patronum habitura fuisset, commemorat.

(b) v. LUTH Ep. Coburgo ad *Spal.* datam l. c. p. 58. b.

(c) v. LOESCH Act. & Document. T. II. p. 41.

(d) Hæc *Paradoxa* LUTHERI Operibus deinceps sunt inserta, unà cum brevi eorundem explicatione, qua obscura illustravit, & à cavillis adversariorum vindicavit: ex quibus eadem suis inseruit Documentis LOESCHERUS Tom. II. Cap. IV. p. 43. & p. 47. & seqq. qui & *Pallavicinum*, quod is ex titulo *Paradoxorum* vane collegerat, quasi hæ Theses enormes ipsi Luthero visæ fuerint & ridiculæ, reprehendit, & quam is titulus potius illorum temporum coarguat inscitiam, ostendit, quando quæ vera cum maxime erant & salubria, pro Paradoxis habebantur. Ut certè deinceps *Carolostadii* quoque, itemque *Lamberti Avenionensis* & aliorum *Paradoxa* prodierunt, saluberrimam præ se ferentia doctrinam. conf. SECKENDORF. p. 28. b.

fidem absque operibus, PAULI pariter atque AUGUSTINI doctrinam, multis modis quoque asserebat, ac vividis coloribus depingebat, nisi quod ex illorum temporum sordibus mysticis & tenebricosis loquendi formulis, tum nondum accurate satis ab ipso detectis, quædam tum suæ Disputationi immisceret, quæ deinceps oriente magis luce evangelica, dissipata fuerunt, atque profligata; Sapuit enim is non per subitas Inspirationes, (a) aut Enthusiasmum, (quem nec ipse jactavit, nec eo prætextu fidem apud alios invenit) sed ex profectu, & secundum mensuram impertitæ sibi ad Scripturæ lumen agnoscendum à Deo Gratiæ. Quidquid sit, eminebant inter illa Paradoxa, cumprimis ista:

Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo:
Non ille justus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.

Quod verò ipsam concernit Disputationem, Respondentem is sibi tum deligebat *Leonhardum Beierum*, (b) ejusdem Ordinis Monachum, & themata pro more affixa publice die XXVI. Aprilis ventilavit, sed apud Augustinianos, & in illorum acroaterio, non in Academia, quod Professores Theologi non satis probarent Disputationem, & verò in Augustinianos nullam omninò Academia Jurisdictionem haberet. Magnus interea aderat hominum confluxus, non tantum studiosorum, sed etiam civium & aulicorum, atque omnium Theologorum Heidelbergæ tum docentium; Ac disputarunt non solum Monachi eruditi, (c) verùm etiam Professores Theologi, qui illo tempore erant, *Marcus Stier*, *Laurentius Wolfius*, *Johannes Hesserus*, *Petrus Scheibenhardt*, *Georgius Niger*: Disputatum est acute & graviter, nec mi-

(a) Ita SECKENDORFIUS L. 1. §. XXIV. p. 30. de Luthero loquitur.
(b) Ita Henr. ALTING. hujus velitationis summam nobis refert p. 19. &sqq
(c) Conf. id. ALTING. p. 23. & ex eo Seckendorf. L. 1. §. XIII. p. 29.

minus modestè, ipsomet Luthero teste in Epistola ad Spalatinum, (a) nisi quod quintus & junior Theologiæ Doctor, lineas has dicatur transiisse, atque in fervore Disputationis risum movisse toti auditorio, cum jactitaret: *Si rustici hæc audirent, certè lapidibus nos obruerent & interficerent.* Ex auditoribus etiam aderant *Martinus* BUCERUS, *Johannes* BRENTIUS, *Erhardus* SNEPFIUS, *Theobaldus* BILLICANUS, & alii, magni post nominis Theologi, qui mirati acumen, promtitudinem & mansuetudinem Lutheri, à disputatione privatim eum adierunt, & de nonnullis, quæ non satis assecuti erant, plenius erudiri voluerunt: Præ ceteris verò, quod ALTINGIUS (b) annotat, *Martinus* BUCERUS, qui tum Friderico II. Palatino Heidelbergæ à Sacris erat, id sibi faciendum esse putavit, &, cum, qua valebat scribendi celeritate, pleraque Lutheri notasset, operosius cum ipso egit, & multa ex ipso est sciscitatus, de quibus respondit apertè, ac plene satisfecit, quæ responsa quoque *Bucerus* in sua acta retulit. Quo nomine literis (c) ad Spalatinum commendatus fuit à Luthero; ipse autem omnia perscripsit ad popularem suum *Beatum* RHENANUM Selestadiensem, cujus Epistolæ autographum, cum penes *Abrahamum* SCULTETUM (d) primò, & deinceps apud *Henricum* ALTINGIUM fuerit, tum ab eo ad manus Viri Amplissimi *Mensonis* ALTINGII Consulis Groningani, illud est devolutum, ex cujus scriniis literariis, quantivis pretii, sed miserandum in modum dispersis, illud hæreditatis jure ad Cel. ISINGIUM Groninganæ nostræ Professorem Eloqu. & Histor. Doctissimum pervenit, per cujus Filium Rev. ISINGIUM illud donationis jure meum est factum; Ne verò hoc ipso diutius κειμηλίῳ careat orbis literatus, illud accuratissime descriptum, atque typis expressum exhibuimus inter *Documenta* hisce *Annalibus nostris* subjuncta, Num. XVIII. una cum paucis quibusdam nostris annota-

 tio-

(a) vid. Epistolarum LUTHERI Tom. I. fol. 52. b.
(b) vid. Alting. l. c. p. 24.
(c) vid. Epist. Luther. ad Spalat. A. 1520. d. 2 Februar. dat. in Epistolar. Tom. I. p. 245. a.
(d) v. SCULTETI Annal. Ev. p. 22.

tionibus, siquidem ex ipsa hac Epistola, singulare illud commemorari meretur LUTHERI elogium „ Lutherus in suorum
„ Fratrum apud nos celebrata Synodo, literariæ pugnæ solenni
„ more præfectus, ea disputavit παραδοξα, quæ non modo opi-
„ nionem omnium superarent, verum plerisque etiam visa sunt
„ hæretica...... Mira ejus in respondendo suavitas, in audi-
„ endo incomparabilis longanimitas, in dissolvendo, Pauli agno-
„ visses acumen, non Scoti, adeo brevibus, adeo scitis, eque
„ divinarum Scripturarum penu depromtis responsis, in sui ad-
„ mirationem facile cunctos adduxit..... Cum Erasmo illi
„ conveniunt omnia, quin imò hoc præstare videtur, quod quæ
„ ille duntaxat insinuat, hic aperte docet & libere.„ Atque hæc est prima sementis Evangelii, quam *Heidelbergæ* & in *Palatinatu* ministerio LUTHERI Deus fieri voluit.

Cæterum transacta Disputatione, & gesto, quod Heidelbergæ Augustinianis obeundum erat, negotio, Lutherus in Saxoniam, Wolfgangi Comitis Palatini ad Fridericum Saxonem literis (a) instructus, (quibus inter alia, quod omnium laudem, atque encomia Virorum Doctorum Disputatione illa fuerit promeritus, testabatur, atque fidem faciebat ipse Princeps), rediit: Interea dum in ipso itinere Erfurti literas ad JODOCUM dabat *Isenacensem* Theologum, atque Præceptorem suum, quibus scribit: *In Doctrina gratiæ & operum secum sentire totam Universitatem Witebergensem, excepto uno fermè Licentiato, sed & Principem, & Episcopum ordinarium suum, multos Prælatos, & ingeniosiores cives uno ore dicere:* sese prius non novisse Christum & Evangelium. *Fatetur etiam, se ex Jodoco primo omnium audivisse, solis Canonicis Libris deberi fidem, ceteris omnibus judicium.*

§. LXXXIX. Jam itaque, quomodo suos LUTHERUS domum reversus, adversarios, qui ipsum acerbitate styli & rerum vehementia provocaverant, refutaverit, videndum est: Primò

(a) vide has Literas apud LOESCHER in Act. & Docum. T. II. p. 60. 1. ubi inter alia: *Er hat sich auch alhie mit seinem disputiren also geschikt gehalten, das er nicht ein kleinen lob E. L. Universität gemacht hatt, es wurde ihm auch grosser preiß vonn vill gelertenn Leuttenn nachgesaget, das habn wir E. L. als eynn son freundlicher meinung nitt willen verhaltenn.*

mò enim, non habita singulorum ratione adversariorum, sed causæ suæ in genere, publici Juris faciebat *Resolutiones* (a) sic dictas, quibus ea omnia, quæ in Thesibus huc usque disputaverat, atque cumprimis illa duo maxima Christianismi quasi fulcra & fundamenta, *fidem* in meritum Christi, & *pœnitentiam* in perpetua vitæ emendatione, quæ versatur, addito gravissimo è verbo Dei transsumto pondere firmabat, dilucidabat, atque ita defendebat, ut vel ipso MAIMBURGIO teste, per eam agendi methodum, is multorum benevolentiam & approbationem sibi conciliaret: De *Indulgentiis*, in hisce Resolutionibus ita disputabat, ut rem quidem ipsam, ad Pontificis authoritatem, quam adhuc reverebatur, referret, sed duobus tamen constringeret vinculis, altero *Scriptura*, altero *Concilii generalis*; *De Satisfactione*, quæ pœnitentiæ pars tum habebatur, atque in jejunio, Oratione, & eleemosynis sita censebatur, ita differebat, ut sub *jejunio*, omnes castigationes carnis, sine delectu ciborum & differentia vestium, sub *Oratione*, omne studium animi, meditando, legendo, audiendo, orando: sub *eleemosyna*, omne obsequium erga proximum complecteretur: De *oneribus gravissimis*, quibus Ecclesia Christi premebatur, graviter conquerebatur, atque in eorum numero habebat, *festa*, *jejunia*, *vigilias*, *horas canonicas*, *prohibita ova*, *lac*, *carnes*, *certis diebus*, *& concessum saltem oleum*, *pisces*, *fructus*, *legumina*, *indumenta vestium pullarum aut candidarum pro differentia dierum*; atque in genere magnam Ecclesiæ esse corruptelam asserebat: Interea verò *Purgatorium* in ipsis his Resolutionibus adhuc pro certissimo habebat, Augustini motus authoritate, & *Pickhardos* sive *Bohemos* id negantes acriter culpabat, ipsum verò Rom. Pontificem Leonem X. nobis describebat tanquam *Pontificem Optimum*, *cujus integritas & eruditio deliciæ sint omnibus bonis auribus.* Cæterum infallibilitatem

(a) Has *Resolutiones* sub finem mensis Augusti 1518. in aulam Electoris Saxoniæ misit Lutherus typis, parum tamen, ut queritur, correctis, publicatas. vid. SECKENDORF. L. 1. §. XXVIII. fol. 37. Extant hæ Resolutiones Opp. Jenens. Tom. 1. fol. 80. & apud LOESCHERUM in Document. Reform. Tom. 11. p. 183.-302.

(b) vid. *Maimb.* Hist. Luth. L. 1. Sect. 13. ap. Seckendorf. l. c. fol. 28.

tem Pontificis R. prorsus repudiat, scribens: *Me nihil movet, quid placeat vel displiceat Summo Pontifici, homo est, sicuti & cæteri: multi fuerunt Summi Pontifices, quibus non solum errores & vitia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam, ut Papam, id est, ut in canonibus loquitur, & secundum canones loquitur, aut cum Concilio determinat, non autem, quando secundum suum caput loquitur, ne forte cogar cum quibusdam malè Christum cognoscentibus, dicere, quod Julii II. horrenda cædes in Christianum populum, fuerint quædam beneficia pii pastoris in oves Christi collata.* Solidum porrò in disputationibus fundamentum postulat; Christianos absque indulgentia Pontificum, Gratiæ Christi participes fieri statuit; nec quicquam confidentius oppugnat, quam jactatam ab indulgentiarum venditoribus abundantiam meritorum in Sanctis; Neque tamen ullo modo, vel Ecclesiæ ministerium, vel potestatem clavium spernit aut tollit, sed rejicit cumprimis Scholasticorum & Aristotelis authoritatem, negatque inter alia, *hominem sine peccato esse*, atque illam glossam, qua *Jus gladii secularis etiam Pontifici tribuitur*, esse tartaro dignam pronunciat, variaque alia commemoratione digna profert, (b) nec tamen in tota hac sua exegesi, vel Tezelii, vel aliorum adversariorum ullius, nominatim meminit, nisi quod ab aculeis tamen in eos jactis non abstineat. Atque hæ sunt illæ *Resolutiones*, quas deinceps ipsi Papæ Leoni X. & aliis Ecclesiarum, uti videbimus Præsulibus, offerre & inscribere non dubitabat.

§. XC. Sed, tum quoque reliquas, à PRIERATE, ECCIO, & HOOGSTRATANO in ipsum congestas criminationes & injurias is propulsare, quantum in ipso erat, aggrediebatur.

Sylvestri PRIERATIS Dialogum, quem nec ipsi Pontificii propter enormia quæ in superioribus notavimus asserta, laudare poterant, *Responsione* singulari (c) denudavit, positis itidem, uti Syl-

(a) Oper. Jenens. Tom. 1. fol. 101.

(b) Quæ egregie ex hisce Resolutionibus excerpsit SECKENDORFIUS Hist. Luth. L. 1. §. XX--XXIX. fol. 33--38.

(c) Hæc *Lutheri* Responsio extat Opp. Jenens. T. 1. Witeb. Tom. 1. fol. 159 seqq. uti quædam ex eadem excerpta nobis suppeditat Ill. SECKENDORF. L. 1. §. XVII. p. 31. 32. Totam verò etiam suis Actis & Documentis inseruit LOESCHERUS Tom. II. p. 390--434.

Sylvester fundamentis quibusdam sua inædificasse videri volebat, principiis quibusdam, inter quæ & hæc erant, quæ ipsius Lutheri verbis referre juvabit: *Primum*, inquit, *est illud B. Pauli* 1 Thess. v. *Omnia probate, quod bonum est tenete*, & Gal. 1. *Si Angelus de cœlo aliud vobis Evangelizaverit, quam accepistis, anathema sit.* Secundum est, illud *Augustini* ad Hieronymum: *Ego solis eis libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum eorum Scriptorum errasse, firmissime credam. Cateros autem quantalibet doctrina sanctitateque polleant, non ideò verum esse credo, quia illi sic senserunt &c.*

Quibus ex principiis illud porrò eliciebat *Corollarium: His fundamentis, si me intelligis, simul intelligis totum tuum Dialogum funditus eversum.*

Distinxerat Sylvester, inter Ecclesiam *essentialem repræsentativam* & *virtualem:* Cui distinctioni evertendæ, *Tua illa sunt*, respondebat Lutherus, *id est, sine Scriptura & authoritate ulla prolata. Ego Ecclesiam virtualiter non scio, nisi in Concilio. Alioquin, si quicquid fecit Ecclesia virtualis, id est, Papa, factum Ecclesiæ dicitur, obsecro, quanta monstra in Ecclesia pro benefactis numerabimus? Nonne Julii Secundi horrendas Christiani sanguinis effusiones? Nonne Bonifacii Octavii tyrannides in toto orbe abominabiles, & per omnes Chronicas pulsatas?* Et, quum Sylvester, Papam tanquam summum in mundo *gemina potestate Regem*, sibi efformasset, Lutherus ei regerebat: (a) *Ex Papa monstrum facis*, tribuis ei *utriusque potestatis apicem, scilicet ut sit simul Pontifex & Imperator.* &c. &c. Ut ex tota hac Responsione, quæ sub finem Augusti hujus anni demum publicabatur, & quod notari debet, jam mense Septembri altera vice impressa est (b) propter emtorum cum numerum tum aviditatem, id cumprimis patescat, quod cum de *solis Indulgentiis* inchoata fuisset contentio, ea nunc jam, per ipsius Prieriatis importunas assertiones, ansâ datâ, progrederetur *ad ipsam Papæ Authoritatem* convellendam, quod scilicet Papa non minus erret, quam Concilia, sintque supra Papam Concilia; (c) *Jureconsultis*,

 ad-

(a) ap. LOESCHERUM p. 424.
(b) v. Epist. LUTHERI Tom. 1. fol. 81. b.
(c) v. SLEIDAN. Hist. L. 1. p. m. 2. b.

addebat, *admodum esse familiare, ut dicant, non licere quicquam pronunciare, nisi ex præscripto legis: in rebus autem sacris multò minus debere tolerari, si quid absque testimonio Scripturæ dicatur: præceptum esse Pauli, ut qui populo erudiendo præsunt, instructi sint, non Syllogismis aut variis hominum decretis, verum sana Doctrina, divinitus inspirata, nobisque relicta: quia verò præceptum hoc plerique sint aspernati, densas admodum tenebras incidisse, & inutilium quæstionum vim maximam inundasse.* Cum ad hunc modum sibi straviſſet viam, venit ad confutationem, & sub finem ait, *nihil se moveri comminationibus ipsius atque verbis ad ostentationem compositis: etiam si capitis pœna sibi subeunda sit, vivere tamen, & immortalem esse Christum, cui sit omnis tribuenda gloria:* si posthac in aciem prodire velit, aliis utendum esse telis, alioqui fore, ut cum Thoma non admodum excipiatur commodè. Ita tamen, ut tum quoque, modestius adhuc, de ipso Præsente Pontifice Leone X. sentiret Lutherus, dicendo: *Scio & ego, optimum nos habere* (a) *Leonem X, & velut Danielem in Babilone, ut cui sua innocentia aliquando vita periculum fecerit.*

Enimverò Sylvester, paucis diebus interjectis Lutheri Scripto *Replicam*, libellum perbrevem opponebat, sed fuco plenum, quique Anno decimo nono demum in Germaniam transferebatur; Accedebat alter sub titulo *brevissimi Epitomatis*, (b) quem brevissimis ad marginem notis ita deinceps illustrabat Lutherus, (c) cui cum adversariorum numero crescente, etiam crevit animus & acris stylus, ut jam statim in præfatione, gravissima hæc legantur verba: *Scriptum hoc tot tantisque blasphemiis à capite ad pedes usque refertum, ut in medio tartaro ab ipso Satana editum libellum existimem . . . . . . Si Roma sic sentitur, & docetur, scientibus Pontifice & Cardinalibus* (quod non spero) *libere pronuncio, his scrip-*

(a) apud LOESCHERUM l. c. p. 425.
(b) Scripti titulus erat: *De Juridica & irrefragabili veritate Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis, Liber tertius, index quidem longissimus, sed brevissimum Epitoma.* Quem titulum græcissantem ridet LUTHERUS in Ep. ad Spalatin. A. 1520. vid. Epistolar. T. 1. fol. 289. b. scripta, Sylvestrum appellando *Hominem Græco-barbarum & Latino coquum.*
(c) vid. Opp. Jenens. Tom. 1. fol. 55.

ſcriptis, ANTICHRISTUM *illum verum ſedere in templo Dei & regnare in* BABYLONE *illa purpurata Roma*, *& Curiam Romanam eſſe* SYNAGOGAM SATANÆ: Felicem prædicat porrò eſſe *Graciam*, felicem *Bohemiam*, & omnes, qui divortium ab ea fecerint: miſeros autem eſſe, qui cum ea commune quid habeant; Niſi Pontifex illum coerceat, niſi cogat ut ſcripta revocet, diſſentire ſe ab eo profitetur, ac non modò non agnoſcere Eccleſiam Romanam, ſed habiturum eſſe deinceps illam, ut *ſentinam aliquam impuriſſimam*, & locum impietati conſecratum. Sed hæc ad annum potius viceſimum (a) commemorabuntur, dum interea nunc ſolummodò monemus, ipſum MAIMBURGIUM de illis Sylveſtri reſponſionibus ita ſentire, ut diſertis verbis aſſerat, (b) *eum potentiam & authoritatem Pontificis ultra modum exaggeraſſe*, *& longiſſimè eam ſuper omnia Concilia*, *iis verborum formulis evexiſſe*, *quæ ne Romæ quidem probarentur*.

§. XCI. ECCII verò etiam quod attinet *Obeliſcos*, (c) eos Lutherus ſibi ita refutandos ſumſit, ut in eos recuſos, animadverſiones ſub *Aſteriſcorum* titulo ediderit, in quibus Eccio arrogantiam & inſcitiam non ſemel, nec ſine multo ſale objicit, ſtatimque prima reſponſi ſui periodo, omnem diſputationis Eccianæ vim enervat, principiorum diverſitatem demonſtrans, dum

 ipſe

(a) vid. SECKENDORF. L. 1. §. XXXII. pag. 41. b.

(b) vid. verba Maimb. in Seckendorf. H. L. L. 1. Sect. 15. p. 38 quibuſcum paria faciunt Concilii Tridentini deſcriptores, ceteroquin non admodum inter ſe concordes, P. SARPIUS & *Sfortia* PALLAVICINUS, alter in Hiſt. Concil. Trid. L. 1. p. 6. alter itidem in Hiſtor. Conc. Trid. L. 1. C. VI. §. 3. quando non diffitetur, *jejunè* Prieriatem *attuliſſe rationes ad convincendum Lutherum*, *cum ejus aſſertiones non alio ferè argumento damnaret*, *quam Pontificiæ authoritatis*, *unde hic*, *expugnata iſta*, *victoriam cauſæ ſibi promiſerit*.

(c) De his Luther. in Ep. ad J. Sylvium Ægranum amicum ſingularem animi ſententiam exponit. v. Epiſtolar. Tom. 1. fol. 57. a.

(d) Hos *Aſteriſcos* adverſus *Obeliſcos Eccii Wenceſlao Linco* Noribergenſi Theologo Inſcriptos habemus in Tomo Opp. Jenenſ. 1. p. 31. ſq. Witteb. T. 1. fol. 145. ſq. & ap. *Loeſcherum* in Act. & Document. Tom. II. p. 333—370. in clus.

ipse ex Sacris Literis, vel Patribus etiam Ecclesiasticis, quin imo etiam, ex Canonibus adhuc, volebat coargui, alter verò, *nil protulerat* nisi *Scholasticissima*, *uti loquitur*, *opiniosissima*, *meraque somnia:* Interea verò negari non potest, si ingenue velimus agere, & scapham vocare scapham, in his & sequentibus, cum Eckio Disputationibus, Lutherum ex disputandi fervore in aliquod extremum esse prolapsum, quod deinceps Ecclesiæ Protestantium haud parum ad promovendam pietatem nocuit: Totus enim Lutherus in eo est, ut a remissione peccatorum non tantùm necessitatem & absolutionis sacerdotalis, & satisfactionis per opera externa removeat, sed à necessitate etiam quadantenus contritionis ipsius, peccatores ipsos removeat, quippe qui remissionem à *tali fide* derivat, *qua quis verbis Christi*, quicquid solveris, solutum erit, *persuasionem tribuit*, & proinde urget, *cuique peccatorum*, *etiam in statu peccati credendum esse*, *quod peccata ipsi remissa sint*, ante qualem *fiduciam* (securitatis certè magis quam refugii) *nullum remissioni locum esse* tradit. Ita consequens, & fructum veræ fidei, cum actu illius essentiali confundens, quo fidelis cum desiderio & fame oblatam in Evangelio justitiam Christi apprehendit; Quæ & ratio est, quod Abr. BZOVIUS (a) atque alii Pontificii, hanc Lutheri doctrinam exagitare consueverint, atque hæc ejus verba reprehenderint: *Tam divitem esse hominem Christianum*, *ut etiamsi velit*, *non possit*, *perdere salutem*, *nisi nolit credere: nec ulla peccata eum damnare queant*, *eo quod per fidem in promissionem*, *quæ baptizato facta est*, *mox absorbeantur & deleantur omnia peccata*, *modo credat aut cogitet se baptizatum esse.*

§. XCII. HOOGSTRATANO quoque, novo oblatratori, qui Pontificem ad vim & flammam erat exhortatus, ita respondebat LUTHERUS, ut animum illi exprobret crudelem & sanguinarium, (b) & hominis imperitiam salse rideat, ac moneat, ut ita pergat, hoc enim ad veram gloriam comparandam inprimis conferre, cum quis ab indoctis & vitiosis improbatur. De

(a) v. BZOVII Annal. ad Ann. 1520. 1521. cf. RAYNALD ad Ann. 1518. num. 138.

(b) v. SLEIDAN. Hist. l. 1. p. 3. b. ipsum Lutheri scriptum LOESCHERUS inseruit Documentis suis Tom. II. p. 323.

De LEONE autem Pontifice iterum meliora se sperare dicit.

Intereà de indulgentiario negotio Lutherus hoc anno quoque ad *Hieronymum* Episcopum Brandeburgensem, cui suas *de Indulgentiis resolutiones* unà transmittebat, scribens, (a) est protestatus *se nihil determinare, sed tantum disputare*, exemplo omnium Scholarum, in quibus etiam de rebus longè majoris momenti non rarò disputetur; *seque adeò*, profitetur, *omnia sua submittere ipsius Episcopi judicio*, quando, *non solum*, inquit, *permitto, sed etiam obsecro, ut reverenda Paternitas tua, arrepto calamo, quaecunque visum sit aboleat, aut igne facto totum comburat.* Porrò & eodem anno ad *Johannem* STAUPITIUM (b) Augustiniani ordinis tum temporis vicarium, is Epistolam conscripsit, ubi inter alia, praeclara sunt verba: „ Hæsit hoc verbum (quod scilicet ab amore justitiæ & Dei incipiat pœnitentia) tuum in me, sicut sagitta potentis acuta, cœpique deinceps cum Scripturis pœnitentiam docentibus conferre. Et ecce . . . . . . cum prius non fuerit fermè in tota Scriptura amarius mihi verbum, quam pœnitentia, nunc nihil dulcius aut gratius mihi sonet, quam Pœnitentia. Ita enim dulcescunt præcepta Dei, quando non in libris tantum, sed in vulneribus dulcissimi Salvatoris legenda intelligimus. „ Sed & qua reverentia scripserit ipsi Pontifici, hoc anno 1518. LUTHERUS, ex literis ejus (c) apparet, quibus *infantem se & incultum* statim ab initio profitetur, narratis deinde excessibus prædicantium indulgentias, monuisse se refert aliquot Magnates Ecclesiarum. Sed cum alii id acceptarent, aliis ridiculus ipse monitor, aut nescio quis, crederetur, statuisse se *leniuscule reluctari*, & dogmata eorum in dubium & disputationem vocare, ad quam tamen doctiores tantum invitaverit. Factum hoc suum defendit jure *Magistri Theologiae*, & concessæ à Pontifice Facultatis, qua alii omnes in rebus etiam gravioribus utantur. *Quod-*

(a) v. Epistolar. Luther. Tom. I. ep. 49. p. 63. 64. 65. & Oper. Luther. Jenens. Tom. I. fol. 63. b.

(b) v. Epistolar. Tom. I. p. 66. sq. & Opp. Jenens. Lat. fol. 64. b. conf.

(c) v. Epistol. Tom. I. Ep. 51. p. 68. b.-71.
Operum Jenens. Lat. T. I. fol. 78, 79.
Conf. Seckendorf. fol. 33.

nam fatum, ait, *urgeat has folas meas Difputationes præ ceteris, non folum meis, fed omnium Magiftrorum, ut in omnem terram pene exierint, mihi ipfi miraculum eft. Miror tamen*, ait, *quo fato thefes meæ, pro noftris tantum, & propter noftros editæ, in omnem pene terram exierint, licet ab omnibus non intelligantur. Difputationes enim funt obfcurius & ænigmaticè pofitæ, non doctrinæ, non dogmata: quod fi prævidiffem, intellectu faciliores dare potuiffem. Jam verò cum revocari & mutari id nequeat, doleo me* indoctum, ftupidum ingenio, vacuum eruditione, *florentiffimo hoc feculo, quod etiam Ciceronem lucis & publici olim cupidiffimum, fi viveret, in angulum cogere poffit, protrudi, ut anfer inter olores ftrepam. Mitto itaque ad mitigandos adverfarios, & explenda multorum defideria*, nugas meas, id eft, *declaratorias difputationum, & quidem, ut tutior fim, fub præfidio nominis Pontificii & umbra ejus protectionis.* Addit: *Si talis effem, qualem illi me videri cupiunt, ac non potius omnia difputandi facultate recte à me tractata fuiffent, non potuiffet fieri, ut Illuftriffimus Princeps* Fridericus, Saxoniæ Dux, Elector Imperii, *hanc peftem in fua permitteret Univerfitate, cum fit catholicæ & Apoftolicæ veritatis unus facile amantiffimus, nec tolerabilis fuiffem Viris noftri ftudii acerrimis & ftudiofiffimis.* Concludit tandem. *Proftratum me pedibus tuis, Beatiffime Pater, offero, cum omnibus quæ fum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit: vocem tuam, vocem Chrifti, in te præfidentis & loquentis, agnofcam: Si mortem merui, mortem non recufabo. Domini eft terra & plenitudo ejus.*

§. XCIII. Dum hæc, more fcholaftico fcriptis utrimque geruntur, MAXIMILIANUS (a) Cæfar conventus agit Auguftæ

(a) Quod ad Epiftolam Maximiliani Imp. d. 5 Aug. ad Pontificem datam, quæ reperitur Tom. I. Oper. Luth. Jenenf. fol. 159: 160. attinet, verum eft, quod Lutherus in ea præjudicio oneretur, & *Dogmata* ejus *pleraque hæretica & damnofa videri* dicantur, fed recte jam obfervatum eft à SECKENDORFIO fol. 42. bonum Principem controverfiarum Theologicarum parum peritum, quod facile potuerint, ad ifta fcribenda inducere miniftri ejus præoccupati, *quorum* adeò potius quam Imperatoris *mentem inde liceat intelligere*, quam ceteroquin ita non femel in familiari fermone dicitur aperuiffe, ut cleri confiliis & actionibus parum eum faviffe appareat.

stæ Vindelicorum, quo & LEO X. Legatum deinde misit, Thomam *Cajetanum* Cardinalem. (a) Ei conventui Septemviri Principes omnes aderant, qui propter jus creandi Cæsaris dicuntur Electores. De bello Turcico deliberatum hic fuit. Nam Turcarum Cæsar Selymus, devicto nuper Sultano, Syriam & Ægyptum in suam ditionem redegerat. Cajetanus autem Orationem habuit exhortatoriam, & Pontificis nomine thesauros Ecclesiæ pollicitus in hoc bellum, Maximilianum Cæsarem, ut Ecclesiæ defensorem, de auxiliis, implorabat. Ad hoc tempus Leo X. Cardinalem creavit Archiepiscopum Moguntinum Albertum, & hoc in conventu, per Cajetanum inaugurari jubet ceremoniis & sacris in ea re consuetis. Cæsar deinde novum Cardinalem è templo domum reducit, ac munera mittit, regiam lecticam, equos & stragulam vestem multam, valde pretiosam: Pontifex autem dono dabat pileum, auro, gemmis & margaritis intextum, & ensem deaurata vagina. Nam plerique omnes Episcopi Germaniæ, tam civilem quam Ecclesiasticam Jurisdictionem obtinent. Hunc autem honorem ei detulisse Leo creditur, ut Ecclesia Romana defensorem haberet in Germania, nobilitate generis & dignitate conspicuum. Etenim licet Episcopi sint omnes fide & jurejurando devincti Rom. Pontifici, tamen hi, qui dicuntur Cardinales, multo sunt illi magis obligati: Deinde non ignorabat, quantum hic posset in rebus Imperii, qui Principum Electorum esset primus, ac veluti Consul perpetuus, antiqua consuetudine. Maximilianus, de controversia Lutheri certior factus, Augusto mense dat Literas (b) ad Leonem: *audire sese*, quemadmodum Lutherus multa disputarit & pro concione dixerit, *in quibus pleraque videantur esse hæretica*, hoc eo magis dolere sibi, quò pertinacius ille suam doctrinam defendat, & quo plures habere dicatur suorum errorum approbatores, & in his quidem nonnullos magni nominis: hortatur, ut ipse, pro sua, quam habeat, potestate summa, quæstiones omnes ociosas & inutiles rescindat, omnem quoque Sophisticam.

(a) vid. SLEIDAN. p. 3. b. & 4. cujus hæc est relatio.
(b) vid. notata ad pag. superiorem.

cam & contentiones verborum inhibeat: qui enim his rebus operam dent, nocere plurimùm Reipublicæ Christianæ, quandoquidem hoc solum spectent, ut quod ipsi didicerunt, hoc laudetur ab omnibus & recipiatur: diligenter quidem esse cautum ætate superiori, ut idonei constituantur Doctores, ac omnis fugiatur Sophistica; præceptum autem hoc fuisse paulatim contemptum, ita quidem, ut mirum videri non debeat, si, quos aliorum oportuit esse Doctores, ii sæpius aberrarint: hos nimirum esse in causa, quod prisci illi scriptores, Sacrarum Literarum Interpretes, multo jam tempore & neglecti jacuerint, & facti sint mendosiores: his etiam imputandum esse, quod multæ nostris temporibus exortæ sint in Re Literaria turbæ, & quod hæc ipsa nunc sit nata *de Indulgentiis*, plena periculi disceptatio: Magnitudinem rei sane postulare, ut nascenti malo medicinam faciat, priusquam longius evagetur atque serpat: nam esse moræ conjunctum periculum, quicquid ipse decreverit, hoc se laudaturum, & ut per imperii provincias omnes locum habeat, curaturum esse.

§. XCIV. Verùm intereà, dum hincinde ad Pontificem deferebantur accusationes adversus Lutherum variæ, ipse LUTHERUS Romam citabatur, *Hieronymo Episcopo Asculano* causarum cameræ generali auditore, eum citante, atque eum, si se non intra diem sexagesimum ad d. VIII. Octobris sisteret, hæreticum declarante, (a) cum ipse ille *Hieronymus de Genutiis* & *Sylvester Prierias*, cujus dialogo jam responderat, quique adeò ejus erat adversarius, ipsi darentur Judices; Simul vero etiam Pontifex ad *Thomam* de Vio, *Cajetanum* Cardinalem, quem tum in Germaniam mittebat legatum, à latere negotium Lutheri (b) refert, censens

(a) Memorabilia sunt THUANI fol. 19. ed. noviss. verba. *Interea crescebat in Germania Lutheri nomen, cujus causæ plerique magni Viri ac Principes contra Pontificem jam manifestò favebant: cui malo cum minas & diras tantum Leo opponeret, nec ut de corrigenda quæstorum audacia & imprudentia cogitaret, adduci posset, irritatum potius quam sanatum vulnus est.*

(b) Scribimus hæc authoritate *Odor.* RAYNALDI in Annal. Tom. XX. p. 256. §. 52. qui ita: *Gravissima* inquit, *hæc omnium fuit legatio, cum ad Lutheranæ hæresis opprimenda delendaque semina, & Bohemorum Hussitarum re-*

ſens ita breviori & leviori modo id componi poſſe. Citationi Romanæ Lutherum minimè paruiſſe notum eſt, & interceſſit tum pro ipſo non FRIDERICUS tantummodo Elector, qui illuc abeundi licentiam ipſi permiſſurus non fuiſſet, ſed & ipſa *Academia Witebergenſis*, cujus ad Pontificem datæ literæ, Lutherum, non ſolum ab *haretici dogmatis labe* declarant immunem, ſed & *fidele* vocant & *gratum membrum Academicum;* Ad *Carolum* verò *Miltitium*, Pontificis cubicularium, eidem *multijugam* adſcribunt, & *pane ſingularem eruditionem*, *moribus integerrimis & defæcatiſſimis conjunctam.*

§. XCV. Cum Thoma autem Cajetano tum *Auguſtanum* (quod dicitur) *Colloquium* authoritate Cæſaris eſt inſtitutum; De quo ut ſummatim agamus, neceſſe eſt.

Quum enim per ipſum Fridericum Principem res eò deducta eſſet, ut ſolutus neceſſitate proficiſcendi Romam Lutherus *Auguſtam Vindelicorum* apud *Thomam Cajetanum* Cardinalem, & Dominicanæ Sodalitatis Virum Doctiſſimum, qui tum Auguſtæ Vindelicorum præſens erat, (ubi Maximilianus Cæſar Comitia Principum agebat, deliberaturus, quomodo formidabili Turcarum potentiæ obviàm iri poſſet) cauſam dicturus, ire juſſus eſſet, circa Octobris menſis initium eò ſe contulit, triduumque ibi apud ſuos eſt commoratus, prius quam cum Cajetano ageret, ſuadebant quippe amici, ne ſe ſiſteret, antequam publica ipſi à Maximiliano Cæſare fides eſſet data: Ea denique impetrata, Cajetanum adiit, qui ſtatim ipſi duo hæc Pontificis (a) mandata proponere: (b) *alterum*, ut ad ſanitatem redeat, & quos divulgaſſet, errores

reliquias Eccleſiæ conciliandas, nec non Cæſarem, ac Daniæ Sueciæ Norvagiæque Regem in Turcam concitandos mitteretur. Cæterum ipſam Cajetano à Papa datam Inſtructionem exhibet ex eodem Raynaldo KAPPIUS in Collectione Scriptorum ad Indulgentiarum nundinationem ſpectantium p. 413. ſqq.

(a) Quanquam etiam inauditus Lutherus Romæ jam condemnatus eſſet, uti deinceps in reditu, Noribergæ, Luthero nuntiatum eſt, uti ex ejus Epiſtola 68. ad Spalatinum colligitur.

(b) vid. SLEIDAN. ad A. 1518. Cæterum de ipſo Cajetano, Viro Philoſophiæ & Theologiæ Scholaſticæ peritiſſimo, vid. *Jac.* QUETIF & *Jac.* ECKARDUS Scriptoribus Ordinis Prædicator. Tom. II. p. 14. ſq.

res revocet, *alterum*, ut ab ejusmodi scriptis, quæ tranquillitatem Ecclesiæ perturbarent, in posterum abstineat: Lutherus ad ea, se nullius erroris sibi conscium esse, respondet, & si quid errarit, demonstrari petit: Quo pacto, quanquam disputationem omnem refugeret Cajetanus, ipsa tamen res in disceptationem venit: Cajetanus enim Luthero objicit, ipsum in thesibus suis affirmasse, *Christi Servatoris merita non esse thesaurum indulgentiarum*, eam autem sententiam adversari Clementis (a) Sexti decreto: Deinde, *Accessuris ad Sacramentum necessariam esse fidem, ita quidem, ut certò statuant, sibi peccata condonari*, ne hoc quidem esse verum. (b) Enimverò, cum Lutherus & Pontificis & Patrum quorundam & Doctorum Scholasticorum authoritatem, si ea cum Scripturarum authoritate conferretur, nullam esse affirmaret, tum de Pontificis authoritate, Conciliorumque, & horum inter se cum verbo Dei pugna, cumprimis est disceptatum, ubi inter alia Lutherus, *tantam esse* affirmabat *suorum, qua protulisset è Sacris literis, vim, ut ea credat sua veritate niti, quam deserere non possit, eò quod magis obediendum sit Deo quam hominibus:* Quum itaque alter, cedendum esse, & invisis Pontifici opinionibus nuntium esse sine mora mittendum, identidem inculcaret ipse, & per

Jo.

(a) Decretum illud Clementis extat in ea Juris Pontificii parte, quam dicunt *Extravagantem:* Ibi Clemens Pontifex, tempus illud, uti vocant, Jubilæum centesimo quoque anno præfinitum à Bonifacio octavo, redigit ad quinquagesimum, & de Christi Servatoris beneficio locutus, *una guttula sanguinis ipsius liberari potuisse genus humanum demonstrat, cum vero tantam sanguinis copiam profuderit, ut toto corpore nihil esset in eo sani, nihil aspectu miserabilius, omne illud, quod superfluum fuit, maximi thesauri loco reliquisse dicit, in usum Ecclesiæ, ac Divo Petro, qui sit cœli claviger, ejusque deinde Successoribus mandasse, ut eum thesaurum in homines verè poenitentes atque peccata sua confessos diffundant, & tanquam œconomi distribuant, poenamque temporalem peccatis debitam, eis remittant. Hic etiam*, ait, *accedere Mariæ Virginis & omnium Sanctorum merita, sic ut inexhausta sit condonandi materies & facultas.*

(b) Quod Romanæ aulæ, modus agendi quem Cajetanus inibat in hac disputatione displicuerit, testis est P. SARPIUS Histor. Concil. Trident. L. 1. p. m 7. Excusat verò ipsum Cajetanum Jac. ECKARDUS Scriptor. Ordin. Prædicat. T. II p. 15.

Jo. Staupitium, ut Luthero id persuaderet, omnem navaret operum, Lutherus contra, *sibi id per conscientiam non licere, nisi erroris convinceretur*, affirmabat, atque ita Colloquium illud prorsus infecta causa (a) est abruptum; Quando Lutherus tandem à congressu ulteriori exclusus per Cajetanum, (b) non verebatur *à Pontifice malè informato* provocare *ad Pontificem melius instituendum*: Quam provocationem tamen, ubi deinceps Romæ sperni sensisset, (c) mense Novembri fere elapso, more majorum & jure Germanorum, futuri *liberique Concilii Judicium* appellabat.

(a) Ipse Cajetanus intereà videns in hac Collatione, quam parùm ipse in Scriptura S. esset versatus, abinde omnem suam operam ita meditationi textus authentici addixit, atque varios in Scripturam S. tam Veteris quam N T. Commentarios scripsit, ut non semel quoque suorum indignationem, quod is puriora reliquis doceret, incurrere debuerit, vid. HOTTING. Hist. de Prædestin & Grat. Lib. IV. §. V. p. 5. Veluti ab hoc tempore quoque illa controversia *de Authoritate Ecclesiæ circa Scripturam S* agitari cœpit.

Cæterum & ipse *Jo. Staupitius* à Cajetano instigatus, ut ex Scripturis Lutherum convinceret, quam id supra vires suas esset, ipseque Luthero esset in Sacris Literis & ingenio impar, candide est professus, vid. *Lutheri* Epistol. L. I. Ep. 64. & 76. Veluti totum in Comitiis his Augustanis processum colligere possumus ex LOESCHERI Documentis Reformat. Tom. II. Cap XI. & ex Epistolis *Lutheri ad G. Spalatinum* præcipue, sed &, *ad ipsum Cajetanum* scriptis. vid. Epistol. Tom. I. p. 82 101.

(b) Fertur quoque, cum Staupitius denuò pro Luthero, comparendi veniam peteret, respondisse Cajetanum: *Ego nolo amplius cum hac bestia loqui: Habet enim profundos oculos, & mirabiles speculationes in capite suo.* vid. MYCON. Hist. Reform. p. 73. Quamvis etiam deinceps ægrè ferret, eum abiisse, unde ad Fridericum statim dedit literas, *ut Lutherum aut Romam mittat, aut è terris suis ejiciat, ne ponat maculam in majorum suorum, suamque gloriam, propter unum fraterculum.* vid. Ep. Luth. T. I. p. 101. b. & p. 106

(c) Papa enim Leo, cum in Germania inter Cajetanum, Lutherum, & Fridericum Saxonem ea de re reciprocarentur literæ, defectionem aliquam metuens in hoc rerum statu V. Idus Novembris *novo* quodam *Edicto* (quod à KAPPIO nobis exhibetur in Collect. ad Indulgentias &c p. 422. sqq.) *sancit Indulgentias, eamque* dicit *esse Ecclesiæ Rom. quæ magistra sit reliquarum omnium, Doctrinam*, ut Petri Successor P. R. & Christi vicarius *potestatem habeat hoc tantum beneficium largiendi*, sic quidem, ut non vivis tantum, sed & *mortuis in purgatorio prosint* &c. Quod edictum à Caje-

tano;

Ipsa verò illa *Appellatio prior*, certis verbis ad hunc fere modum erat concepta. Quæstionem (a) illam de Indulgentiis varie tractatam à multis, nunquam fuisse certò definitam: in ejusmodi verò quæstionibus dubiis liberum esse, præsertim Theologis, disputare: hoc etiam se fecisse tunc, cum declamatores quidam non temerariè solum & incircumspectè scriberent atque docerent, verum etiam miris artibus populum expilarent: & fecisse quidem, non affirmandi, sed veritatis cognoscendæ causa: disceptationem quoque omnem & doctorum hominum judicio & Leonis arbitratui permisisse: illos autem excogitasse varias contra se calumnias, & graviter ad Pontificem accusasse, remque eo deduxisse tandem, ut Asculano & Sylvestro Prierati causa committeretur: ab iis evocatum se fuisse Romam, sed, quod uterque suspectus, alter etiam ad ejus rei judicationem minus esset idoneus: deinde, quod de præsentissimo periculo, si Romam ivisset, nemo quisquam dubitaret, quod etiam à suo magistratu juberetur manere, his de causis, atque etiam metu omninò tali, qui in constantissimum quemque cadere possit, se orasse Principem Fridericum, efficeret, ut causæ cognitio deferretur in Germania Viris aliquot peritis & idoneis, in loco non suspecto, nec ad injuriam opportuno: Pontificem igitur legato suo, Cardinali Cajetano, rem omnem mandasse, quod haud dubie factum sit adversariorum suorum impulsu, qui de Cajetani mente ac voluntate compertum haberent. Et quanquam hic ipse non injuria suspectus videri poterat, se tamen obtemperasse: illum verò statim à primo congressu mandasse, ut sua revocaret: se tum respondisse, facti sui rationem se redditurum, vel disputatione præsenti, vel scripto, & non Academiis tantum, sed etiam Ecclesiæ

tano, *Lintzii*, quod est Austriæ ad Danubium oppidum, promulgatum tum est, atque in multa Exemplaria descriptum, uti testatur SLEIDAN. L. 1. ad A. 1518. qui & observat, quam brevi post illud Episcopis per Germaniam fuerit missum, & nomine Leonis mandatum, gravi constituta pœna, ut è vestigio suis hæc denuntient, & religiose commandent, atque præcipiant.

(a) vid. SLEIDAN. ad A. 1518. L. 1. pag. 7. b. & SECKENDORF. Histor. Luther. p. 49.

siæ Romanæ judicio velle rem totam subjicere: verùm his omnibus nihil emollitum, mandasse perpetuò revocationem, & cum extorquere non posset, comminatum esse graves pœnas, tum sibi, tum aliis etiam, qui suæ essent sententiæ. Cum ergo talibus præjudiciis valdè se gravari sentiat, eam ob causam, *à Pontifice Romano minus edocto*, quantum quidem ad hoc pertinet, *provocare se ad Pontificem rectius edocendum*, atque hoc ita protestari palàm.

Posterior verò *Appellatio* d. XXVIII. Novembris à Luthero interjecta, ita ferme se habebat: „ Initio profitetur, (a) nolle se Romani Pontificis rectè sentientis authoritatem convellere, multo minus ab Ecclesia dissentire, veruntamen, quia Pontifex pari sit cum reliquis mortalibus conditione, fieri posse, ut erret & delinquat, nec illi hoc esse tribuendum, quasi ipse unus falli non possit aut labi. Docet hoc Exemplo Petri, quem aberrantem in sana doctrina Paulus graviter & aperte reprehenderit: quod si Pontificis tantæ sint opes atque facultates, ut & quidvis imperet, nec ullius mandato cohiberi possit, jam iis, qui sibi vim ab eo fieri putent, unicum superesse remedium, Appellationem. Postea commemorat, quomodo Cajetani Cardinalis nimia coactus asperitate, ad Pontificem provocarit, in cujus humanitate præsidium aliquod sibi reliquum esse putaret, cum & æquissimas proponeret conditiones, & omnia se facturum profiteretur, errore sublato: jam verò, postquam hac appellatione contempta, rejectis etiam conditionibus, nihil opis aut salutis à Pontifice sperandum esse videat ex Cajetani literis ad Fridericum Principem datis, adductum extrema necessitate *provocare se à Pontifice ad futurum Concilium*, quod illi sit modis omnibus præferendum.

Quidquid sit, observatione dignum judicamus, (b) quod, antequam Collatio illa institueretur, jam *Cajetanus* ad Lutherum miserit Oratorem suum, *Urbanum* nomine, qui Lutherum invitaret, ut privatim accederet ad Cardinalem, Huic cum Lutherus respondisset, *se Consilio optimorum Virorum, quibus à Friderico*

 Prin-

(a) vid. SLEIDAN. l. c. pag. 10. b.
(b) vid. SECKENDORF. pag. 45.

Principe erat commendatus, *non posse*, *antequam fides Cæsaris publica ipsi data esset*, *Cardinalem accedere*, is verò rem urgeret quærendo, *num putaret Principem Fridericum propter se arma sumturum?* respondit Lutherus: *Hoc nollem prorsus.* Et, *ubi igitur manebis?* cum quæreret ex Luthero Urbanus, is regessit, *sub cœlo:* Uti quando tandem interrogabatur: *Si Papam & Cardinales in sua haberet potestate, quid tum esses facturus?* is respondit: *Omnem ipsis reverentiam & honorem essem exhibiturus.* Tum verò is, gestu Italico digitum momordisse dicitur, atque dicendo *Hem!* abiisse, nec unquam rediisse.

§. XCVI. Cum itaque tali modo abrupta esset *Collatio Augustana*, quam Lutherus non admodum in tuto versaretur, facile credi potest, partim quod ipse Imperator Maximilianus in literis ad Papam (a) datis Lutherum quoque hæreticum appellaret, partim quod Fridericus Elector ejus causam hactenus in se suscipere detrectaret, (b) quippe quem vel invasionis suarum ditionum metus corripiebat; Ut tanto magis divinam hic adorare nos oporteat Providentiam, quæ ita hic invigilavit, ut brevi post ipsius Friderici animum atque favorem ipsi plenissime conciliaverit, quod simulac rescisceret Lutherus, mirum nemini videri debet, quod majori sumta fiducia, ipsa quoque *Acta illa Augustana*, cum additamento admodum libero, invita licet aula Electorali, (c) emittere ausus fuerit.

Cæterùm Papalis Bullæ de Indulgentiis quam d. IX Novembris ediderat Leo X. effectum, per ipsius Imperatoris Maximiliani mortem est præpeditum:

Et quanquam *Carolus Miltitius*, gente Saxo, Papæ Cubicularius, tum temporis ad aucupandam Friderici Saxonis gratiam, atque ad Lutheri causam infringendam, in Germaniam à Leone novus mitteretur Legatus, vel sic tamen parùm fuisse promotum adversus Lutherum, videbimus.

Negari autem non potest, per ipsum illud Interregnum, quod Maxi-

(a) vid. LOESCHER. Docum. Tom. II. p. 318.

(b) vid. Literas *Friderici* ad *Raphaelem Cardinalem* d. V. Augusti 1518. Augusta datas ap. *Loescher.* Tom. II. p. 314.

(c) Conf. SECKENDORF. p. 56. a.

Maximiliano incidebat mortuo, dum interea Fridericus Saxo, Elector & Germaniæ Septemvir, vicariam Imperii gerebat potestatem, coeptum reformandi negotium haud parum fuisse promotum, (a) non equidem, ac si Fridericus durante hoc semestri quod inter Maximiliani mortem, & Caroli electionem medium fuit, quidquam in Lutheri causa vel decreverit publicè, vel privatim effecerit ad eam promovendam, sed tanen providè curando, ne inauditus (b) prorsus atque sine prævia causæ cognitione à Pontifice & ejus Satellitibus damnaretur; Accedit, quod dum Papa & reliqui Principes, vehementer de eligendo novo Cæsare suis cudendis consiliis erant occupati, non admodùm viderentur curare, quid interea à Luthero ageretur Doctore Scholastico:

§. XCVII. Interea verò, cum Miltitius laudatus, *aurea rosa* nescio quibus cerimoniis consecratæ, *munus*, Electori Friderico, (c) in singulare benevolentiæ Pontificiæ documentum afferret, is ipso statim mense Januario A. 1519. quum Germaniam erat ingressus, ut ex mandato Pontificis etiam cum Luthero ageret, eundemque suis blanditiis in viam redigeret, operam navare: Atque, uti is ad Degenhartum Pfeffingerum, Virum nobilem ex Friderici consiliariis, sed qui A. 1519. jam supremum obiit diem, (d) Leonis X. secum ferebat literas, quibus inter alia Degenhartum orabat Pontifex, ut Miltitio operam navet, ***in expellendo Luthero Satanæ filio;*** (e) Ita, quam primum in Saxoniam

(a) ipso Luthero teste post annos plus quam viginti ap: SECKENDORF. p. 60.

(b) Testibus literis ipsius Friderici ad Erasmum quod SECKENDORF. l.c.

(c) Magni equidem tale munus paulo antehac æstimabatur, atque etiam vel per integrum triennium ab Electore quæsitum, sed nunc tamen intempestivum, quippe cum *Fridericus* sanctas illas spernere jam ac vilipendere nugas didicisset; Intereà tamen, ne prorsus inhumanitate peccaret, Princeps eam per ministrum legatum Fabianum Feilitschium & ejus collegas *Hanboldum ab Einsiedel* & *Guntherum von Bunau* recepit, quibus id singulari Diplomate in mandatis erat datum, quod Diploma d. xvi. Sept. 1519. signatum, habet KAPPIUS in Spicilegio P. iii. p. 236. sq.

(d) Teste Spalatino in Diario MSS. apud SCHELHORN. Amœnit. Literar. T. iv. p. 391. ubi de ipsa Degenharti persona agit Seckendorf. p. 67. a.

(e) vid. SECKENDORF. p. 64. 65.

niam appulisset, statim omnem rei culpam in *Tezelio* hærere agnovit, homine impudenti, &c, qui vel ipsi Pontifici varios, uti ex Fuggerorum rationibus intelligebat, nummos surripuerat: (a) Neque tamen omittere quidquam, quod ad strenuè perficiendum sibi commissum negotium facere poterat, unde *Altenburgi* omnium primò, is cum Luthero in *Georgii Spalatini* ædibus colloqui.

Omnium prima Miltitii hæc erat querela, gravissimum imminere Schisma, quod jam gliscere ubivis inciperet, idque tanto magis sibi ajebat exploratum esse, quantò faventiores, ipse in itinere hoc Germanico, summos, imos, in omnibus diversoriis deprehendisset Luthero ejusque causæ; Hujus autem, addebat, Schismatis non alium esse quam ipsum *Lutherum* authorem, atque etiam aliquo modo *Fridericum Electorem.* Lutherus contra, illam in Pontificem rejicere culpam (b) omnem, cujus concessione & conniventia *Albertus Brandenburgicus* Episcopatus plures, quam fas esset adeptus, malos conquirendæ pecuniæ modos ad palliorum, quæ vocant, & dispensationum sumtus arripuerit, & Germaniam indulgentiarum nundinatione turpissimè veluti excoriaverit, parte etiam fœdi lucri ad Pontificem delata, cujus optimam mentem fœneratores Florentini ad abusus illos flexerint. Addidit quædam, de Tezelii impudentia, qua indulgentiæ Pontificiæ in summam totius mundi abominationem venerint. Cum igitur uterque alterius consilia cognovisset, inter eos, quanquam etiam valde inconstans esset Miltitii ingenium (c) tamen est conventum, ut Miltitius in se reciperet, Pontifici omnia referre & efficere, ut silentium disputantibus indiceretur, & causæ cognitio, docto alicui in Germania Episcopo demandaretur, Lutherus autem quiesceret, & literas ad Pontificem daret, quibus obsequium profiteretur, atque palinodiam promit-

(a) Conf. Epist. *Miltitii* ad Pfeffingerum ap. SECKENDORF. p. 62. ex qua Tezelii mores abundè cognosci possunt.

(b) vid. SECKENDORF. l. c. p. 61. itemque Lutheri Epistol. ad Joh. Staupitium d. xx. Febr. dat Tom. 1. p. 151, 152. quæ de colloquio Altenburgensi relationem continet.

(c) vid. SALIG. Hist. Aug. Confess. Tom. 1. p. 26.

mitteret, si erroris convincatur: In hanc itaque sententiam d. III. Martii, LUTHERUS denuò ad Papam Leonem X. non equidem revocatoriam sed deprecatoriam tamen dare Epistolam, (a) in qua haud dubiè contra stimulum conscientiæ (b) *coram Deo & tota ejus creatura testabatur, se nec voluisse unquam, nec hodie velle Ecclesia Romana, aut Pontificis potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri*, simul verò etiam confitebatur, *Romana Ecclesia potestatem super omnia*, neque ei præferendum quicquam, sive in Cœlo, sive in terra, præter unum *Jesum Christum, simulque promittebat, se totam de Indulgentiis materiam deinceps relicturum, modo & adversarii vanas suas ampullas jactare omitterent, editurumque in vulgus Opus, quod intelligat & moveatur, ut Romanam Ecclesiam pure colat &c.*

Inter hæc factum est, ut mense Februario *Hieronymus* (c) (Scultetus) Episcopus Brandeburgensis, cujus inspectioni Witebergensis diœcesis suberat, Witebergam adiret, atque etiam multis, cum Luthero, quod tanta auderet, expostularet, quam rem ipse Lutherus ad Ge. Spalatinum d. XII. Februarii perscribit, addens: (d) *Intelligo Episcopos nunc tandem sapere, sui fuisse scilicet officii, quod in me vident præsertim, ideoque non nihil pudere.*

§. XCVIII. Cœpit etiam (e) hoc mense epistolicum aliquod Lutheri cum *Hieronymo Dungersheimio*, à patrio Franconiæ oppido *Ochsenfart* dicto, Theologo Lipsiensi, commercium, quo secutæ hac æstate disputationi cum Eccio prælusum quasi est, *de Primatu Pontificis* (f). Monenti vero ex aula Spalatino, de servanda veneratione & obedientia erga Pontificem, & declaratio-

 nem

(a) vid. Epist. Lutheri Tom. I. p. 152. & seqq.

(b) Quodsi enim conferamus ea, quæ ad W. Linccum ipse Lutherus sub finem anni 1518. scripserit. *Mittam ad te nugas meas, ut videas, an rectè divinem Antichristum illum verum juxta Paulum in Romana curia regnare, pejorem Turcis esse hodie, puto me demonstrare posse.* vid. Epist. Tom. I. p. 124. b. patebit, eum conscientiæ suæ lucem in iis, quæ ad Leonem scribebat, secutum non esse.

(c) conf. not. ad §. XLIII.

(d) vid. ep. Luth. T. I. p. 146. b.

(e) vid. SECKENDORF. Hist. Luther. p. 68. b.

(f) Luther. Ep. Lib. I. ep. 93.

nem edi cupienti, respondit Lutherus 3 Non. Martii (a) sibi nunquam fuisse in animo, ut ab Apostolica sede velit desciscere, & provocat ad declarationem Germanice & populariter editam; (b)

In hac non solum *de Intercessione sanctorum*, *de Purgatorio*, de *Praeceptis Ecclesiasticis* & de *bonis Operibus*, sed & de *potestate Pontificia* ita agit, ut imputationem hæreseos depellat, & disputabilia à credendis separet. Interim angi se animo non obscurè significat, dum ad eundem Spalatinum (c) scribit: *Verso decreta Pontificum pro mea disputatione* (Lipsiæ scilicet habenda) *&* (*in aurem tibi loquar*) *nescio an Papa sit Antichristus ipse, vel Apostolus ejus, adeo misere corrumpitur & crucifigitur Christus (id est veritas) ab eo in decretis. Discrucior mirum in modum, sic illudi populum Christi specie legum & Christiani nominis.* Et paulo post: *Nascitur mihi indies magis & magis subsidium & præsidium pro sacris literis.* Gratum eo tempore fuit Luthero, quod audiret doctrinæ suæ longe lateque applaudi. *Johannes* enim FROBENIUS, (d) celebris tunc Basileæ typographus ei significaverat *legi & probari scripta ejus Lutetiæ etiam à Sorbonicis, & dispersa à se omnia, quæ Basileæ recuderat, exemplaria esse in Italia, Hispania, & alibi, omnium Doctorum judiciis approbata.* Sedunensem etiam Episcopum, *Matthæum Scheinerum*, celeberrimum illo tempore Virum, acceptis Lutheri lucubrationibus dixisse; *Luther, tu es vere Luther*, id est, liquidus & purus (*lauter*) & alicui, qui Eccii propositiones obtulerat, & victoriam ei in disputatione instanti ominatus erat, respondisse: *disputet Eccius, quantum velit, Lutherus veritatem scribit.*

Enimverò, uti Cajetanus antehac, ita nunc *Miltitius*, unice urgebat, atque ea de re ad ipsum Fridericum Electorem literas dare non morabatur, (e) *opus esse, ut sua revocaret Lutherus*, id quod

(a) v. Ep. 99.

(b) Hanc putat SECKENDORFIUS, esse eam, quæ Tom. I. Altenb. fol. 294. (quanquam post Lipsiensis disputationis tempus collocata,) legitur.

(c) Hæc est Epistola 100. quam Dominica Invocavit conscripsit.

(d) vid. hanc Epistolam die 14. Febr. scriptam, jam §. IV. citatam, prouti eam in Miscellaneis Groninganis Tom. III. p. 60. seq. edidimus.

(e) Harum Literarum exemplar habemus apud LOESCHER. in Docum. Reform. Tom. III. p. 843. sq.

quod in colloquio *Liebenwerdensi* (a) (est autem Liebewerda oppidum haud procul Witeberga situm) hoc anno 1519. d. VIII. Octobris, & *Lichtenbergensi*, (b) d. XII. Octobr. 1520. cum Luthero instituto atque repetito ingeminabat; (c) quanquam non desint, (d) qui tanquam sibi probè cognitum referant, quod Miltitius in colloquio Liebenwerdensi non levia dederit erga Lutheri causam favoris indicia, quódque Tetzelio ad se vocato, & graviter increpato, mortem acceleraverit, quippe qui non ita multo post, dum Lutherus & Eccius Lipsiæ disputabant, tædii plenus & irarum animam efflasse dicitur.

LEONI saltem Pontifici, quod non arriserint ea, quæ per Miltitium cum Luthero acta erant, ex sequentibus apparebit, ut jam nova nobis aperiunda sit rerum memorabilium scena, quæ in *Colloquio Lipsiensi*, quod hoc ipso Anno 1519. est celebratum, fuit conspicua, quam tamen antequam revelemus propius, operæ pretium judicamus, præclarorum quorundam Virorum, quorum opera, auxilio, atque industria, Reformationis à Luthero ita susceptæ negotium fuit promotum, & quorum deinceps sæpius recurrent nomina, recolere memoriam:

§. XCIX. *Andream Bodenstein à* CAROLSTADT, quando huc omnium primò referimus, nil faciemus, quod ab ipsa causa sit alienum: Quanquam enim ejus, apud *Martini Lutheri* asseclas hodiernos, adeò invisum sit nomen, ut quidvis in eum proferre, atque omne genus convitiorum in ipsum effundere, ipsis subiratis licitum non tantum censeatur, sed & propemodum necessarium, tamen illam privatam dissensionem inter ipsum & Lutherum deinceps enatam, non posse præjudicare ejus meritis, atque doctri-

Gg 2 næ,

(a) v. SECKENDORF. l. c. p. 63.

(b) Notandum, quod documenta illa ad *Miltitii* expeditionem pertinentia fere ad unum omnia ex autographis suis exhibuerit E. S. CYPRIANUS ad Tenzel. Tom. I. & II. è quibus & eadem ordine suo digesta reddere integrum fuit V. E. LOESCHERO Tom. II. c. XVI. & Tom. III. c. II.

(c) vid. SLEIDAN. ad A. 1519.

(d) vid. *Paul.* SEIDELIUS in Historia Lutheri Germanicè scripta, & SALIG. Hist. Aug. Conf. p. 19, 20.

næ, facilè mecum consenserint, qui verum amant, omnes. Erat is natus, *Carolostadii* in Franconia, atque ab urbe patria pro illorum temporum more nomen traxit, cum alioquin *Andreas Bodensteinius* diceretur. Is optimarum artium ac literarum rudimentis imbutus in ludo patrio, ut tanto majores in Theologia Scholastica faceret progressus, Romam adiit juvenis, ibique non semel ingenii ad altiora nati specimen dabat inter commilitones, de rebus sacris, ex sacro potissimum codice, qui cæteroquin multorum neglectui erat expositus, disputando: Posteaquam verò, sub initium Seculi XVI. Fridericus Elector Wittebergensem fundaverat Academiam, tum jam inter primos ejus alumnos & Doctores, *Andreas* noster, quod nomen suum fuerit professus, est notum, uti non sine eruditionis laude, is vitam ibi cum transigeret, receptus est in Facultatem Philosophicam jam Anno 1508. atque paulo post in Professorum cooptatus numerum, quando deinceps in Templo arcis, simul Canonici & Archidiaconi vices prorsus honorificas sustinuit, uti Rectoratus honorem is A. 1511. est consecutus, & Decanatum tam in Philosophica quam in Theologica Facultate non semel gessit, quandoquidem & A. 1512. sub ejus Decanatu ipse Lutherus doctorali laurea redimitus perhibetur. Certè, quod deinceps, cum adversus *Indulgentias* in scenam prodiret Lutherus, is socium haberet, consiliarium, & coadjutorem, *Bodensteinium* hunc, non est, quod dubitare quisquam possit, quanquam etiam nonnemo (a) vix dici posse affirmaverit, *quis horum collegarum prior veritatem perspexerit, cum uterque pari tempore eam in apricum produxerit;* Id saltem certum est, ipso non diffitente, qui cæteroquin in Carolstadium satis inimico est animo, VAL. ERN. LOESCHERO, (b) eum jam inde ab A. 1514. cum Joh. Eccius suas *de Prædestinatione* centurias VI. evulgaverat, se Pelagianismo strenue opposuisse, atque in publicis Lectionibus, aliisque scriptis Eccium oppugnavisse, prouti quod jam mense Aprili A. 1517. adeoque, per semestre spatium, antequam Lutherus in scenam prodiret, va-

(a) vid. *J. F.* MEYER in Diss. de *Carolostadio*, qui p. 13. hujus assertionis authorem facit *Observatorem Halensem*, eumque stylo notat acerbo.
(b) vid. LOESCHER. Docum. ad Hist. Ref. T. II. c. II. p. 62.

varias ediderit, publiceque ventilaverit, *Theses pro veritatis causa*, ex ejus ad *Ge. Spalatinum* scripta patet Epistola (a) Quid? quod, statim atque Eccius suas adversus Lutheri de Indulgentiis Theses publicasset, *Carolostadius* Lutheri thesium defensionem in se susceperit, eumque in finem, & *Positiones, sive, Conclusiones Apologeticas* (b) ediderit, & *defensionem adversus Eccii Monomachiam*; (c) Quibus eodem anno 1518. accesserunt *Primitiæ*, de quibus ita LOESCHERUS, (d) *Permulta*, inquit, *inibi deprehenduntur egregia; cumprimis adversus Semipelagianismum Doctorum Scholasticorum, quo tum fermè obruta erat Ecclesia doctrina.* Sed & *Augustini* librum *de Spiritu & Litera*, jam tum in Lectionibus Academicis frequenti auditorio exposuisse Carolstadium nostrum, testatur LUTHERUS. (e) Uti quod sequenti anno 1519. Libellum ediderit, vel imagines potius ligno incisas, atque impressas, quæ duos repræsentabant *currus*, alterum, recta ad cœlum pergentem, alterum in Scholasticorum Doctorum, quibus præ reliquis illam *de Libero arbitrio* doctrinam exprobrat, devia incedentem, notum est, quibus eodem anno subjuncta quædam est *Explicatio*, lingua Germanica, in qua equidem non semel quam in Mysticorum libellis multus fuerit ipse, prodit, cum in aliis tamen veritatis quoque in se suscipiat patrocinium: Atque ita ad ipsum *Colloquium Lipsiacum* est deventum, de quo cum distinctius nobis sit agendum, hic cum Carolostadio nostro paulisper moram nectere juvabit.

§. C. Erat inter præclaros Lutheri & Fautores & Amicos, inprimis GEORGIUS SPALATINUS, de quo, quis qualisve fuerit, pauca sulummodò indicamus; Natum hunc nobis dedit *Spalatum*, Norici Veteris oppidum, quod Lichtenhavia fluvio alluitur, in ditione Episcopatus Aichstetensis, ubi A. 1482. ex honestis parentibus prognatus, cum admodum puer

 esset,

(a) vid. OLEAR. in Scrin. Antiquar. n. VI. p. 8. & LOESCHER. Docum. Reform. Tom. I. p. 846.
(b) Quas LOESCHERUS inseruit Docum Reform. Tom. II. p. 78-104.
(c) Quam & ipsam LOESCHERUS inseruit l. c. p. 108. sqq.
(d) LOESCHER. lib. cit. p. 171.
(e) LUTHER. Epist. A. 1518. data Tom. I. fol. 48.

esset, in ludum literarium Noribergensem, tum temporis celebrem, est missus, ut literarum studiorumque rudimenta caperet, quæ is deinceps Erfordiæ & Witenbergæ magis magisque excoluit, uti is jam in ipso Academiæ Witebergensis natali Anno 1502. Philosophiæ & liberalium artium est renunciatus Magister, tum viginti annorum juvenis. Quando brevi post, amicorum suasu in Academia *Erfordiensi* Jureconsultos iterum audivit, à quibus tamen plenarium quod fecerit secessum, quando se Theologiæ mancipavit totum, constat; Ita ut cum debitam sibi in sacris peritiam conciliasset, jam A. 1507. ad Ministerium sacrum, *Hohenkircha*, qui ad radices sylvæ Thuringiæ pagus est, fuerit vocatus; Ubi, cum primum laborum sacrorum exegisset biennium, is A. 1509. *Friderico* Saxoniæ est commendatus, qui eundem institutioni Principis *Johannis Friderici* præficeret, quod ipsum munus eundem 1511. *Ottoni* & *Ernesto* quoque, Ducibus *Brunsvico Luneburgensibus*, quos Ecclesiæ purioris deinceps in Ducatu Luneburgensi restauratores fuisse constat, præstitisse, in ejus vita (a) refertur; Usque dum à *Friderico* Saxone ad Ecclesiastis Aulici, intimique Secretarii munia illustria iterum vocaretur, quæ quam multa cum laude obierit officia, jam inde, uti videtur, ab A. 1514. varia sunt, quæ evincunt; Adfuit is Electori in Comitiis 1518. Augustæ, 1519. Francofurti in electione Caroli V. 1520. Aquisgrani, & Coloniæ, 1521. Wormatiæ, variisque semper & gravissimis consiliis Evangelii causam, quam antehac latenter, deinceps, ab A. 1523. publice in se suscepit, promovit. Civitatis *Altenburgensis* vicinæque provinciæ & *Voigtlandiæ*, quâ Electori Johanni parebat, is omnium primus fuit constitutus ab A. 1525. Superintendens Evangelicus; atque cum Consiliarii Ecclesiastici quoque munere fungeretur, & Electorum Johannis & Johannis Friderici esset Historiographus, facile inde colligitur, quanta ejus fuerit authoritas, in rebus agendis peritia, & in dirigendis prudentia; Aderat is Johanni Electori A. 1526. Spiræ in comitiis, & 1530. Augustæ, itemque Johanni Friderico (b) ejus filio 1531. Coloniæ, 1532. Swin-

(a) vid. SLEGEL. Vit. Spalat. p. 13.
(b) Conf. SECKENDORF. L. I. §. VIII. add. VI. fol. 22.

Swinfurti 1534. ut & Cadani in Bohemia, aliisque in locis, tractatuum & negotiorum postea secutorum, fœderis maxime Smalcaldici occasione. Quod is inedita multa composuerit historica, jam notavit SECKENDORFIUS, quorum pars multa MENCKENII scriptoribus rerum Germanicarum est inserta, uti inter ejus scripta & *Annales Reformationis* (a) recenseri debent, quos E. S. CYPRIANUS lingua Germanica ante aliquot annos publicavit; Frequens præterea ipsi, cum Viris summis intercedebat commercium literarium, ut sic præ ceteris tres ERASMI extant ad Spalatinum literæ, in quarum prima A. 1519. data, is inter alia ita scribit: *se illum non solùm inter pracipuos amicos sed & inter patronos suos observandos habiturum esse, non perinde in chartis quam in pectore.* Ne jam de innumeris LUTHERI, quæ eum studiorum & humanitatis veluti communem patronum nobis sistunt, CAROLSTADII, MELANCHTONIS, aliorumque, literis quicquam dicamus, ex quibus, quam salus conditæ & novæ Academiæ, ab consiliis ejus potissimum pependerit, quamque in genere rerum ecclesiasticarum cura, ejus prudentiæ fuerit commendata, addiscitur. Concessit verò is fatis A. 1545. d. 16 Januarii, dum sexagesimum tertium agebat annum, atque hoc à *Joh.* STIGELIO, ornatus est Epicedio:

> *Ossa sub hoc recubant Spalatini frigida busto,*
> *Quem sua maturum fata tulere senem,*
> *Qui pure docuit verbum, mandataque Christi*
> *Candidus, & vera simplicitate pius,*
> *Officiumque suum morum pietate probavit,*
> *Hic urbs qua* veteri (b) *nomen ab* arce *tenet*
> *Artibus addictos, per quas doctrina paratur*
> *Juvit, & ingeniis verus amicus erat,*
> *Ipseque doctrina, rerumque instructus ab usu*

Cum

(a) Conf. SCHELHORN. Amœnit Literar. Tom. IV. p. 389. sq. qui & non pauca ex Diario ejus nobis excerpta communicavit lectu dignissima.

(b) Altenburg.

Cum gestis novit tempora quaque suis
Ad nostros referens priscis à Regibus annos
Saxoniæ scripsit fortia facta ducum,
Qui summam imperii tibi constituere, tuumque
Nunc quoque qui servant Theutona terra, decus,
Aspice, sincera qui te pietate colebat,
In gremiumque animam suscipe Christe tuum.

§. CI. Sed PHILIPPUM MELANCHTONEM, illum communem Germaniæ Magistrum, &, cui tantum, quantum ferme alii nemini, debet ipsa cum Religionis, tum ceterarum artium ac disciplinarum Reformatio, silentio hic præterire nefas esset: Is Brettæ in Palatinatu inferiori natus A. 1497. d. XVI Februarii, atque proprio nomine *Schwartz erde*, quod Græcè translatum *Melanchtonem* nobis refert, appellabatur: In Heidelbergensi atque Tubingensi Academiis cum enutritus esset, præcoci admodum ætate Juvenis, annorum XVIII. in Tubingensi Oratoriam publice est professus, ibique Virgilium, Terentium, aliosque Authores explicavit, simul verò etiam Typographiæ cujusdam publicæ curam in se suscepisse dicitur: Is verò cum jam Ingolstadiensi Academiæ negatus esset, consilio Reuchlini (a) A. 1518. à Friderico Saxoniæ Electore ex Academia Tubingensi (b) vocabatur Wittebergam, ad docendas Græcas literas: Idem vero REUCHLINUS, cognatione ipsi junctus, ipsi Author erat, ut conditione oblata uteretur, ac in literis ad Philippum inter alia sic scribebat, (c) vaticinans: *Ecce adsunt literæ piissimi Principis, manu ipsius subsignatæ, quibus pollicetur tibi beneficum & propitium se fore. Quare nunc haud affabor te poëtice, sed vera utens promissione, Abrahamo fideli facta: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero:*

(a) v. REUCHLIN. Ep. ad Frider. Sax. apud Seckend. L. 1. §. 34. p. 44.
(b) vid. SCULTET. Annal. p. 24. & 25.
(c) vid. integram Epist. in tertio libello epistolarum *Eobani* HESSI per Camerarium editarum epist. 8.



PHILIPPUS MELANCTHON, GERMANIÆ PHOENIX

Corpore parvus erat, sed maximus arte Philippus,
Quam bene Germanis sic Philomela fuit.

ro: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Hæc Geneseos 12. *Ita mihi præsagit animus, ita spero futurum de te, mi Philippe, meum opus & meum solatium.* Hactenus Capnio.

Discedente Philippo Tubingâ, Simlerus præceptor, vir eruditione præstans, deplorandum esse toti civitati ejus abitum, dixit, & subjecit: *Quotquot ibi essent docti homines, non esse tam doctos, ut intelligerent, quanta esset doctrina ejus, qui inde evocatus discederet.* Venit autem Wittembergam d. 25 Augusti, qui fuit dies Mercurii, Ætatis anno 22.

De Philippo ita Lutherus ad Spalatinum: *Habuit orationem quarto die postquam venerat, planè eruditissimam & tersissimam, tantâ gratiâ & admiratione omnium, ut jam non tibi id cogitandum sit: quâ ratione eum nobis commendes. Abstraximus citò opinionem & visionem staturæ & personæ, & rem ipsam in eo gratulamur & miramur.*

Et aliâ Epistolâ ad eundem: *Philippum Græcissimum, eruditissimum, humanissimum, habe commendatissimum. Auditorium habet refertum auditoribus: inprimis omnes Theologos summos, cum mediis & infimis, studiosos facit Græcitatis.* Et, ad Joannem Langum: *Eruditissimus & Græcanissimus Philippus Melanchthon apud nos Græca profitetur, puer & adolescentulus, si ætatem consideres, ceterùm noster aliquis, si varietatem, & omnium ferè librorum notitiam spectes: tantum valet non solum in utraque linguâ, sed utriusque linguæ eruditione. Ebræas quoque non incognitas habet literas.*

Erasmus ad Oecolampadium hoc anno. *De Melanchthone & sentio præclarè, & spero magnificè, tantùm ut eum juvenem nobis Christus diu velit esse superstitem. Is prorsus obscurabit Erasmum.*

Reliqua *Erasmi, Petri Mosellani, Jac. Sadoleti* Cardinalis & aliorum, de Philippo testimonia, jam ab illustri SECKENDORFIO (a) sunt adducta, & conscripsit ejus Vitam JOACHIMUS CAMERARIUS ita diligenter & ornatè ut ipse THUANUS, (b) non solum testetur, ejus lectionem fuisse sibi

 ju-

(a) SECKENDORF. l. c. p. 43.
(b) v. THUAN. Hist. l. XXVI. §. XXVI. Tom. II. p. 73. edit. noviss.

jucundam, ſed &, ut ab iis, qui eccleſiæ paci conſultum cupiunt, ea cognoſcatur, utile exiſtimet. Faviſſe eum jam inde ab initio cauſæ Lutheri, atque deinceps ita firmiter eidem adhæſiſſe, ut altera Lutheri manus diceretur, notum eſt, quamvis etiam Luthero, leniorem atque placidiorem haberet indolem, ut tantùm non omnes, quotquot unquam confectæ fuerunt, confeſſiones publicas, ob αγχινοιαν, & ſingularem artem multa paucis tradendi ſcribendas ipſi commiſerit (a) Lutherus: Supervixit is Doctori ſuo per quindecim ferme annos, atque A. 1560. ſtatus præſentis pertæſus, quod imprudenti magis & flagrantiori quam par erat Zelo, quam prudenti moderatione, ipſas cumprimis inter Proteſtantes controverſias ferri videret, atque ipſe à propriis non ſemel, indignis modis laceraretur diſcipulis, animam Deo reddidit, inter cujus ultima verba, quæ eum verè Ειρηνοποιον nobis ſiſtunt, & hæc fuerunt: *Una mihi cura eſt, una ſolicitudo, ut eccleſiæ ſint in Chriſto Jeſu concordes. Si me jam Deus evocaverit ex hac vita, liberabor ab inimicis plenis odio ſophiſtico, & mendaciis hoc monſtroſo anno natura.* De ſcriptis ejus, *Locis Communibus*, *Conſiliis Theologicis*, *Declamationibus variis*, *Epiſtolis* præcipue, aliiſque ingenii monumentis, quæ is poſteritati reliquit, dicere ſuperſedemus, quod ea nota ſunt omnibus:

§. CII. WENCESLAUS LINCCUS, ætate pariter, (b) atque laboris in inſtauranda domo Dei, periculorùmque ſocietate Luthero ſemper conjunctiſſimus fuit. Is Colditii in Miſnia A. 1483. vitales primum auras hauſit, atque adoleſcens Auguſtinianorum ſectæ in cœnobio Miſnico Waltheim dicto, nomen dedit. Deinceps, A. 1511. ad munus publice ad populum ſacra verba faciendi, in cœnobio Auguſtinianorum Witebergenſi vocatus eſt, idque jam tum ita dicitur, exſecutus eſſe, ut ſpretis hominum commentis, ſuperbaque virtutis & religionis jactatione

(a) Quæ forte res ridiculo Varillaſii errori dedit anſam, quo is refert *Philippum per aliquot* annos *Lutheri fuiſſe Secretarium*, notante SECKENDORFIO l. c. p. 44

(b) Sic Lutherus Ep. T. 1. Ep. 66. *Eum dulciſſimum* appellat *fratrem, qui ab ineunte ætate pari ſecum ſtudio adoleverit*, atque alibi, eundem *ſuum*, dicit, *in omnibus calamitatibus ſocium.*

ne ad Christum regia via duceret, eique quam posset plurimos adjungere sedulò studeret, quando & Staupitii & Lutheri gaudebat familiaritate ac amicitia. Sed is deinceps Theologiæ Doctor creatus, atque cœnobii Prior factus, ob pietatis eruditionis & facundiæ laudem à variis est expetitus; suamque operam primò Bavaris *Monachii*, deinceps A. 1518. *Norimbergensibus* addixit, ut ne dicamus, de officiis atque dignitatibus in ipsum ab ordine Augustiniano delatis, quippe qui & A. 1520. unanimi fratrum consensu in locum decedentis *Staupitii* Vicarius Ordinis Generalis est renunciatus, (a) in quo officio is, uti cœtus fratrum diligenter invisit, ita simul expurgandis erroribus operam navavit, uti ad Linccum nostrum præcipue referenda sunt, quæ, uti deinceps videbimus, A. 1521. Witebergæ in *Synodo Augustinianorum* de *Votis Monasticis* & *Missa privata* abroganda, sunt statuta (b). Fuit is dein *Altenburgensis* primò, deinceps cum se vicariatu abdicasset, atque totum se mancipasset Evangelio, Reformator *Norimbergensis*, unà cum *Thoma Venatorio* & *Wolfgango Volprechto*, Ut inde ab A. 1525. Norimbergensibus manserit addictissimus, atque non tam scriptis, quæ pauca edidit, quam doctrina & consiliis præclare rem sacram administraverit ac promoverit, gratus Viris illustribus *Bilib.* PIRCKHEYMERO *Hieronymis* EBNERO & BAUMGARTNERO, itemque *Lazaro* SPENGLERO, aliisque ejus Reip. Proceribus, & eruditis hominibus Ph. MELANCHTONI, *Joach.* CAMERARIO, Eob. HESSO aliisque, inprimis verò *Martino* LUTHERO, familiaris, quod ex commercio literario (c) colligitur, quod ipsi cum viris hisce summis intercedebat. Cæterum is laborum satur A. 1547. cum civili bello flagraret Germania, & ipsa res Evangelica in ultimum videretur

(a) vid. Epist. Luth. T. I. Ep. 191.
(b) Ep. Luth. T. II. pag. 9. & 10. it. Opp. Jenens. Lat. Tom. II. fol. 496.
(c) Qui LUTHERI Epistolas tractarunt, non ignorant quam earum multæ eæque admodum familiares ad *W.* LINCCUM sint scriptæ, uti variorum ad eum datas Epistolas singulari studio edidit Coburgi 1708. 8. A. M. VERPOORTEN, præmissa ipsius *Lincci* Vita.

tur redacta discrimen, annos natus fere 65. spiritum Deo reddidit, estque Norimbergæ, quod mortale erat, repositum, cum insculpto lapidi hoc Monumento (a)

Auctorem vitæ, dum viveret, atque salutis
Asseruit, docuit, glorificavit, habet.

§. CIII. *Johannem* BUGENHAGIUM Pomeranum, pereximium ipsius *Pomeraniæ*, Urbium porrò *Lubecensis, Brunsvicensis* & *Hamburgensis*, totius denique *Regni Daniæ* Reformatorem, hic præ omnibus commemoramus. Fuit is A. 1485. d. 24 Junii natus in oppido Julino (vulgo *Wolin*) quod non procul à Sedino est, ubi Viadrus in lacum illuit, qui in Oceanum se deinceps effundit: In ludo literario patriæ atque in Academia Gryphiswaldensi cum in doctrinarum studiis, uti ea ferebant tempora, informatus esset, isque adolescens, scriptis inflammatus Hegii, Rudolphi Agricolæ, Hermanni Buschii & aliorum, quibus superiorum temporum solœca corrigebantur, & juventus ad diligentiam rectius loquendi revocabatur, Græcæ in super Linguæ initia tradebantur, eratque veluti aurora doctrinarum (b) miro discendi amore flagraret, ut tam veteres cupide legeret authores, quam se quotidie vel soluta vel ligata oratione quædam conscribendo exerceret, factum est, ut Annum vicesimum vix egressus, jam scholæ Treptensi magno cum discentium fructu præficeretur: Tum is sacrarum literarum cumprimis studium suscipere, atque ut in doctrina Evangelica informaretur, omnem navare operam, legendo præter Scripturam, Hieronymi atque Augustini enarrationes, itemque varias Erasmi lucubrationes, quæ monachorum taxant histrioniam, & statuarum adorationes ethnicis similes. Et dicitur is tum hanc tenuisse regulam (c) *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, atque intellexisse, Deum nolle coli histrionia externorum gestuum, sed virtutibus & operibus, quæ præcepit, sicut inquit: *In præceptis meis ambulate:* Ut igi-

(a) v. SECKENDORF. l. 1. p. 308.
(b) vid. SECKEND L 1. §. cx. p. 182.
(c) vid. SECKENDORF. l. c. cujus hæc sunt verba fol. 182. b.

igitur alios ad veram quoque pietatem flecteret, enarravit in schola Matthæum, Epistolam ad Timotheum utramque, & Psalmos, adjuncta Catechesi, in qua symboli & decem præceptorum erat explicatio, ac verus Dei cultus monstrabatur, rejectis falsis. Hæc docendi ratio tam accidit grata illis temporibus, ut ad eum audiendum confluerent & cives, & sacrificuli, & monachi, qui non erant ἄθεοι. Quanquam autem Scholæ tunc præerat nondum sacris initiatus, autores tamen ei amici fuerunt, ut in templo concionaretur, eoque fine collegio presbyterorum fuit adjunctus. Placuerunt piis ejus conciones; & multum profuerunt: ac magis magisque fama doctrinæ ipsius disseminabatur. Habebat inter auditores multos adolescentes, equestri natos ordine, & expetebatur a nobilibus, præsertim eruditis, ejus consuetudo; quibuscum jam de ecclesia, jam de literis, jam de patriæ rebus fuit collocutus. Hi ergo hortati eum sunt, *Patriæ* colligeret *Historiam.* Hanc ad rem, cum & sumtus & principis mandatum requireretur, aulici ad Bogislaum principem deferunt, qui, audita eruditione & virtute viri, præsertim cum & Spalatinus, *Chronicon ducum Saxoniæ* colligere jussus, per Bogislai filium Barnimum, studiorum causa tum Wittenbergæ agentem, genealogiam & res gestas ducum Pomeraniæ peteret, benigne annuit, mandavitque, ut monumenta vetera in aula conquirerentur, ipsum autem Bugenhagium jussit in collegiis & monasteriis scrutari historias, inspicere literas, ac sumtibus instruxit. Hoc in labore, cum biennium consumsisset, seriem principum, bella, res gestas, ecclesiarum constitutiones, & alia ordine prudenterque descripsit. Liber adhuc (a) in aula dicitur adservari, & tum a principibus, tum a consiliariis frequenter legi; inque eo non solum diligentia & fides ejus probata est, iis qui legerunt, sed etiam operis forma atque oratio. Cæterum purior Evangelii Veritas ei hac occasione illuxit. Anno millesimo quingentesimo & vicesimo exeunte, *Otho Slutovius,* patricia illius oppidi familia natus, Inspector Ecclesiæ Treptoviensis, cum Bugenhagium rectorem Scholæ, & collegas illius convictores aleret; librum LUTHERI de *Captivitate Babylonica*, recens ab amico

 Lip-

(a) Quum scilicet hæc scribebat SECKENDORFIUS l. c.

Lipsia missum, ad mensam attulit, ac Bugenhagio, cujus præ cæteris ingenium & judicium, doctrinaque in lectionibus & concionibus probabatur, perlegendum tradidit. Hic mox, paginis aliquot inter cœnandum perlustratis, præcipitata sententia, *multos a passo Christo Salvatore hæreticos Ecclesiam infestasse, ac duriter exercuisse; sed nullum ejus libri autore pestilentiorem unquam exstitisse* pronunciat: commemorans, quæ adversus recepta ecclesiæ dogmata ab eo adsererentur. Post aliquot dies, libro attentius lecto ac relecto, singulisque accuratius pensitatis, reversus ad collegii sodales, & palinodiam canens: *Quid ego vobis*, inquit, *multa dicam? Universus mundus cæcutit, & in Cimmeriis tenebris versatur: hic vir unus & solus verum videt.* Ac singulis libri illius capitibus diligenter disputatis & defensis, plerosque in suam adduxit sententiam; adeo ut collegæ Pastoris *Johannes Kyrichius & Joan. Lorichius* (qui ad extremam senectam Ecclesiæ illi deinceps servivit) cum Diacono, qui vicini cœnobii Belbugensis monachus erat, *Christiano Kettelhut*, nec non Abbas ipse *Johannes Bodelwinus*, publice Papatus præstigias detegere, & a superstitionibus atque abusibus traditionum humanarum, ad unicum Christi meritum auditores traducere, magno zelo instituerent. Legit ergo attentius scripta Lutheri Bugenhagius, & vidit ibi perspicuum discrimen legis & evangelii: vidit justitiam fidei melius exponi, quam ab Origine vel a Thoma: vidit congruere Augustini & Lutheri sententias, ac enarrationem ejus probavit: hancque consolationem populo copiosius declaravit, deliramentis monachorum liberius refutatis.

Animo itaque in ipsa doctrina Evangelica ita confirmato, factum est, ut, cum Principis animus, hypocritarum quorundam opera videretur alienari, is patriam relinquendo Witebergam se reciperet, paulo antequam Comitia celebrarentur Wormatiensia, quo cum Lutherus abiisset, atque deinceps in eremo reconditus esset, BUGENHAGIUS *Psalmos* publico exponere commentario est aggressus, idque in frequentissimo auditorum numero, inde tribus annis post, A. 1524. ille emersit præstantissimus, qui etiam nunc doctorum manibus volvitur, in Davidis Psalmos Commentarius, in quo totam ferme reclusit is doctrinam Evangelicam; Quum vero

verò Lutherus in ista sua solitudine ingens Versionis Biblicæ adornandæ opus animo volutaret, quod deinceps ab eo perfectum novimus, tum is inter alios hujus sui operis adjutores habebat Justum JONAM, Philippum MELANCHTONEM, Mathæum AUROGALLUM & ipsum hunc nostrum BUGENHAGIUM Pomeranum, qui præterea A. 1522. Ecclesiæ Witebergensis, Lutheri suasu, Senatusque Academici & oppidani suffragiis declaratus est Pastor, cui, per 36 annos summa cum fide, adsiduitate & laborum tolerantia, auditorum verò ædificatione præfuit, dum intereà, nec aliis deesset, quin potius, à variis & Principibus & Rebuspublicis, ad constituendas atque in ordinem redigendas ipsorum res Sacras, quod in hujus operis progressu videbimus, evocaretur, quanquam ubi eas constituisset, ipsa semper Witeberga, & receptaculum ipsi erat, & laborum officina: donec A. 1558. d. 20. Aprilis, in Domino, dictum illud identidem repetendo: *Hac est Vita aterna, ut Te cognoscant solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum*, placide ex hac vita decederet, (c) Præter Commentarium in Psalmos, is quoque in Epistolas ad Galatas, Ephesios, Philippenses & Colossenses, porro in utramque ad Thessalonicenses & ad Timotheum, itemque in eam ad Titum & Philemonem, denique in eam quæ ad Hebræos est data, commentatus est, variaque alia minoris momenti scripta reliquit.

§. CIV. JUSTUM sive *Jodocum*, quod verum ejus nomen erat, JONAM huic jungimus, Northusanum, A. 1493. natum, atque per omnem vitam, Lutheri amicum, & in Reformationis opere

(a) Est notabile Lutheri de hoc opere testimonium: *Audeo dicere à nemine (cujus extent libri) esse Psalterium David explicatum, esseque hunc Pomeranum primum in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur. Adeo cæteri fere omnes tantùm opinionem quisque suam eamque incertam in hunc pulcherrimum librum congesserunt. Hic verò judicium Spiritus certum te docebit mirabilia.* v. LUTHER Epist. T. II p. 241.

(b) Characterem Bugenhagii nobis dedit *Melch.* ADAMI in Vit. Theol. Germanor. fol. 153 a. b.

(c) Ad ejus imaginem in templo Parochiali Witebergensi à Ph. MELANCHTONE adscripta est elegia, quam habet VINCENTIUS in Vitæ Bugenhagii descriptione p. 38, 39.

opere collegam: Is cum prius Jurium scientiæ se consecrasset, mutato deinceps consilio, sacræ se disciplinæ tradidit: Et cum ejus studia Theologica in ipsum illud tempus inciderent, quo vetus doctrina restaurari cepit, is statim huic negotio favere, seque Lutheri comitem sistere, quin & cum Erasmo amicitiam stabilire, qui jam A. 1519. testabatur (a) *se ex oratione moribusque ejus, demum & oris lineamentis habituque, mentis simulacrum conjecisse...* atque addit: *Deum ad munus* Evangelicum *tot egregiis dotibus eum instruxisse, pectus ipsi dedisse vera pietatis amore flagrans, linguam eruditam, ad dissipandum evellendum & plantandum &c.* Fuit is saltem jam ab A. 1521. collegiatæ Ecclesiæ Witebergensis Præpositus, & eodem anno Doctoris titulo condecoratus, quando & Wormatiæ, Luthero causam in comitiis coram Imperatore dicenti, continenter adfuit (b): Nam & inter eos erat Jonas, qui Luthero in Opere Biblico fidelem præstiterunt (c) operam, quique, cum Lutherus in arce Wartburgensi seclusus esset, sub anni 1521. finem, Reformationis Witebergensis Opus, una cum reliquis collegis & suscepit & promovit, abrogatione (d) Missæ privatæ &c. uti, cum Princeps Elector Saxoniæ ne ea res motus excitaret majores, metueret, ipse cum collegis ac delectis Electori rationem ejus rei reddidit, utque in ipsorum facto, quamvis tunc insolenti & periculoso, Princeps acquiesceret, effecit: Interfuit autem Jodocus, qui & Theologiæ Professorem agebat in Academia Witebergensi, noster, deinceps omnibus fere qui religionis causa instituti sunt Conventibus, suoque loco, & veritatem tueri, & pacem stabilire si qua posset, prudenter annisus est: Sic colloquio quod Marburgensi, Lutheri interfuerit comes, atque etiam in Comitiis Augustanis A. 1530. quod religio-

(a) Sic extant ERASMI ad Jodocum Jonam Epistolæ prorsus egregiæ & bona fruge plenissimæ jam A. 1519. 1520. & 1521. n. 431. 435. 443. 572. datæ.

(b) v. ERASM. Epist. fol. 639.

(c) v. SECKEND. l. 1. §. CXXV. 3.

(d) v. ADAM. Vit. Theol. Germ. fol. 125. it. SECKENDORF. L. I. §. CXXX. add. 1. fol. 216.

gionis negotium adjuverit, deinceps videbimus, quando & quomodo A. 1539. Civitatis Lipsiensis Reformatio per ipsum fuerit promota, indicabitur, uti is ab Henrico Duce, eodem anno Visitator est constitutus Ecclesiarum Misnicarum (a) unà cum G. Spalatino, Melchiore à Creuzer, & Johanne à Pack. Cæterum is A. 1541. Halas est vocatus Halensium Superintendens, ab ipsis Halensibus, quos eapropter vehementer increpavit Albertus Moguntinus, quanquam deinceps exorto bello Smalcaldico A. 1547. inde abire jussus, in ducatu Coburgensi fortunarum suarum invenerit sedem. Lutheri quod fidus fuerit parastata, vel patet ex eo quod LUTHERUS non solum in ejus gremio obdormiverit Islebiæ A. 1546. sed &, quod is de ejus morte (b) ad Electorem scribere Epistolam, atque cumprimis, ipsius Lutheri Exsequias solenni parentatione celebrare voluerit. Obiit A. 1555. d. 9. Octobris, atque ab Adamo SIBERTO hoc ornatus est Epitaphio. (c)

Sepulcri venerare marmor hujus,
Quo Jonas cubat ille Justus: ingens
Musarum decus, eruditionis
Sincerus pietatis & magister:
Hunc Northusa dedit, docentis ora
Est miratus & approbavit ipse
Lutherus: dolet ac gemit paterque
Albis, Sala paterque, flent ademtum
Omnes judicii elegantioris,
Et bonique viri piique, cælo
Ille, colloquio Dei, receptus
Et Christi fruitur beatus ore.

Inter Scripta ejus extant *Annotationes in Acta Apostolorum*, itemque Defensio pro conjugio sacerdotali, adversus *Johannem Fabrum*, scortationis patronum &sim.

Ii §. CV.

(a) vid. SECKEND. L. III. §. LXXII. n. 12. fol. 220.
(b) v. SECKENDORF. L. III. §. CXXXII. fol. 636. & §. CXXXV. fol. 644.
(c) v. ADAM. Vit. Theol. Germ. fol. 126.

§. CV. Sed ad *Lipsiensem Disputationem* A. 1519. ut advertamus animum, necesse est: Qui enim primus & præcipuus apud Germanos Papæ hyperaspistes JO. ECCIUS, Lutheri Theses de Indulgentiis, Obeliscis suis adortus erat, exindeque contentionis serram jam cum Luthero & Carolostadio reciprocabat, Lutherumque etiam Augustæ Vindelicorum coram Cajetano differentem præsens auscultaverat, tantum adhuc sibi & dicaci suæ loquacitati fidebat, ut omnes Wittebergæ exortas lites, hac se disputatione diremturum persuasum haberet. Carolostadium itaque non minus quam Lutherum, ad certamen inter præsentes ineundum provocarat aliquoties, cui etiam Georgius Saxoniæ Dux, obnitentibus frustra Academia Lipsiensi, & Adolpho Merseburgensium Episcopo, adeo in Lipsiensium arce, Pleisenburgo locum faciebat, (a) ut stato die, Jo. Eccius, cum suis ex Ingolstadiensi, Carolostadius autem Lutherusque, cum Barnimo Pomeranorum Duce, Melanchtone, & aliis nonnullis è Witebergensi Academia Lipsiæ adessent. Incipiebant certamen Eccius & Carolostadius d. 27. Jun. idque statis horis, in conspectu magnæ & illustris multitudinis ad d. 4 Jul. continuabant, quo demum die impetratis à Georgio Duce salvi conductus literis, in Carolostadii locum succedebat Lutherus, causamque eodem modo contra Eccium per integros decem dies tuebatur, usque dum Carolostadius d. 14 Julii iterum cum Eccio congrederetur, ac sequenti die finem toti Disputationi imponeret. Erant primariæ hic CAROLOSTADII partes, uti Acta à LOESCHERO edita manifestum faciunt; Is enim cum Eccio, ita de libero arbitrio, videlicet, ut illud se habeat erga opus hominis salutare, egit, ut, cum Eccius urgeret, quod Deus equidem *totum* in homine per gratiam opus bonum operetur, sed non *totaliter*, Carolostadius & tum & in sequentibus aliquot scriptis ostenderet, causam effectivam bonitatis, quæ requiritur, ut opus in fide Deo placeat, Deum, & *totam* ab initio maxime *totaliter* esse, quamvis postea & ipse homo agat, ita tamen ut coopera-

(a) Ita doctiss. HAHNIUS in Hist. Sacror. à Luthero emendatorum p. 39. & 40. totam hanc nervose admodum nobis enarravit causam.

tio hominis post primam gratiam in causarum ordinem atque gradum non sit evehenda, cum venerationi, quam homines Deo debent, conveniat, ut pro passivo & non meritorio habeatur, quicquid homo in gratia præveniente & adjuvante agit; Quam thesin Carolostadius, exemplo Christi non à se loquentis, precibus Ecclesiæ publicis, & primorum Patrum dictis confirmabat, atque ad ea loca, (a) quæ aliud innuere videantur, commodas desiderabat Interpretationes; ECCIUS verò cum contrà niteretur, atque etiam ne ex libris disputaret Carolostadius, instaret, tandem suis tamen ipse irretitus verborum formulis, *in fine subdolus homo* (b) *omnia concessit quæ Carolostadius, arguebat, quæ tamen* (antehac) *fortiter oppugnarat, & omnino per omnia cum eo consensit, glorificans, quod in suam sententiam pertraxisset Carolostadium:* In Carolostadio, Petrus Mosellanus (c) ipse præsens, modestiam voce, vultu, gestu, incessu declaratam laudavit, &, quod non ad ingenii gloriam, sed veri rectique inquisitionem disputaverit, quare nil, nisi adhibitis libris asseruerit, nil, ab adversa parte adductum, nisi sententiam ex præcedentibus & consequentibus collegisset, admiserit, cum Eccius ex adverso, clamore, vultu

(a) vid. SECKENDORF. L. 1. §. LVI. fol. 79. b. qui & peregregium Carolostadii monitum de authoritate Patrum nobis refert, quod ita se habet: *Volo lectorem diligenter libros authorum legere: neque tamen id statim illi persuasum esse, omnia quæ auctores dixerunt, utique esse perfecta. Adhibendum acre judicium, nam & labant aliquando & operi cedunt, & nonnunquam indulgent ingeniorum acuminibus, neque semper intendunt animum: nonnunquam ad commodum opinionum, quas tutantur, scripturas præter nativum sensum pertrahunt, aliquando defatigantur. Summi sunt, homines tamen. Accidit quoque iis, qui quicquid apud illos repererunt intelligendi legem putant, ut deteriora imitentur. Modeste tamen & circumspecte de tantis viris pronuncio, neque eos damno, sed delectum diverse sentientibus oppono, Imo in uno autore unum alio est receptius, & stylo & moribus ingenii congruentius, & deligenda suadeo, quæ lectorem non fallunt.*

(b) Hæc sunt LUTHERI verba in Ep. Tom. 1. p. 182. b. & apud Loescher. docum Reform. T. III. p. 236.

(c) vid. MOSELLAN apud Scultet. Annal. p. 39. uti altera quædam Mosellani de colloquio Lipsiensi ad Jul. Pflugium data Operi huic subjicietur. Num. XIX. conf. p. 191.

militari ac truci, gestu histrionico, & incessu impetuoso ferociter, omnia egisset. Confecta ita re inter Eccium & Carolostadium, ipse quoque LUTHERUS cum Eccio est congressus: Cum enim Eccius inter themata proposita, hoc postremum (a) posuisset: Eos, qui Romanam Ecclesiam affirment ante Sylvestri pontificis ætatem non fuisse primam & præcipuam omnium, errare: cum enim, qui Petri principis Apostolorum sedem atque fidem obtinuit, semper agnitum fuisse pro successore Petri, & Christi vicario in terris. Huic themati contrarium aliud promulgabat Lutherus, eos, qui Romanæ ecclesiæ principatum tribuant, niti solum frigidissimis pontificum decretis, quæ facta sint annis abhinc quadringentis: ea verò decreta esse contraria & historiis omnibus, ante annos mille conscriptis, & Sacris literis, & Concilio quoque Niceno, quod sit omnium maximè celebre. Ingressus ergò disputationem Eccius, illud suum thema postremum arripit, deque potestate Romani pontificis & primatu, disputationis initium esse voluit: verùm Lutherus, brevi quadam usus præfatione, demonstrat, argumentum hoc, quia valde sit odiosum, & non necessarium, se maluisse præterire, & id quidem Pontificis gratia: dolere autem sibi, quod ab Eccio sit eo pertractus, & cupere nunc suos adesse coram adversarios: graviter quidem se ab illis accusatum, quod autem cognitionem causæ nunc atque lucem defugiant, non recte ab ipsis fieri. Eccius quoque præfatus, ait, non se litem hanc excitasse atque turbam, sed Lutherum, qui & in sua illa thematum explicatione prima, negarit Pontificem Romanum ante Sylvestri tempora fuisse reliquis dignitate & ordine priorem: & apud Cajetanum affirmaverit, Pelagium pontificem ad suum arbitrium detorsisse multa Scripturæ loca: quod quum ita sit, omnem ejus rei culpam in ipsum esse conferendam. Prima igitur concertatio fuit de Romani pontificis Monarchia, quam Eccius jure divino dicebat institutam, & Lutherum dissentientem vocabat ***Bohemum***, eo quod ejusdem quoque sententiæ fuerat olim ***Joannes Hussus.*** Hanc criminationem a se removens Lutherus, ostendit ecclesiam

(a) vid. SLEIDAN. Commentar. Lib. 1. sub fin. p. m. 18. b.

am Christi longe lateque diffusam & propagatam fuisse viginti circiter annis ante, quam Petrus Romæ constituerit ecclesiam: hanc igitur non esse primam omnium aut præcipuam, jure divino. Quando simul ex Historia Seculorum XI. priorum, Scriptura S. & Concilii Niceni Actis evincebat, quemvis sacerdotem ex æquo Apostolis succedere, & tum culpæ tum pœnæ remittendæ facultatem habere, uti cumprimis illud urgebat quod Christus esset Ecclesiæ caput; Ephes. IV. & quod Cephas & Apollo tantum ministri Christi dicerentur, I Cor. III. urgente contra Eccio, authoritatem Cypriani, qui unitatem sacerdotalem ex cathedra Petri derivaverit, sed ostendente Luthero, quod, si Cypriani authoritate standum sit, primatus Pontificis prorsus sit casurus, id quod ex Canone Concilii Africani & aliunde probabat. Post verò etiam, aliud Lutheri thema de purgatorio, tum illa de indulgentiis, de pœnitentia, de condonatione culpæ, & pœnæ remissione, deque sacerdotum potestate, Eccius impugnavit, usque dum toti Disputationi, cui tres pæne hebdomadæ sunt insumtæ, finis imponeretur, resque ipsa non decisa referretur ad Academias *Erfurtensem* & *Parisiensem*, quarum altera, quod *Jo. Langus* vicarius ordinis Augustini Luthero faveret, votum detrectabat, (a) altera Parisiensis, demum A. 1521. Censuram suam propalavit (b) quam tamen ipse *Phil.* MELANCHTON primus omnium masculè sibi sumsit confutandam.

§. CVI. Quodsi verò jam de hujus Colloquii, quod deinceps varia alia peperit Scripta, Luthero & Melanchtone, de fide editorum à se Actorum hujus colloquii cum Eccio disceptantibus, ipsoque Eccio & Carolostadio, publicis libellis mirè se deformantibus, fructu dispicere velimus, equidem *Petri* MOSELLANI præcipuè hic in censum veniet judicium: qui *Ejusmodi* inquit, *contentionibus tres pene hebdomades consumta sunt, certo quantum mihi judicare licet, majori exspectatione quam fructu. Neque enim quidquam est decretum, neque ulla de re partes consenserunt.* GEORGIUS

(a) vid. SECKENDORF. L. I. fol. 39.
(b) vid. SECKENDORF. L. I. fol. 185.

GIUS certè Dux Saxoniæ (a) itemque HIERONYMUS (b) Episcopus Brandenburgensis, post hanc Disputationem adeo non Lutheri doctrinam sunt amplexi, ut vehementiori potius odio eandem sint prosecuti; Neque dubitari tamen potest, quin, cum ipse *Phil. Melanchton* tum Juvenis adhuc, atque novitius Academiæ Wittebergensis Professor, inter testes & spectatores hujus contentionis adesset, quippe qui interloquenti Eccius illud, *Tace tu Philippe ac tua studia cura, ne me perturba*, occinisse legitur (c) ipsi veritatis stimuli cor ejus pupugerint acrius, ipsumque certiorem reddiderint de veritate dogmatum à nostris propositorum atque ventilatorum, prouti is tum quoque statim ad *Johannem Oecolampadium* de hoc colloquio moderationis plenam quam huic Operi subjunctam lectori exhibebimus, (d) conscripsit Epistolam, quæ tamen, ut ipse simul huic controversiæ quae variis inter ipsum & Eccium reciprocatis scriptis est agitata, immisceretur, effecit; Cæterùm, nec id præteriri debet *Johannem Polyandrum*, qui Eccio amanuensis vicem præstiterat in hoc colloquio, finita disputatione, vi veritatis tactum, relicto Eccio, Lutherum fuisse secutum, atque postmodum in Prussia (e) Evangelium docuisse: Quid? quod magna Juventutis studiosæ, quæ Lipsiæ tum studiis navabat operam, pars, Lutheri dotes admirans relicta Lipsia Witenbergam (f) concesserit, atque etiam ii, qui Lutherum fuerant comitati, in ipsa veritate & confirmati fuerint & corroborati. Ne jam de BARNIMO quicquam dicamus Pomeraniæ Duce, qui tum studiorum causa Witebergæ versabatur, atque illius Academiæ Rector erat Magnificentissi-

(a) Ejus hoc fuerat verbum, cum Lutherus dixisset, non omnia quæ Hussitæ tradiderant esse rejicienda: *Das walte die sucht.*

(b) Eum dixisse refert Lutherus Epist. L. 1. ep. 118. & 121. *non reclinaturum se caput, nisi prius Martinum in ignem conjecerit sicut titionem istum, quem, hæc dicens, simul in ignem immisit.*

(c) v. Declamat Phil. Tom. v. p. 274. apud SCULTET. Annal. p 42.

(d) vid Document. Num. xx.

(e) v. Seckendorf. L. 1. §. LXII. add. 11. fol. 92. a.

(f) Seck. l. c. & J. H. Kraus. memorab. circa sing. increm. vel deciem. eccles. diss. 111. p. 35.

tissimus; is enim, quod vidimus, Lutherum Lipsiam proficiscentem secutus est, atque ut Lutherus in arce, coram ipso Principe concionaretur, effecit, indeque confirmatior longe rediit, prouti ipsa Colloquii Lipsiensis Acta, ejus in Theologicis eruditionem non vulgarem jam prædicant, referuntque inter Theologos Pontificios, huic Principi neminem (b) parem fuisse quandoquidem & sub ejus regimine sequentibus temporibus per totam Pomeraniam doctrinæ Reformatio est suscepta.

§. CVII. Commemorabantur autem in ipsa Disputatione Lipsiaca non semel ipsi Bohemi, ad conciliandam Luthero invidiam, quem Hussitam & Bohemum esse clamabat Eccius, cum Lutherus è contrario, illius nominis equidem calumniam a se conaretur amoliri, ut tamen etiam disertis verbis (c) *certissimum esse* affirmaret *inter articulos Johannis Hussi vel Bohemorum multos esse plane Christianissimos & Evangelicos, quos non possit universalis Ecclesia damnare;* Hujus itaque rei, ceterorumque à Luthero adversus Indulgentias susceptorum negotiorum nuncius, cum ad Bohemos, per ipsos, qui colloquio interfuerant Hussi assecias, quique jam tum Martinum maximum veritatis doctorem asserebant (d) non minorem Johanne Husso, esset perlatus, hi statim Praga ad ipsum Lutherum d. XVI. vel d. XVII. Julii dederunt literas, eumque adhortati sunt ad constantiam & patientiam, simul verò etiam, ut cautè suum velit peragere opus, admonuerunt, atque hanc esse Theologiam puram quam doceat, apertè professi sunt, addentes & hoc: *Sunt in Bohemia plurimi fideles Deo & Christi, qui te noctes diesque orationibus adjuvant. Tu modo ipse tibi non desis . . . . Mille nocendi habet Antichristus mores, insidiaturque, ut sagittet in obscuro*

(a) v. Ecc. ad Ingolstad. ap. SECKENDORF. L. I. fol. 86.
(b) v. SALIG. Hist. Aug. Confess. T. I. p. 22. & SECKENDORF. Hist. Lutheran. pag. 73. & p. 295.
(c) v. Loescher. Act. & docum. Reform. P. III. p. 369.
(d) Sic ipse Eccius Ep. ad Ingolstadienses scripta ap. Seckendorf. L. I. §. LX. fol. 85. *Aderant*, inquit *missi ex Praga Schismatici & Picardi, haeretici plurimi qui Martinum &c.*
(e) v. Opp. Lutheri Jenens. Lat. Tom. I. p. 366. & LOESCHER Act. & docum Reform. Tom. III. p. 649-652.

obscuro, rectos corde. Itemque illud: *Quod olim Johannes Huss in Bohemia fuerat, hoc tu Martine es in Saxonia. Quid igitur tibi opus? Vigila & confortare in Domino, deinde cave ab hominibus.* Neque huic Bohemorum, qui sub utraque vocabantur, atque post finitum tumultum Hussiticum & Basileensis Concilii tempora, utcunque tolerabantur, erga Lutherum favori quicquam derogavit, quod *Hieronymus Emserus,* (a) novus Lutheri antagonista, eundem apud ipsos Bohemos denigrare studeret, referens, vanam illam Bohemorum esse opinionem, ac si Lutherus doctrinæ Hussiticæ consentiret, aut eorum partes multum juvare vellet; Ipse enim Lutherus ejus hæc ipsa luculenter retudit conamina.

§. CVIII. Eo modo, cum sine ullo notabili progressu publico, (neque enim in cultu publico hoc anno mutatum aliquid esse reperimus,) *Annus decimus nonus* elaberetur, Lutherus tamen in explicandis libris sacris erat totus, eumque in finem suas *in Psalmos operationes* hoc anno cœpit, quas deinceps *Friderico* Saxoni dedicabat, (b) tum ob favorem, quem is & Academiæ & sibi exhibuerat, tum ob amorem, quem is erga S. Literas dicitur habuisse prorsus singularem; Sed eodem anno *Decalogus* à Luthero pro concione expositus, editus est Lipsiæ, in quo ad extremas usque species (c) ex. gr. omnium generum magiæ, similiaque peccata prohibita & recenset & refutat, estque inprimis multus contra cultum sanctorum tum maximè invocatorum, quorum præcipuos utriusque sexus, qui ut averrunci malorum & morborum quorundam colebantur, enumerat. Edidit tum quoque *Enarrationem epistolæ ad Galatas,* in quam præfatus, distinguendum esse docet, inter decreta Romanæ Ecclesiæ & Romanæ (d) Curiæ: quemadmodum in nuperis Comitiis Augustæ ipsi Principes distinxerint: cum recusarent decimas & vigesimas, & quinquagesimas in Concilio Romano sancitas. Ipsa verò illa Enarratio tanti fuit æstimata, ut in omnes ferme Europæ Christianæ lin-

guas

(a) v. SECKENDORF. Histor. Luth. L. 1. §. LXII. p. 86. & 87.

(b) vid. Seckend. L. 1. §. CLXXXIII. add. a. fol. 316. qui cum ex præfatione tum ex ipso opere nobis communicat excerpta.

(c) v. Seckendorf. Indic. III. ad ann. 1518.

(d) v. SCULTET. Annal. p. 43.

guas fuerit conversa, cum in ea non modò justitiam ex fide, discrimen legis & Evangelii, veramque Libertatem Christianam exponat, sed & Pontificis authoritatem nimiam, velut inferorum quandam tyrannidem perstrinxerit. Concionatus autem hoc anno quoque de gravissimis dogmatibus erat Lutherus, inter alia *de Eucharistia*, dixeratque, (a) *probari sibi aut desiderari, ut Ecclesia per Concilium universale statueret, ut in Sacramento Cœnæ, utraque, quam vocant, species populo non minus quam sacerdotibus exhiberetur:* Adversus hunc sermonem tum quoque publicatum, & ad eum supprimendum, episcopale tum ab Episcopo Misnensi Johanne à Schleiniz est editum decretum, quo error ille *de communione sub utraque* damnatus dicitur, & contraria consuetudo, æternæ damnationis, (b) inductiva, asseritur. Quid? quod, ipse Lutherus ob eundem Lipsiæ palàm traduceretur, quem in *Bohemia* dicebant *natum, Praga educatum & in Wiclefi libris institutum esse:* Imò verò, *Georgius* Dux illum sermonem nactus prolixas ad Fridericum Electorem d. 27 Decemb. 1519. dedit literas, in quibus non solum Bohemicæ hæreseos Lutherum accusat, sed & inter alia, *dici*, ait, *jam plus quam sex millibus* (c) *hominum auctum esse in Bohemia communicantium sub utraque numerum, post sermonis illius publicationem.* Ad hæc sub initium anni sequentis 1520. Elector Georgio Duci respondet: Causam Lutheri (d) nondum esse legitimè cognitam. Ad schedulam Episcopi Misnensis inhibitoriam Lutherus respondet, se probare utramque speciem, si Concilii generalis authoritate detur, interim obediendum esse, novissimi Concilii decretis: & Laicis *unam* tantùm *speciem* porrigendam, placere & illud, *esse eundem Christum* non partialiter, sed *integrum sub qualibet* seorsim specie tam panis quam vini. Contra alios adversarios probat, se non in Bohemia, sed Islebiæ in comitatu Mansfeldiæ esse natum.

§. CIX. Hæc omnia Lutheri scripta ad exteros propagata,

 at-

(a) v. Oper. Altenb. Tom. 1. f. 331. apud SECKENDORF. L. 1. § LXIV. fol. 94. & 95.
(b) v. Spalatini diar. ap. SCHELHORN Amœn. Lit. T. IV. p. 393.
(c) vid Seckendorf. l. c. fol. 95. a.
(d) v. SCULTETI Annal. ad A. 1520. p. 48. 49.

atque quaquavorsum dispersa, semen præbuerunt reformandis Ecclesiis, quod vel ex notabili *Des.* ERASMI ad *Lutherum* d. 30 Maji hujus anni 1519. data epistola (a) colligitur, quæ quod non nimis longa est, ut hic legatur, operæ pretium judicamus.
„ Frater in *Christo* charissime, epistola tua mihi fuit gratissima,
„ & ingenii argutiam præ se ferens, & animum spirans *Christia-*
„ *num.* Nullo sermone consequi queam, quas tragœdias hic
„ excitarint tui libelli: ne adhuc quidem ex animis istorum re-
„ velli potest falsissima suspicio, quâ putant tuas *lucubrationes*
„ meis auxiliis esse scriptas, méque hujus factionis, ut vocant,
„ vexilliferum esse. Existimabant quidam sibi datam ansam,
„ quâ & bonas literas opprimerent, quas capitaliter oderunt,
„ velut offecturas majestati Theologicæ, quam multi pluris fa-
„ ciunt quam *Christum:* simulque me, quem arbitrantur ad ex-
„ citanda studia nonnihil adferre momenti. Tota res vocifera-
„ tionibus est acta, temeritate, strophis, obtrectationibus, sy-
„ cophantiis, ut ni præsens hæc spectâssem, imò sensissem,
„ nulli unquam autori fuerim crediturus sic insanire Theologos.
„ Pestem fatalem esse diceres. Et tamen hujus mali virus à pau-
„ cis ortum, in plures serpsit, adeò ut magna pars hujus Aca-
„ demiæ non infrequentis, ejus morbi contagio lymphata ferre-
„ tur. Testatus sum te mihi ignotissimum esse, libros tuos
„ nondum esse lectos: proinde me nec improbare quicquam, nec
„ probare. Tantum admonui, ne libris tuis nondum lectis, ad
„ populum tam odiosè vociferarentur, id ipsorum referre, quo-
„ rum judicium oporteret esse gravissimum. Quin & illud per-
„ penderent, an expediret ea traduci apud plebem promiscuam,
„ quæ rectius libris editis refellerentur, aut inter eruditos dispu-
„ tarentur, præsertim cum uno ore vita autoris prædicaretur.
„ Nihil profectum est: hucusque insaniunt obliquis imò famo-
„ sis suis disputationibus. Quoties inter nos de pace convenit?
„ quoties illi ex temerè concepta suspiciuncula, novos tumultus
„ excitârunt? Et hi cum hujusmodi factis Theologi sibi viden-
„ tur. Est hoc hominum genus hic aulicis ferè invisum: quod
„ ip-

(a) vid. ERASMI Epistol. Tom. 1. Ep. 427. fol. 444. & 445.

„ ipsum mihi quoque imputant. Episcopos omnes habeo mihi
„ satis æquos, libris nihil fidunt. In solis sycophantiis victoriæ
„ spes illis sita est. Eas ego contemno, recti conscientiâ fre-
„ tus. In te redduntur aliquanto mitiores. Eruditorum cala-
„ mos fortasse timent, sibi malè conscii: quos ego sanè suis
„ pingerem coloribus, ut digni sunt, nisi me *Christi* tum do-
„ ctrina, tum exemplum, alio vocaret. Immanes feræ mansue-
„ scunt officiis, isti benefactis efferantur. Habes in *Anglia* qui
„ de tuis scriptis optimè sentiant, & sunt hi maximi. Sunt &
„ hic, quorum est eximius quidam, qui tuis favent. Ego me
„ quod licet integrum servo, quo magis prosim bonis literis re-
„ florescentibus. Et mihi videtur plus profici civili modestiâ
„ quam impetu. Sic *Christus* orbem in suam ditionem perduxit.
„ Sic *Paulus Judaicam* legem abrogavit, omnia trahens ad alle-
„ goriam. Magis expedit clamare in eos, qui Pontificum auto-
„ ritate abutuntur, quam in ipsos Pontifices: Idem de Regibus
„ faciundum censeo. Scholæ non tam aspernandæ sunt, quam
„ ad studia magis sobria revocandæ. De rebus receptioribus,
„ quam ut subitò possint ex animis revelli, disputandum est ar-
„ gumentis densis & efficacibus potius quam asseverandum.
„ Quorundam virulentas contentiones magis conducit contem-
„ nere quam refellere. Ubique cavendum ne quid arroganter
„ aut factiosè loquamur, faciamúsve: sic arbitror gratum esse
„ spiritui *Christi*. Interea servandus animus, ne vel irâ, vel
„ odio, vel gloriâ corrumpatur: nam hæc in medio pietatis
„ studio solet insidiari. Hæc non admoneo ut facias, sed ut
„ quod facis perpetuò facias. Degustavi *Commentarios* tuos in
„ Psalmos: vehementer arrident: & spero magnam utilitatem
„ allaturos. Est *Antverpiæ* Prior ejus monasterii, vir purè *Chri-
„ stianus*, qui te unicè deamat, tuus olim discipulus, ut præ-
„ dicat. Is omnium penè solus *Christum* prædicat. Cæteri fe-
„ re aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant. *Me-
„ lanchthoni* scripsi. Dominus *Jesus* tibi suum spiritum indies
„ uberiùs impartiat ad ipsius gloriam, & publicam utilitatem.
„ Cum hæc scriberem, tua epistola ad manum non erat. Vale.
„ *Lovanio*. Tertio Cal. Junias. Anno M. D. XIX.

Qua ex Epistola id saltem liquet, quod in urbe *Antverpiensi* Monasterii Prior, Lutheri discipulus, jam tum doctrinam Christi purè docuerit; Sed & in Helvetiam *Lutheri* scripta per *Joachimum* VADIANUM San-Gallensem, Virum prorsus eximium, illiusque Ecclesiæ Reformatorem, illata, unâ cum ipsis *Huldrici Zwinglii* Operibus, Evangelico negotio mirum in modum fuerunt proficua, & extat *Wolfg. Fabricii* CAPITONIS Epistola XII. Kal. Martii data, qua is suum pariter & aliorum, in Lutheri causam & personam, hunc in modum prodit animum: (a) *Helvetia & Rhenana regio ad Oceanum usque solidos amicos fovet Luthero, eosque potentissimos, neque omnino alienos à bonis studiis. Cardinalis Sedunensis, Comes de Gerordlseck, Episcopus quidam eruditus ac primæ honestatis, aliique ex nostris non pauci, cum nuper audierant te periclitari, non tantùm sumptum, sed etiam tuta loca pollicebantur: quibus aut latere, aut apertè degere posses. Cum peregrè constitutum fama prædicaret & summâ rerum difficultate laborare, fuerunt, qui per me submittere nitebantur largissimum sumptum, & submisissent utique. Verùm hoc vespere nuncium accepimus aureum: vivere Lutherium, & semper victurum. Deindè vidimus exemplum literarum Ducis Illustrissimi, & verè Principis ad D. Cardinalem. unde cognoscimus, quàm nihil opellâ nostrâ indigeas. Favore tamen si quid possumus, aderimus ubique. Monimenta tua junctim expressimus, sicut ex dono Frobenii* (b) *cognosces statim post nundinas Francofordianas, simulque per Italiam, Gallias, Hispanias, Angliam intra sesqui mensem bonâ fortunâ publicavimus, in hoc videlicet communi causæ consulentes, cui maximè consultum putamus, si veritas quam latissimè declaratur. Natura enim veri gratiâ vel invitum in amorem sui pellicit. Ignosce quod nuper monitus es ex sententia Erasmi, hoc est, quod noctuas Athenas intuli.*

In theatro Suevico, Urbe *Augusta*, jam tum *Johannem* OECOLAMPADIUM pro Theologi nominis dignitate sacrum Panegyristen egisse, & ut Theologicæ literæ, purè ac simpliciter doceantur, annisum fuisse, testatur *Philippus* MELANCH-TON

(a) apud SCULTETUM in Annal. Ref. ad A. 1519. p. 44.
(b) Conf. §. IV. pag. 7. & §. XCVIII. p. 234.

TON in illa de Colloquio Lipsiensi relatione, quam huic Operi subjunctam conspiciet Lector. (b)

In Creicovia & *Pfortshemii* purius Evangelium jam hoc ipso anno 1519. docere cœpit *Johannes* SCHWEBELIUS, sed grassante tum adhuc tyrannide Pontificia in illustrissimo Marchionatu Badensi, is patria ejectus, se ad *Franciscum* SICKINGIUM magnum illum Evangelicorum Patronum recepit, totius Bipontini Ducatus deinceps futurus Reformator, (b) de cujus Vita ac meritis in sequentibus recurret mentio.

§. CX. Diximus in superioribus (c) *Tigurinos*, de *Samsonii*, Indulgentiarum Pontificalium quæstoris impudentia apud *Leonem X.* Pontificem Romanum fuisse conquestos, eos verò tepidam tulisse responsionem, signatam A. 1519. prid. Kalend. Maji: Ea re factum est, ut tantò majori cum constantia, animique fortitudine causam Evangelii urgeret ZWINGLIUS, Scripturæ S. doctrinis inhærens, missis hominum commentis, atque nugivendulis ineptiarum quæstoribus, qui emungendorum nummorum causa magis, quam ut Christo lucrarentur animas, in scenam prodierant. Quid? quod ipse *Johannes* FABER, Vicarius Constantiensis, minime fidus tamen Evangelii assecla, hoc ipso Anno d. VII. Junii, illam institoris, à Tigurinis repulsam qui tulerat, impudentiam ita describat: (d) „ Quod ad N. Indulgen-„ tiarum cœlipotentem attinet, meus mihi genius præsagiit „ hunc eventum: neque enim tam frigidus circum præcordia „ sanguis obstitit, ut tam portentosas venias à sede Apostolica „ unquam profectas crederem. Quid aliud ejusmodi veniarum „ licitatores effrontes agunt, quam ut Ecclesia passim vel à Chri-„ stianis

(a) apud LOESCHER in Act. & Docum. Tom. III. p. 216. Conf. §. LVI. p. 120.

(b) v. SCULTET. Annal. p. 48. & Vita J. SCHWEBELII ejus Epistolis præfixa. Conf. §. LXXIII. p. 165.

(c) vid. §. LIX. pag. 126. 127.

(d) vid. Fabri hujus literas, quæ in Archivo Tigurino asservantur apud J. H. HOTTING. in H. E. Sec. XVI. T. II. C. III. p. 188. Cæterum ipsius hujus *Johannis* FABRI vicarii primò Constantiensis, deinceps episcopi Viennensis vitam singulari industria descripsit C. E. KETTNERUS Lips. 1737. 4. Conf. *Miscell. Groning.* Tom. II. p. 513. 514.

„ stianis irrideatur? „ Docebat autem, inter alia, tum Zwinglius: „ Remissionis peccatorum beneficium non debere acceptum referri (a) vanissimis Pontificum Indulgentiis, sed merito ac morti Christi, cœlumque ipsum nulla pecunia emi, sed „ vera in Christum fide recipi: „ Cujus doctrinæ fama, quum ad HUGONEM (b) Episcopum Constantiensem pervenisset, is literis ad Zwinglium, per eundem illum Johannem Fabrum vicarium suum datis, eum hortari: *ut quod feliciter cœperit, fortiter exsequeretur, atque absolveret, se nuspiam periclitanti defuturum.* Qua data occasione pulcherrima, ipse ZWINGLIUS ad Episcopum (c) debita cum reverentia respondere, atque expetere, ve-

(a) vid. HOSPINIAN in Histor. Sacramentar. P. II. p. 22. b.
(b) Conf. not. ad §. XLIX. pag. 105.
(c) Conf. quæ l. c. sunt dicta: Ipse ZWINGLIUS in responsione ad Valentinum Comparem Operum Tom. I. fol. 230. totam hanc rem ita enarrat: „ Hugo Constantiensis Episcopus, cum fama cognovisset me „ non intrepide nec oscitanter contra Papisticas indulgentias concionari, „ quas tum venales apud nos exponere cupiebat Samson quidam Franciscanus Monachus, literas ad me dedit per vicarium suum Johannem Fabrum, anno à Chr. nat. 1519. quibus hortabatur, ut quod cœptum „ erat, fortiter exsequi pergerem, se enim mihi bona fide affuturum, nisi „ ipsius vicarii chirographum (quod etiamnum penes me est) adulterinum „ sit, & inscio Episcopo ad me transmissum. Quid hic facerem, an non „ Episcopo Constantiensi obedirem? maximè, cum vicarii literas me „ hortantes accepissem, quæ vel tunc animum addere potuissent, etiamsi „ nihil antea adversus fictas illas & fraude plenas indulgentias à me fuisset „ tentatum. Post hæc publice simul & privatim supplicationibus debita „ reverentia & modestia conscriptis episcopi animum sollicitare cœpi, quibus hoc unum semper monui, & vehementissime hortatus sum, ut Evangelicæ veritati consentire dignaretur, quam tanto cum successu emergere videret, ut nullis consiliis & viribus impediri posset: simul & hoc „ monens, ut nobilissimæ Landenbergiorum familiæ hanc laudem & gloriam ceu propriam vendicet, ut ex se primum episcopum prodiisse gloriari possit, qui Evangelii prædicationem liberam in sua diœcesi permiserit. Sed quibus de causis rerum vices mutatæ sint, non novi. Qui „ enim primò currentem me crebris hortationibus incitabant, hi ipsi paulo „ post nulla responsione, & nullis literis me dignati sunt, nisi quod publice & in genere quædam ab illis vulgata sunt & conscripta, quæ tamen „ prio-

vehementissiméque urgere non destitit, ut vellet is Evangelicæ veritati amplius favere, & renascenti adesse, quam cerneret magno cum successu emergere: Uti non minus tum quoque apud *Antonium* PUCCIUM, Pistoriensem episcopum, atque Romani Pontificis apud Helvetios legatum, is hanc egit causam, atque plus semel disertis est professus verbis: Se posthac per sinceram Evangelii doctrinam omnibus modis regnum & errores Papatus impugnaturum, ut Verbi Dei & Evangelicæ veritatis lux postliminio in Ecclesia Christi luceat; Quod eundem fideliter quoque præstitisse eventus docuit, dum aurem adversus splendidas Puccii pollicitationes obturavit, suamque in Evangelio promovendo, & doctrina puriori, cui sua addixerat vota, instillanda fidem stitit illabefactatam.

§. CXI. Est verò illa, quam TIGURINORUM Respublica non perturbate nec præmaturè, sed provido admodum consilio suscepit Doctrinæ Reformatio, dignissima, quæ sigillatim à nobis recenseatur, atque, ne ipsæ res sibi invicem arcto nexu inhærentes dirimantur, ut propius consertis annis velut in brevi tabella tota nobis ejus imago repræsentetur, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, fuerítque consummata. Certè, quod ipsa Zwinglii doctrina, altas in auditoribus ageret radices, uberrimámque sponderet messem, ipsæ læto augurio docebant conversorum primitiæ, quorum numerum jam sub finem anni 1519. ad *bis mille* excrevisse, docemur, ex ipsa ZWINGLII pridie Kalendas Januarii data epistola, quam se anecdotam servare testatur HOTTIN-

„ prioribus istis consiliis tam similia esse videbantur, quam musca elephanto est. Prius enim vicarius verbis disertis coràm, deinde per literas absens testatus erat, Episcopum suum Romani Pontificis fastum & injustam arrogantiam diutius ferre non posse.

„ Antonius Puccius Romani Pontificis legatus, quater de hisce rebus non „ sine splendidis pollicitationibus mecum contulit, cui libere hoc ipsum „ quod omnino faciendum erat exposui, simul & hoc addens, me posthac „ divina favente gratia Evangelii prædicationem aggressurum, qua Papatus „ non parva ex parte concutiendus & debilitandus sit &c. Quibus tamen „ admonitionibus non quicquam effectum est. „

TINGERUS. (a) Eum quoque, cum eodem anno 1519. lues pestifera eundem lecto affixisset, egregiam *precationem* pro illorum temporum more *rythmicam*, composuisse, qua & fidem & Deo dicatum pectus, animumque Evangelico Præcone dignum est testatus, BULLINGERUS (b) refert: Et, ex archivis Tigurinæ Ecclesiæ nos docet SCULTETUS (c) quod Senatus Tigurinus, de consilio Zwinglii, ejusque suasu, (quippe cujus in omnibus concionibus propositio major erat: *Soli Verbo Dei esse insistendum in rebus fidei*,) omnibus ditionis suæ concionatoribus & pastoribus, eodem anno, vel sequenti 1520. mandaverit, ut missis ac repudiatis hominum commentis, atque decretis parum fidis, liberè doceant, (d) quidquid authoritate Propheticarum, Evangelicarum, & Apostolicarum literarum adstrui possit; Adscivisse nostrum, tum quoque sibi in sacro quod obibat munere, diaconos, constat, *Georgium* STäHELIN dictum *Chalybaolum*, & *Henricum* LUTHIUM, (e) qui paulo post, & *Jacobum Wisendanger*, dictum CEPORINUM virum doctum & Linguarum Græcæ Hebraicæque peritum, Zwinglio & Tigurinis commendavit, eo cum effectu, ut is à Tigurinis ad harum Linguarum Professionem (f) evocaretur, quæ res & ipsi Zwinglio & cau-

(a) v. Jo. Jac. HOTTING. Helv. Kirch. gesch. T. III. p. 49.

(b) BULLING. in Histor. Reform. MSS. I. 20. apud HOTTING. l. c. p. 50.

(c) SCULTET. Annal. ad A. 1520. p. 68. 69. Cf. HOTTING. l. c. p. 51. & RUCHAT. Hist. de la Ref. de la Suisse T. I. p. 72. idemque BULLINGER. in Histor. Reform. & Doctiss. FUSSLIN in not. ad docum. ad Hist. Ref. Helvet. T. II. p. 27. 28.

(d) HOSPINIANUS quidem in Historia Sacramentaria P. II. p. 22. 23. jam ad A. 1519. publicam Synodi à S. P. Q. Tigurino coactæ convocationem in urbem Tigurinam refert, atque ejus vestigiis insistit WEISMANNUS, ad Sec. XVI. p. 230. Sed est manifestus in numero error. Articuli enim illi 67. à Zwinglio exhibiti ad Annum 1523. spectant; cum prius tamen illud mandatum omnino ad A. 1520. jam sit referendum.

(e) vid. *Miscell. Tigurin.* Tom. II. p. 681. ubi ipsa *Chalybæoli* vita ex ejus autographo exhibetur.

(f) vid. Lavateri *Vita Ceporini* MSS. apud HOTTINGER. Helv. K. G. p. 53. it. *Osw.* MYCON. in Vita Zwinglii ejus Epistolis præmissa; & *Miscell. Tigurin.* Tom. III. p. 344. sq.

causæ Evangelicæ admodum erat proficua; Erat is annus quo à Vejove Vaticano Leone X. fulmen parabatur excommunicationis in Lutherum, atque ejus socios, cujus rei fama cum percrebuisset, ipse ZWINGLIUS, ne id fieret, omni nisu navare operam apud ipsum *Gulielmum* Pontificium commmissarium. (a) Cæterum quò Evangelii negotium magis promovebatur, eò magis ipsi adversus Zwinglium vario modo insurgere hostes. Extant Osw. MYCONII ad Zwinglium literæ A. 1520. datæ, in quibus: (b) „ Vere dico, inquit, nihil vehementius me mo- „ vet, quam dum Zwinglium audio dilacerari, imò non Zwin- „ glium, sed Evangelium. Nam quid ille dicit quod non sit „ Evangelicum? „ Erat idem hic annus, quo Zwinglius qui usque huc à Papa publicum acceperat stipendium, quod à Leone X. in numerum Accolitorum Capellanorum sedis Romanæ receptus esset, illud accipere amplius renuit, in singulare testimonium integritatis, ne suæ vim faceret conscientiæ; (d) Neque verò quisquam melior ipso Zwinglio hanc causam disceptaverit: Is igitur ita: „ Quod si avaritiæ & perfidiæ me insimularint „ adversarii, & muneribus corruptum, falsam doctrinam serere „ dixerint, nolite credere, o fratres, nec unquam credetis, „ etiamsi summis obtestationibus adeoque jurejurando vobis fi-

 „ dem

(a) Ipse ita ad Myconium scribit A. 1510. prid. Natalitia Jacobi Zebedæi filii in Epist. *Zwingl & Oecolamp.* p. 174 b. „ Lutheri vitæ parum „ timeo, animæ nihil, etiam si fulmine Jovis illius fulminetur, non quod „ excommunicationem contemnam, sed quod putem damnationes istas „ magis corpori quam animæ infligi, si inique infligantur, æque autem an „ inique cum Luthero agatur, nostrum non est decernere. Ipse tamen „ nosti, cujusnam sententiæ sim. Ego his diebus Gulielmum Pontificium commissarium adibo, & si sermonem de hac re serere cœperit, ut „ paulo ante fecit, suadebo, ut Pontificem admoneat, ne excommunicationem ferat, quod putem hoc maxime è re ejus futurum, nam si feratur, auguror Germanos cum excommunicatione Pontificem quoque „ contemturos. „

(b) v. Epist. *Zwingl & Oecolamp.*

(c) Cujus receptionis instrumentum habet HOTTING. Sec. XVI. P. II. p. 274. 5. 6.

(d) HOTT. Helv. K. G. p. 57. RUCHAT. l. c. p. 76.

„ dem facere voluerint. Nec enim quisquam est principum,
„ cui aliqua ex parte pro muneribus mihi collatis devinctus sim.
„ Interim verò non negaverim, me olim, (scribebat hæc. A.
„ 1522.) à Romano Pontifice munera quædam recepisse: sed
„ jam dudum eadem hæc abolita & sublata sunt. Olim enim li-
„ citum & fas esse putabam Pontificum largitionibus uti, cum
„ illius religionem fidemque pro viribus tueri mihi pium &
„ sanctum esse videretur. Postquam vero crevit in me (ut Pau-
„ lino more loquar) peccati agnitio, mox & Pontifici & mune-
„ ribus ipsius longum valere renuntiavi. „ (a)

§. CXII. Atque ita, cum partim ex scriptis partim ex Concionibus Zwinglii, novis quotidie auctibus sine ullo perturbationis motu cresceret Reformatio, factum est, ut non ubivis solummodo ipsum Zwinglii nomen percrebesceret, quod jam literæ A. 1521. Argentorato ad ipsum datæ (b) significabant, & cumprimis quæ Glarona ad ipsum mittebantur, quibus *Franciscus Cervus* ita Zwinglium alloquitur, „ Plurimum gaudeo,
„ Tuam jam famam passim, atque per totum orbem indies ma-
„ gis magisque divulgari & excrescere. Nam te à compluribus
„ undique audio commendari, præcipuè à Beato Rhenano, à
„ quo nuper accepi literas, quæ te in cœlum usque attollunt. „
Quid? quod & novo tum inter Tigurinos suos honore tanquam virtutis, pietatis, & eruditionis præmio afficeretur, qui eundem d. XXVII. Aprilis in Canonicorum ita dictorum numerum referebant, locum *Henrici* ENGELHARDI Viri egregii, quem is per liberam resignationem fecerat vacuum, & Zwinglius sibi expetebat, ipsi tribuentes (c) publicis eam in rem adornatis literis; in quibus, quod diligenter notandum, neque violatæ fidei, neque apostasiæ, neque vocationis neglectæ accusatur, quin potius ad ipsos honores & emolumenta sine ulla exprobratione evehitur:
Et

(a) vid. Opera ZWINGL. T. I. p. 341. b.
(b) apud HOTTING. Sec. XVI. P. II. p. 309.
(c) vid. HOTTING. Sec. XVI. P. IV. p. 32, 33. ubi ipsum instrumentum publicum, quo is in Canonicorum numerum est adoptatus, exhibetur, ut de solenni saltem Zwinglii ad ministerium Vocatione dubium esse possit nemini.

Et quanquam non ab onere multiplicique negotiorum ſtrepitu (a) is honor eſſet divulſus, ingruerentque, cumprimis ſucceſſum capiente Evangelio, adverſitates & mala, ut quoque de abdicando munere (b) iterum cogitaret, ipſe tamen eventus docuit, quam animo reſumto, Deique fiducia fretus, omnia potius contemſerit pericula, quam ut à Statione, non dimiſſus recederet: Hinc ſane illa ejus profecta Vox fidei plena, quam ad *Oſw.* MYCONIUM A. 1522. ſcribebat: (c) „ Tam crebri ſunt pulſus, „ tam vehementes ictus, qui domum Dei dejicere tentant, ut „ non injuſtè quis aliquando crediderit, nec ventos eſſe nec imbres, „ ſed grandines ac fulmina, ac, ni aperte viderem, Dominum „ cuſtodire civitatem, jam dudum clavum abjeciſſem. „ Verum, cum eum videam rudentes firmare, antennam dirigere, „ velum tendere, & quid multa? ventis imperare, iners „ nec hominis nomine dignus fuero, ſi ſtationem deſerens nihilominus „ ignominioſe perirem, totum itaque me illius benignitati „ &c. „ Quidquid ſit, cum civibus Tigurinis libertatis Evangelium annunciaretur, atque, quam à dierum, ciborum, locorum delectu eſſent immunes Chriſtiani, inculcaretur, tum ea res res ita altè ipſorum inſidebat mentibus, ut vel Papæ Legem, de vetito carnium eſu perrumperent, (d) ſuisque inde ab A. 1522. juribus fruerentur: Atat, hæc erat illa Actio quam adverſus cives coràm Magiſtratu inſtituebant, libello peculiari Præpoſitus atque Plebani Eccleſiæ Tigurinæ, quo querebantur, (e) eſſe nonnullos, qui ruptis legibus Eccleſiaſticis, promiſ-

(a) Sic ipſe ad B. Hallerum d. 4 Decemb. 1521. ſcribebat: *negotiorum ſtrepitus, & eccleſiarum curæ ita me undique quatiunt, ut nuper Henr. Engelhardus Dec. doctor diceret, ſeſe vehementer admirari quod nondum eſſem ad inſaniam redactus.... ſcribunt ad nos Suevi, exigunt quotidie, quod ipſe præſtare nequeo, tametſi pro virili ipſis ſatisfaciam. Scribunt ex Helvetiis fermè omnes, qui propter Chriſtum premuntur.* v. Ep. ZWING. & OECOL. fol. 38. b.

(b) v. HOTTING. Sec. XVI. P. II. p. 235.

(c) v. HOTTING. Sec. XVI. P. IV. p. 270.

(d) vid. SCULTET. qui hæc ad A. 1520. annotat, p. 69. cum proprie ad Ann. 1522. uti ſtatim videbimus hæc ſint referenda.

(e) vid. HOTTING. Sec. XVI. P. V. p. 334.

miscuum sibi facerent carnis usum, diebus etiam prohibitis: Rogare proinde, ut pœnam talibus designent, donec aliter à superioribus prospiceretur: Et agebatur in hoc scripto reus præcipue *Christophorus Froschouerus*, insignis ille atque primus Tigurinorum Typographus, qui prolixo statim scripto (a) ostendit, non detrectaturum se mulctam, si, in leges vel divinas vel politicas peccasse convinci posset. Familiæ autem suæ & operarum typographicarum rationem non permittere, ut quod Deus Lege sua ubique concessisset, superstitioso Ecclesiasticæ potestatis cultu eripi sibi pateretur.

§. CXIII. Neque hæc adeò facile consopita lis est, quin ansam potius subministravit, primò quidem, *colloquio* omnium *primo* Zwinglium inter & Joh. Fabrum habito, quod à ZWINGLIO ipso ad V. D. *Erasmum Fabritium* est descriptum, (b) deinceps verò etiam, libello, quem inter reliqua scripta, primum publicavit Zwinglius. Quod *Colloquium* illud concernit, Episcopus Constantiensis Hugo, trium doctorum legationem, (c) ad Tigurinos, unà cum parænesi ad Senatum Canonicorum, quem Capitulum vocant, mittere, qui eandem illam, quam plebani instituerant, urgerent actionem, atque litis contestationem facerent: Erant hi legati, *Johannes* (d) FABRI Theol. D. & Vicarius Constantiensis, *Johannes* VANNERUS Evangelista Constantiensis, satis Christianus, quemque invitum huic dicunt interfuisse negotio, & N. BRENLIUS, Eremita. Hi postea quam querelam suam instituerant, adversus eos, qui omnium cerimoniarum usum abrogatum vellent, cum cerimoniæ tamen essent manuductio ad virtutes, quin imo pro virtutum fonte essent reputandæ, atque adversus eos, quos dicebant doctrinas novas irritabiles ac seditiosas docere, porrò, adversus eos, qui se à reliquis

(a) vid. HOTTING. l. c. p. 335.
(b) Quam descriptionem Monumentis pietatis ac rei literariæ Part II. p. 19-31. cum inseruerit Cel. MIEGIUS, eandem sed emendatiorem longè, nec tot maculis atque erroribus typographicis conspurcatam, huic ipsi Operi subjunximus, num. XXI.
(c) vid ZWINGL. Archeteles. Opp. Tom. I. p. 144.
(d) v. HOTTING. Helv. K. G. T. III. p. 77.

liquis Christianis & Christiana Ecclesia separarent, putantes sibi quidquid libuerit licere &c. &c. Tum post aliquot dierum interjectam moram & seriam deliberationem, ipsi Tigurinorum pastores, quos, tacitis licet ipsorum nominibus, potissimum tamen indigitari patebat, ut causam dicerent, admissi sunt, *Huldricus* scil. ZWINGLIUS, *Henricus* ENGELHARDUS & *Rudolphus* RUSCELLUS: Zwinglius, loquendi potestate facta, statim ea quæ J. Faber reliquorum nomine proposuerat, uberioribus verbis refutare, ac docere, quam nullæ novæ, nedum seditiosæ doctrinæ, Tigurinis annunciatæ essent, vel ex eo solo patere, quod nullibi Evangelium Christi & doctrina Apostolica, quæ concionum suarum suorumque collegarum argumentum continerent, pacatius audiretur, & sine ullo tumultu, quam quidem apud Tigurinos; (a) Unde sibi videri, quod discordiam effingant, ubi unanimiter unoque ore juxta Pauli verbum nomen Dei glorificatur. Porrò, quam omnino exoptet, ne tanto cerimoniarum jugo tamque difficili premerentur Christiani, ad legem libertatis regiam vocati, quum vel eæ, quæ nunc ubivis inculcentur & onere & amaritudine cerimoniæ, ipsas exsuperarent Judaicas cerimonias, & quam tamen eapropter minime docuisset unquam, quod nulla humana præcepta sint vel servanda vel statuenda, à qua sententia se suosque profitetur alienissimos, neque adeò, vel se vel suorum quenquam à Christiana ecclesia separationem aut facere aut moliri, ipsam vero ecclesiam unicè Verbo scripto, Sacrisque literis debere inniti, seque suosque paratos esse ad reddendum rationem de ea, quæ in ipsis erat, fide, itemque de modo, quo Sacras literas hactenus tractavissent, ac tractaturi erant imposterum, coram cœlestibus terrenis & infernis. Quo pacto Legati Constantienses dimissi sunt: Decreto à senatu Tigurino facto, ne quis privatus sibi sine gravissima causa, licentiam arrogaret vescendi carnibus, diebus vetitis, usque

 dum

(a) Verba ZWINGLII ad ipsum Hugonem Episcopum in Archetele id confirmant, quando p. 124. b. ita scribit: *Tiguri enim, quod ad doctrinam Christi adtinet, tam pacata sunt omnia, quam usquam gentium, tam vulgo docti sunt etiam idiotæ Evangelium, ut nolint ullam præter hoc recipere doctrinam.*

dum hæc res uberius ab ipso Episcopo esset exposita & illustrata, (a) illos verò qui contra facerent pœnitentiæ subjiciendos esse: Dum interea Zwinglius eodem adhuc mense Aprilis d. 14. primum suum, publicè editum typisque vulgatum profert Libellum *de delectu & libero ciborum esu &c.* ad Ecclesiam Tigurinam præcipuè directum, in quo gravissimè totam illam pero at causam, nec quidquam omittit eorum, quæ ad rem pertinere videri poterant, simul verò etiam, quam Papalem & tyrannida & avaritiam intolerabilem judicet, ac aversetur, fidem facit: Ipsi verò Constantienses, cum spe sua se frustratos esse persentiscerent, id quod coràm perficere non poterant, per literas ausi sunt aggredi, omnemque movere lapidem, quò missis adversus Zwinglium ad Tigurinos literis, horum animum, irrito tamen conatu, permoverent, ut Zwinglii causam desererent, eumque ipsum dimitterent: Sic enim, primò ipsum Episcopum jam d. 2. Maji ejusmodi publicasse libellum, constat, Evangelio & doctrinæ puriori adversum: (c) Zwinglius intereà una cum collegis suis ad ipsum Hugonem libellum supplicem (d) mittere d. 2 Julii, qui tantò est memorabilior, quod is primorum Reformatorum Helveticorum subscripta quoque servat nomina: *Balthasaris Trachseli* Pastoris Artensis in Svitia, *Georgii Calybei* Pastoris Weinimgensis, *Werneri Steineri* Pastoris Tugiensis, *Leonis Juda* Einsiedlensis, *Erasmi Fabricii* Canonici Tigurini, *Simonis Stumpfii* Pastoris Hongensis, *Jodoci Kilchmeyeri* Canonici Lucernensis, *Huldrici Pistoris* Pastoris Usterani, *Casparis Megandri* concionatoris Tigurini, *Joh. Fabri* Cappellani Tigurini, & *Huldrici Zwinglii.* Qui omnes, uno ore, &, ne induci se patiatur, ut edictum in Evangelii præjudicium promulget, Episcopum hortantur, atque ut scortationis scandalum amplius ferre non velit, orant

(a) HOTTING. Helv. K. G. T. III. p. 80. Atque hoc ipsum decretum verbotenus insertum legitur à Cl. FUSSLINO, documentis ad Hist. Ref. Helvet spectantibus Tom. II. p. 1. &sqq.
(b) vid. Opp ZWINGL. Tom. I. p. 324-340.
(c) vid. HOTTING. Helv. K. G. p. 81. ex Bulling. Hist. Reform. p. 53.
(d) v. ZWINGL. Opp. T. I. p. 120-124.

orant, simulque ut, ipsis Clericis matrimonia legitima permittantur, vel saltem ut ad eorum nuptias conniveatur, expetunt, dicentes inter alia: „ ex quorum numerosa (a) multitudine nos pri- „ mi

(a) v. Opp. ZWINGL. T. I. p. 122. Conf. SCHELHORN. Amœnit. liter. T. IV. p. 398. qui ex diario *Spalatini* MSS. rationes quibus hi legitimum sibi expetebant matrimonium, affert hunc in modum.

1. *Matth* 19.

2. 1 *Cor. VII. propter scortationes unusquisque ducat uxorem. Neminem excepit, neque sacerdotem neque monachum.*

3. 1 *Cor. VII. Quod si se non continent. nubant. Melius enim est nubere, quam uri.*

4. 1 *Cor. VII De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Paulus Doctor gentium, instrumentum Dei electum.*

5. 1 *Tim. IV. Oportet episcopum unius uxoris maritum esse.*

6. *Tit. I. Si quis sit inculpatus, unius uxoris maritus.*

7. 1 *Tim. IV. Spiritus aperte dictat, postremis temporibus esse futuros, qui vetent nuptias.*

8. *Hebr. IX. Preciosa cumprimis res est connubium & thorus incontamitus. Scortatores vero & adulteros damnabit Deus.*

Per igitur communem Christum, per libertatem ejus sanguine partam, per pronum affectum, quem nobis debes, per miseriam animularum nostrarum, per vulnera conscientiarum, per quicquid est divinum, quicquid est humanum, te oramus, ut supplices clementer respicias, ut, quod temere ædificatum est, cum consilio demoliri sinas: ne quando moles ista non ex patris cœlestis sententia constructa cum fragore longe perniciosiore corruat.

Nisi consilio rebus multis subveniatur, actum erit aliquando de universo sacerdotum ordine.

Qui rerum scriptores id facti unquam celabunt? qui non docti præconiis vehent? qui non olores venienti mundo canent? qui cedri a vetustate & interitu non defendent?

Hoc unum caveris, ne oblatam occasionem e manibus male consertis elabi sinas. Auguramur enim res novam faciem induituras, nobis etiam ingratissimam. Quod ubi factum erit, nequicquam adipiscendæ gloriæ occasionem neglexisse quereris.

Favet nostræ petitioni opifex iste, qui marem & fœminam fecit primos homines. Favet usus veteris Testamenti, novo multo rigidioris, quo summi etiam sacerdotes lento matrimonii jugo colla submittebant. Favet Christus, dum castitatem liberam facit, quin jubet, dum non vult pusillos scandalizari. Favet ubique magno plausu, imo spiritum Dei habens præcipit Paulus. Favet universus piorum & cordatorum numerus.

Jam

„ mi tua mansuetudine freti prodire ausi sumus, ac obsecrare,
„ ut id nobis annuas, haud ut arbitramur temere, &c. &c.

§. CXIV Hæc inter, ipsi Pontificii omnia agere, quo Evangelicæ doctrinæ per Zwinglium annunciatæ obicem ponere possent, eumque in finem procurant, ut Episcopus iterum d. XXIV. Maji 1522. novam ad Senatum Præposituræ mitteret Parænesin, (a) querelarum & injuriarum plenam; in qua equidem, astuto consilio, nec Zwinglii, nec collegarum ejus, mentio fit expressa, sed occultè tamen, atque sub involucro eorum doctrina sugillatur, iique turbarum, defectionis à fide, schismatum, conculcati ordinis, atque neglectæ disciplinæ Ecclesiasticæ, rei arguuntur, ac tandem ipsis Canonicis hoc injungitur: „ Quemadmodum ergo beatissimus Papa noster, felicis memoriæ Leo X. „ & Serenissimus Imperator Romanorum Carolus V. nuper hujusmodi nova dogmata damnaverunt, & damnata publicis „ mandatis declaraverunt, tanquam illa, quæ sint contrà ecclesiasticam dispositionem, contra Evangelicam legem, institutionis Evangelicæ unitatem: ita vos, quos nobiscum Spiritus „ sanctus posuit regere Ecclesiam Christi, quam acquisivit sanguine suo, cohortamur, per eam quam quilibet Christianus de „ immaculatæ sponsæ suæ ecclesiæ fœda scissione compassionem gerit, ut hæc dogmata postponantur, abjiciantur interim, non prædicentur, disputentur, aut doceantur, vel publice vel occulte, nihil etiam alteretur, immutetur, aut innovetur circa ecclesiæ ritum, donec illi, quorum interest, de „ ec-

Jam rumor est, plerosque conjuges dudum designasse, non modo apud Helvetios nostros, verum etiam passim apud omnes, quos sopire profecto supra vires fuerit, non modo tuas, sed longe potentioris, pace Tua dixerimus.

Proinde parvitatem nostram ne nauci feceris. Sæpe etenim est olitor valde opportuna locutus. Et quamvis pusilli sumus, Christi tamen sumus. Quos tantum abest, ut contemnas ut receptis, evenire Tibi salutem firmiter credas.

Deus Optimus Maximus Excellentiam Tuam diu incolumem & recte de se sentientem conservet, quam summa humilitate cupimus exorari, ut omnia æqui bonique consulat. Ex Eremo D. Virginis apud Helvetios M. D. XXII. secunda Julii.

(a) v. Opp. ZWINGL. T. 1. p. 120. sqq. ubi ipsa hæc Parænesis legitur.

„ ecclesiæ negocio conveniant, & collatis consiliis cum discipli-
„ na pariter & misericordia temperatam figant sententiam &c. „
Ad hanc itaque Parænesin, paucis post mensibus, die scil. 23 Augusti gravissimam Zwinglius adornavit Responsionem, quæ sub nomine *Archeteles* ejus Operibus est inserta, (a) quæque veram ac genuinam, Zwinglianæ Reformationis nobis repræsentat, longeque aliam, quam quidem V. E. LOESCHERUS (b) nobis in famigeratissima Historia uti appellat Motuum, effingit, imaginem, dignaque est, quæ legatur ab omnibus. In hac, inter alia de Constitutionibus humanis ita: *Negari ut arbitror non potest, humanarum constitutionum tantam esse farraginem, ut sexcenti boves Cyprii ad exedundas eas non sufficerent, nec id injuria, cum quisque sibi permissum esse putet novas fingendi pro libidine, dum nemo obstat, nemo resilit, ut jam tantum non hoc tyrannicum apud eos receptum sit,* Licet quicquid libet, *cum tamen è diverso Christus caveat, dicens: Frustra colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum; Si igitur apud Deum hæc nobis nihil prosunt, sed premunt tamen interea miseras oves, adeò ut Deus illarum misertus, per prophetam se polliceatur amoturum pastores eos qui sese pascebant, & oves dissipatas visitaturum & liberaturum. Quidnam est, si quis queratur perpetuo Christianum populum plus æquo opprimi? cum nihil profecto aliud fecerit, quam quod Deus ipse, quod Christus, Paulus, Moses.* Porro, de ejus temporis Præsulibus, ita: (c) „ Fateor, quod ad me adtinet, sæpe dixisse,
„ justam nostra tempestate præsulum partem, non veros sed
„ personatos esse Episcopos: id quod mihi ne imputari quidem
„ posse arbitror, quum Jesaias eos canes mutos appellet, &
„ Christus fures & latrones; De his dico, qui non per ostium in
„ ovile ovium introjerunt: paucos enim reperias, qui Episcopi
„ munere vel pro virili fungantur, & non potius agant Dyna-
„ stas, Satrapas, Reges. „ Est verò ante omnia notabilis,

 ipsius

(a) v. ZWINGL. Opp. Tom 1. fol. 124-144.

(b) Ut mirum quoque sit, & ne tanto quidem Viro dignum, Cel. MOSHEMII Judicium de ipso Zwinglio, ejusque Reformatione, quasi is *improvidè* circà hanc causam fuerit versatus, *unde graves deinde inimicitiæ, & deplorandæ calamitates sint ortæ.* vid. §. CXXI.

(c) ZWINGL. l. c. fol. 131.

ipsius Prædicationis Evangelii apud Tigurinos à Zwinglio susceptæ ordo, quem ipse his delineat verbis (a) „Anno enim ab
„ hinc quarto (ut rationem prædicationis nostræ Tiguri pro-
„ mulgatæ habeatis) solidum Evangelium secundum Matthæ-
„ um prædicavi, quo tempore illorum nomina ne nominari qui-
„ dem audieram, quorum factionis (b) me insimulatis. Adjunxi
„ Evangelio protinus Apostolorum acta, ut Tigurina ecclesia
„ videret, quo pacto, quibusve authoribus Evangelium propaga-
„ tum esset ac promulgatum. Successit mox prior Pauli ad Ti-
„ motheum epistòla, quod mire videretur conducere optimo
„ gregi, in ea enim veluti canones quidam morum Christiano
„ dignorum continentur. Hic quum de fide quidam scioli non
„ recte sentirent, secundam epistolam ad Timoth. distuli, do-
„ nec eam, quæ Gallogræcis scripta est, enarrassem, tum illam
„ quoque adjunxi. Cumque, jam dicti scioli eo insaniæ ac im-
„ pietatis processissent, ut Pauli nomen tantum non infame
„ redderent, jactantes hæc pia scilicet, quæ neminem offen-
„ dunt, Quis tandem Paulus? nonne homo est? Apostolus est,
„ sed suburbanus tantum, non ex duodecim viris, cum Christo
„ non est conversatus, articulum fidei non composuit; ego tam
„ cuivis Thomæ vel Scoto credo quam Paulo. Enarravi etiam
„ Petri utramque epistolam Apostolorum antesignani, ut liquido
„ viderent, an eodem imbuti spiritu eadem ambo locuti essent.
„ His absolutis, epistolam ad Hebræos orsus sum, ut Chri-
„ sti beneficium clarius agnoscerent ac gloriam. Hic discent
„ Christum summum esse sacerdotem, ac jam fermè didicerunt.
„ Nec est, ut me quorundam scriptorum insimuletis, nam ante-
„ quam ea ad manus nostras venerint, orsi eramus negotium,
„ imò ante annum ferè polliciti sumus id facturum. Discent
„ item, Christum una ac semel tantum oblata hostia in æternum
„ consummasse sanctificatos. Hæc plantavimus; Matthæus,
„ Lu-

(a) vid. ZWINGL. loc. cit. fol. 132. b. Scriptus autem is liber est d. 23 Augusti 1522.

(b) Est ea factio *Lutherana*, quo nomine Zwinglii causam denigrare allaborabant Pontificii.

„ Lucas, Paulus, Petrus rigaverunt; Deus autem incremen-
„ tum dedit admirabile: quod ipse non ebuccinabo, ne videar
„ meam non Christi gloriam ambire. Ite nunc, & dicite hanc
„ plantationem, ut ad compendium redeam, non esse cœlestis
„ patris. Ego, inquam, nullis captiosis fomentis, dolis, vel
„ hortamentis, sed simplicibus, ac apud Helvetios natis verbis
„ ad vulneris sui cognitionem quosvis traxi, id à Christo ipso
„ doctus, qui prædicationem suam hinc orsus est. Ab episcopi
„ sui concordia neminem unquam abduxi, modo esset Episco-
„ pus, non fur aut latro, quales Christus signavit Joan. 10.
„ Disciplinam ecclesiasticam ex quibus fontibus hauserim, pau-
„ lo ante commemoratum est. Gloriam nostræ professionis ve-
„ hementer hortatus sum ut teneant, Hebr. 4. habentes Ἀρχιερέα
„ magnum Jesum filium Dei, inquiens, qui penetravit cœlos,
„ tenete confessionem hanc, nec gloriam à se mutuo quærant,
„ id quod Judæos avocasset quo minus Christo crederent, Joan. 5.
„ Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem acci-
„ pitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Signate
„ hæc attentius obsecro. Ego ab omni prorsus spe ullius creatu-
„ ræ, quam maxime possum, avoco, ad unum verumque Deum,
„ & Jesum, Filium ejus unicum Dominum nostrum, in quem qui
„ fidit non morietur in æternum. Induco nervis omnibus, ut
„ veniam petant ab eo, qui peti etiam cupit ultro, quanquam
„ peccemus, inquiens Matth. 11. Venite ad me omnes qui la-
„ boratis & onerati estis, & ego Ἀναπαύσω vos. Hoc ei tam fir-
„ miter credo, ut si ita casus exigat, me non ullo putem vel
„ Episcopo vel Sacerdote opus habere, qui pro me satisfaciat:
„ nam id olim Christus fecit, qui corpus suum pro nobis tradi-
„ dit hostiam, & sanguine suo, felicissimo lavacro, abluit.
„ Totum presbyterorum ordinem ita veneror, ut angelorum
„ Dei: ventrium tametsi abominer, fero tamen, sinoque cor-
„ choros inter olera crescere. Sine intermissione orare præci-
„ pio, sed spiritu & mente: & ut juxta Christi vaticinium, ado-
„ rent patrem in spiritu & veritate, imò ad odium usque pul-
„ sare jubeo, quod apud Lucam viduæ parabola docet.

De Generalibus Conciliis & horum authoritate, ita: (a) „Generalia concilia nescio an ea intelligi velitis quatuor, quæ
„ quidam tradunt Evangelii loco haberi debere, an omnia? Si
„ illa, nolim equidem illis quicquam detractum esse, quanquam,
„ quod æqualem illis fidem haberi volunt atque Evangelio, nescio quam pium sit: viderint hi, qui hoc pronunciant. Si
„ omnia, rogabo vos, num omnibus fidem servari debere sentiatis, inviolataque custodiri? Quod si dixeritis: obsecro ut
„ hanc controversiam explicetis, utris ne accedendum sit, iis
„ ne, qui, ut habetur dist. 25. 26. & 28. ac 29. statuerunt, ut
„ Episcopus sit unius uxoris maritus, an iis, qui nuptias dæmoniorum instinctu vetant? Nonne hic ad Scripturam recurrere oportebit?„ Et deinceps, paucis interjectis: (b) „Concilia igitur, quæcunque tandem, si divinæ legi sunt conformia, quis non suscipiet? Quanquam rectius mihi sentire videntur, qui hic dicunt: Si Concilia divinæ Legi sunt conformia, quid opus sit, eis acceptum ferre, id quod retractarunt solum, ac non potius ipsi Scripturæ Sanctæ, quæ testimonium majus habet, juxta Christi verbum: Nam testimonium Dei majus est hominum testimonio, ut cui Johannis
„ Baptistæ quoque testimonium cedat, Joh. v. Si vero contra,
„ divinæ legi reclament, quis non mox id Apostolicum ingeret? Obedire oportet Deo magis quam hominibus: „ De Vi autem externa atque violentis religionem inculcandi remediis quænam Reformatori nostro hæserit mens, patet ex his verbis: (c)
„ Sed quoniam in hunc locum Luc. xiv. incidimus, cui vim
„ quidam faciunt, dicentes: En Christum dicentem, *compelle intrare:* igitur vi, imperioque premendi sunt immorigeri,
„ volumus eum pro virili excutere, ne eo perpetuo abutantur.
„ *Primum* itaque, videmus servum qui ad cœnam compellebat
„ solum esse missum: qui autem fieri potuisset, ut unus numerosam multitudinem cogeret, si id vi, imperioseque tentandum erat, ut istis placet? *Deinde*, nemo violentia nititur ali-
„ quem

(a) ZWINGL. l. c. fol. 137. a.
(b) ZWINGL. l. c. fol. 138. a.
(c) ZWINGL. l. c. fol. 141. a.

„ quem ad cœnam vel mensam impellere: hoc enim nimis inci-
„ viliter fieret: quamvis quidam eousque importunitatis in vo-
„ cando procedunt, ut penulam etiam rumpant imprudentes
„ tamen. Unde Proverbium apud Germanos etiam tritissimum
„ natum est, Scindere penulam: adhuc tamen omnia intra ami-
„ citiam fiunt, non ex imperio, eo saltem, quo isti cristam eri-
„ gunt, tametsi amicitia jus quoque suum habet imperandi.
„ Hinc patere puto, quod in prædicta parabola, Lucæ XIV.
„ *compelle intrare*, non aliud signat, quam si dicas, Vehe-
„ menter eos urge, ut ad cœnam veniant. Non enim verisi-
„ mile est, eum, qui negavit regnum suum esse de hoc mundo,
„ hic sui oblitum imperasse, ut increduli ad se cum imperio co-
„ gerentur, aut satellitum vi, sed invitantium indefatigato
„ studio: quemadmodum Lucæ ult. hi duo discipuli, quibus se
„ Emaum euntibus sociavit, eum coegerunt, amico nimirum
„ vocandi more, non vi, quali eum traxerant Judæi ad tribunal.„
Claudit tandem, ipso ad Christum directo sermone, hunc Tracta-
tum, atque inter alia (a) „ Quod autem ad nos attinet, inquit,
„ nihil opus est te vocare testem, quonam animo quæque fa-
„ ciam, ipse enim nosti, quam longissimè à teneris absfuerim ab
„ omni dissensione & tumultu, nec tamen destiteris nos ad id
„ muneris invitum ac reclamantem trahere: quamobrem te nunc
„ merito appello, ut bonum opus, quod cœpisti, perficias us-
„ que in diem domini, & si unquam quicquam minus dextere
„ atque oportet ædificavero, dejicias, si fundamentum aliud
„ præter te jecero, demoliaris, quò grex tuus Spiritu tuo du-
„ ctus & imbutus, eò cognitionis veniat, ut sciat sibi nihil de-
„ futurum, si te Pastore & Episcopo ducatur & pascatur. Tu
„ enim, o Fili Dei, protector es & advocatus omnium in te spe-
„ rantium. „

§. CXV. Enimverò, hic idem erat Annus vicesimus secundus, dies autem XVII Julii, quo cum *Francisco* LAMBERTO, Viro docto atque pio, Franciscano, concionatore Apostolico & Generali conventus *Avenionensis*, &, cui jam veritas cœlestis antehac

(a) ZWINGL. l. c. fol. 144. a.

affulſerat, quique lectis Lutheri libris, Minoritarum conſortio exceſſerat, & nunc Tigurum *Berchtoldi Halleri* (a) Reformatoris Bernenſis commendatione gaviſus, adierat, publicam in conclavi Canonicorum (*Chorherren ſtube*) inſtituit Diſputationem *Zwinglius: Lambertus* enim, qui & Genevæ, & Lauſannæ, & Friburgi, & Bernæ, aliquoties Latino ſermone concionatus erat, idem quoque Tiguri inſtituebat, atque inter alia *Sanctorum* adhuc defendebat *Invocationem*, cui rei cum obloqueretur *Zwinglius*, eumque errare affirmaret, tum *Lambertus*, ſibi, cum de hoc, tum de aliis articulis, expetere colloquium cum Zwinglio, cui petito morem gerere Zwinglius, atque ita hanc cauſam inſtruere, ut victus Lambertus, ſuum agnoſceret errorem, atque complicatis ad Deum manibus Deo publice ageret gratias. (b)

§. CXVI. Sed repetimus filum noſtrum. Vix enim annus *viceſimus ſecundus* in orbem redierat, cum ecce, per ipſam Domi-

(a) B. HALLERI Epiſtola, quam nobis conſervavit. J. H. HOTTING. Sec. XVI P. II. p. 584. hæc erat: *Singularis Tua humanitas, cujus omnes implevisti erga me numeros, & hujus boni fratris Franciſcani ſanctum concionandæ veritatis inſtitutum, quaſi ſuo jure aliquid literarum à me exigere videntur, quæ mei memoriam apud Te foveant, nec tam planè apud Te frigeſcere patiantur. Mea autem cautio eſſe debet, ne diutius quam par eſt, Te hominem, ut audio, occupatiſſimum obtundam. Itaque rem ipſam in pauca conferam.* Pater ille Franciſcanus, & nihil minus quam Monachus, Concionator tamen Apoſtolicus & Generalis Conventus Avenionenſis ad quinquennium jam fermè docendæ veritatis Chriſtianæ officio functus, Gebennis, Lauſannæ coram Epiſcopo, Friburgi, & jam Bernæ, Latino tamen ſermone concionatus eſt noſtris ſacrificulis, nondum ex omni parte in re Chriſtiana ſanis, de Eccleſia, Sacerdotio, Sacrificio & Miſſa. Rurſus de Romanorum Pontificum Epiſcoporum traditiunculis, de ordinum & religioſorum fatuis, & planè hypocriticis ſuperſtitionibus, cæteriſque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. *Non quod hæc à nobis aliena ſint, verùm, à tali homine, Franciſcano, Obſervante, Gallo (quæ omnia mare ſuperſtitionum confluere faciunt) inaudita videbantur. Is igitur totam peragrabit Germaniam, & itinere ad Tigurum accinctus, petiit ut Tibi eum commendarem.* Non dubito, quin pro Tua in me humanitate, eum humaniſſimè ſis tractaturus. Ipſe mox videbis, cujus ingenii, doctrinæ & eruditionis ſit.

(b) HOTTING. Helv. Kirch. geſch. T. III. p. 83. ex *Balling.* & *Steineri* Hiſt. Ref. MSS. it. ex *Lavateri* Vita Zwinglii MSS. Cf. SCHELH. Amœn. Liter. T. IV. p. 325.

minicanorum qui dicuntur monachorum importune obstrepentium, & Zwinglii doctrinam ut impiam & minus orthodoxam pro concione traducentium, voces, ipsiusque Zwinglii, suam doctrinam cum Sacra Scriptura consonam asserentis, replicam, effectum est, ut, ipse Senatus Populusque Reip. Tigurinæ, ne quid temere aut privato affectu in hoc Reformationis negotio agi videretur, Synodum (a) indicaret, sapientissimo decreto, solennem, ad diem XXIX. Januarii Anni 1523. Ad eam undique ex ditione Tigurina & vicinis Ecclesiis magna cleri & populi multitudo, uti convocata erat, ita confluebat. Constantiensem (b) quoque rogant Episcopum per literas amanter, ut aut ipse veniat, aut è suis aliquem eò mittat. Quum igitur, ad constitutum diem venissent frequentes, adesset etiam episcopi vicarius, Joannes Faber, Consul Tigurinus verba facit, & quoniam de doctrina sit ortum valde grave dissidium, idcircò decretum hunc esse conventum, ait, ut si quis omnium sit, qui contra Zwinglii doctrinam aliquid habeat, libere illud nunc proponat. Zwinglius jam ante, certis locis atque thematis doctrinam suam incluserat, numero ad LXVII. &, ut instructi venirent omnes ad eum conventum atque disputationem, evulgarat, nunc ergò, cum finem sermonis consul fecisset, rursus illa proponit, & ad congressum eos invitat. Ibi Faber, postea quam suæ missionis causam explicasset, conatur persuadere, certamen hoc non esse hujus loci, verum ad concilii notionem pertinere, quod brevi sit futurum: urgente autem Zwinglio & postulante, si quid habeat, ut ne dissimulet, ille scripto se refutaturum ipsius dogmata profitetur. Post multa utrimque commutata verba, cum ex omnibus nemo prodiret amplius in aciem, dimisso conventu, Senatus per suos fines edicit, *ut traditionibus hominum omissis, Evangelium purè doceatur è veteris & novi testamenti libris.* At-

(a) Hujus Synodi descriptionem, calamo consignatam ab homine Pontificio *Johanne Salato*, Graphiario Lucernensi, nobis exhibet J. CONR. FUESSLINUS in collectione documentor. ad Histor. Reform. P. II, pag. 81.-150. quæ licet omni modo animum partibus addictum prodat, quoad principaliora tamen, cum ipsis Actis in Opp. Zwinglii Tom. II, p. 608. reperiundis, convenit.

(b) vid. SLEIDAN. Lib. III, fol. 47. a. & SCULTET. p. 167.

Atque is primus omnium, publica authoritate convocatus fuit *Conventus*, in causa religionis, *Tigurinus*: Inter eos autem, quos diximus, Zwinglii, vel articulos, vel conclusiones, articulus decimus octavus, (a) ita se habebat: *Christus, qui sese semel in cruce obtulit hostia est & victima satisfaciens in æternum pro peccatis omnium fidelium. Ex quo colligitur, Missam non esse sacrificium, sed sacrificii in cruce semel oblati commemorationem, & quasi sigillum redemtionis per Christum exhibitæ.* Quæ verba, quam non solùm Pontificiorum Transsubstantioni, &, quod ei innititur, Sacrificio Missatico sint opposita, verùm etiam, ipsam puriorem quam Zwinglius jam abinde professus est, de Eucharistiæ Sacramento doctrinam nobis exhibeant, est manifestum. Neque enim dubitare quispiam potest, quin antequam funesta illa inter Lutherum & Carolostadium in Saxonia, de verborum Institutionis S. Cœnæ sensu lis oborta esset, Zwinglius, æque ac alii, defœcatam hanc, quæ etiamnunc nostra est, jam sententiam fuerint assecuti, id quod partim ex his Conclusionibus, (b) partim ex singulari quodam Scripto Apologetico ipsius Senatus Tigurini, (c) ad confœderatos suos, qui sacrilegii Tigurinos accusaverant, dato, partim denique, ex memorabili quadam colligi potest Historia, quæ equidem ad Ann. 1524. refertur paucis tantummodò verbis à LAVATERO, (d) in ejus Historia, Sacramentaria, hunc in modum: „ Factum quoque est, ut Joannes Rhodius & Georgius „ Saganus, pii & docti viri, Tigurum venirent, ut de Eucharistia cum

(a) Hos omnes articulos, huic Operi subjunximus, inter documenta Num. XXII non equidem lingua Germanica, quamvis ea prius sint conscripti, sed Latina, in quam à Leone Judæ sunt translati.

(b) Conf. ea quæ ZWINGLIUS ad harum Conclusionum syntagma & cumprimis ad articulum hunc XVIII. notavit, integrum in eas commentarium conscribendo, Operum Tom. I. fol. 35 & seqq.

(c) Apud FUESSLIN. Collect. cit. T. II. p. 249. ubi reliqui Confœderati Tigurinos accusant, quod foverent tales, qui vel ipsa Sacramenta annihilarent, addentes „und es bleibt gar weinig über, dasz der zarte „ fronleichnam Jesu Christi in des priesters händen nicht etwann ange- „ rührt, und in einiger menschen glaube in zweifel gezogen werde.„

(d) LAVATER. Histor. Sacram. pag. 1. b.

„ cum Zwinglio conferrent. Qui cum ejus sententiam (a) audivissent, dissimulantes suam, gratias egerunt Deo, quod à tanto errore liberati essent, atque HONII Batavi epistolam protulerunt, in qua (EST) in verbis institutionis Cænæ Dominicæ, per SIGNIFICAT explicatur, quæ interpretatio Zwinglio commodissima videbatur. „ (b)

Atqui, ne illud quidem prætermitti debere videtur, quod ZWINGLIUS statim à principio Reformationis, cujus inculcabat & adstruebat necessitatem, quoque illam, quæ dicitur *sub utraque specie* communionem, & æquam, & institutioni Christi consentaneam & necessariam asseruerit, quodque is, inter alia, in *Explanatione* ipsius illius, quem commemoravimus *Articuli decimi octavi* (c) posteaquam graviter ea de re disseruisset, addat, apud Helvetios omnino inde ab antiquo, *sub utravis specie* sacramentum *unicuivis*, *non solùm viris*, (uti ait,) *& mulieribus sed etiam pueris ac adultis*, *fuisse administratum*, idque comprobet ex vetusto quodam libro à se in Glaronensi ecclesia invento, sive pontificali sive obsequiali: Verba ejus notabilia hæc sunt: „ Et „ quomodo ausi sunt stultissimi homines institutionem Christi in „ hac sacratissima cœna invertere aut concidere, quum verba „ Christi tam clara sint? Præsertim quum ambæ species tam „ panis quam vini in Germania apud Helvetios in usu fuerunt, „ non solum viris & mulieribus, sed etiam pueris & adultis?

„ Testimonia hujus rei certa adferam. Nam quum minister „ essem apud Claronam Helvetiorum, librum ibidem reperi „ (Obsequiale vocant pontificii) in Mollis vetustissimum, sed „ integrum adhuc & nulla parte quod ad literas adtinet vitia„ tum. Titulus erat (rubricam vocant) in eo loco, quo de ritu

N n „ bap-

(a) Erat verò Zwinglii sententia, *corpus & sanguinem Christi spiritualiter*, *non corporaliter*, *non ore*, *sed mente ac fide percipi*.

(b) Sed, cum ipsam illam HONII Batavi Epistolam à Zwinglio deinceps A. 1525. publici juris factam, (sit licet opusculum rarissimum,) in scriniis nostris asservemus, tum eandem, inter Documenta huic Operi annexa, Lectoribus nostris communicabimus, atque etiam simul ea, quæ ad hanc Historiam uberius enodandam facient, illustrabimus.

(c) vid. ZWINGL. Opp. Tom. 1. fol. 34. a.

„ baptisandi præscribit, hujusmodi verbis scriptus: Baptisato
„ puero mox detur Eucharistiæ sacramentum. Similiter pocu-
„ lum sanguinis. Non hic probo hunc usum, quo sacramentum
„ Christi pueris datum est, sed hoc tantum ostendo, cœlestem
„ hanc alimoniam aliquando sub utraque specie in nostris terris
„ datam esse. Interfuerunt huic rei, simulque mecum vide-
„ runt, viri aliquot boni & docti, Adamus tum minister verbi in
„ Mollis, Gregorius Buntzli minister verbi in Vuesen, & Jo-
„ annes Varschon.

„ Hoc jam anno, quem numerant à nato Christo vicesimum
„ tertium supra millesimum, venerunt ad me Valentinus Scudi
„ successor meus in Clarona, & Joannes Herus, indicantes si-
„ milem librum se invenisse in templo Claronensi, tam similem
„ omnino Mollensi, ut alter ex altero videatur esse descriptus.
„ In eodem libro prædicta verba etiam contineri. Quandiu mos
„ iste apud Claronenses duraverit, certum non est, sed hoc certum
„ est non esse ducentos annos (*elapsos* scilicet) quod hic mos in usu
„ fuerit in Mollis. Reperi enim literas quasdam vetustissimas apud
„ ipsos, quæ indicant quo pacto quaque ratione Mollis à Cla-
„ rona sit segregata, quæ annos ducentos non excedunt. Ante
„ hujusmodi separationem Obsequiale nullum habuit nimirum
„ Mollis quum sacramenta in ea nulla administrarentur. Adpa-
„ ret ergo Mollensem librum ex Claronensi esse descriptum,
„ quo postea in nova ecclesia uterentur. Hæc tam proprie
„ tamque diserte, adeoque testibus adhuc viventibus mihique
„ charissimis in Christo fratribus, ostendo, ut discamus hære-
„ sim nullam esse, *Christum cibum animæ si quis sub utraque*
„ *specie aut forma accipiat*, imò hoc institutioni Christi esse
„ vicinius & conformius, quam si unum duntaxat symbolum
„ sumamus.„

§. CXVII. Cæterum, de ea quam diximus, Disputatione pauca quædam ad ipsius causæ intellectum tantò dilucidiorem observamus, quæ ex ipsis Actis unicuique in conspectum venient: Quod enim *primò* omnes legitimi Colloquii de rebus Religionis ineundi partes in ea fuerint observatæ, ne hostes quidem diffiteri poterunt: Locus erat tutus, atque ab omni coa-

ctio-

ctionis periculo immunis, dicendi libertas utrique parti ex æquo concedebatur, modo decentiæ servarent utrique regulas & modestiæ: Erant per Magistratus Tigurini (cui quin hæc competierit potestas, inquirendi in veritatis professionem publicam, quis quæso amplius dubitaverit?) diploma publicum evocati, & ditionis propriæ Clerici, & ipse, qui tantò posset omnia moderari felicius ac dirigere prudentius, Episcopus Constantiensis, ejusque Legati: Ut tanto magis observationem *secundò* mereatur, quod ipsi tamen suæ causæ nimium diffidentes ac circà veritatem tergiversantes Pontificii, adeò liberaliter invitati, disputandi aleam subire vererentur, variisque ac pœnitendis effugiis tempus terere, atque elabi conarentur; Sed &, quis *tertiò* non justissima percellitur indignatione, quod ipsis opponentibus in hac velitatione gravissima, Pontificiis, tam sæpe puerilia ipsisque prorsus indigna, &, quod magis est, tam impia & blasphema sæpe exciderint Paradoxa. Certè ipsius J. FABRI responsio, vix homine Christiano, nedum Episcopi Vicario, atque deinceps Episcopo, digna censeri poterit, quando is, *amicè simul* (a) *atque pacificè vivi posse affirmabat, & si nullum extaret Evangelium:* Et, quid de sacrificulo Schlierensi dicemus, qui cum ab aliis de legenda S. Scriptura esset monitus: *Quid verò*, regerebat, *illi agendum fuerit, cui sacerdotii reditus sunt tenuiores, quam ut hujusmodi libros, Testamentum videlicet, emere queat? Quartum* quod notamus, est, quod argumenta, si quæ pro causa Pontificia afferrentur, omnia plumbea essent atque elumbia: *Faber* sane cum de Invocatione Sanctorum disputaretur, (b) diu tergiversatus tandem in hæc prorupit verba: „*Communi & unanimi Eccle-*
„ *sia Christiana consensu illud receptum & approbatum est, omnes de-*
„ *nique Christi fideles, illud credunt & recipiunt, simulque Leta-*
„ *nia & Canonis Missa authoritas idem illud confirmat & asserit,*
„ *quod nimirum DEI matrem & sanctos omnes invocare debeamus,*
„ *ut pro nobis intercedere dignentur. Testatur idem ipsa Maria Vir-*
„ *go apud Lucam hisce verbis: Ex hoc me beatam dicent omnes gene-*

(a) v. ZWINGL. Opp. Tom. II. fol. 622.
(b) v. ZWINGL. ibid.

„ *rationes. Et cognata ipsius Elizabet, amicissime ipsam compellans,*
„ *inquit: Unde mihi hoc, ut mater Domini mei veniat ad me? Item,*
„ *Benedicta tu inter mulieres. Accedit his mulieris Evangelica testi-*
„ *monium, clamantis: Beatus venter, qui te portavit, & ubera,*
„ *qua suxisti. Quotidiano item Ecclesia ritu celebratur quod cani-*
„ *mus; sentiant omnes tuum levamen &c. Porrò, si, qua nos dici-*
„ *mus, vana sunt, & pro nugis habentur, mihi prorsus tacendum esse*
„ *video.* „

Et, ne quis credat, ejus coadjutores aut doctiores in hanc arenam descendisse, aut sapientiores: En *Martini* BLANTSCHII Doctoris Tubingensis, (a) quibus Fabro opem ferre annitebatur, verba, nihilo præstantiora: „ *Multis quidem contra Christiana Ecclesia ri-*
„ *tus & consuetudinem variaque ejus statuta, (qua in sacro sanctis*
„ *Patrum Conciliis, in DEI Spiritu congregatis, ordinata sunt, qua-*
„ *que non sine laude digna usurpatione in hunc usque diem retenta &*
„ *custodita esse cernuntur) hactenus disputatum est. Hoc verò re-*
„ *prehendere aut impugnare magna temeritatis opus est. Quacunque*
„ *enim per Patres in quatuor illis Principalibus Conciliis statuta sunt,*
„ *eorum in Christiana Ecclesia Evangelio par debet esse authoritas,*
„ *quemadmodum Pontificio Jure distinct.* 15. *traditum est. Ecclesia*
„ *enim, per Concilia in Spiritu sancto congregata, errare nequit.*
„ *Nefas ergo est, contra hujus decreta aut constitutiones quicquam vel*
„ *dicere vel facere: quemadmodum & Christus in Evangelio testatur*
„ *dicens: Qui vos audit me audit. Qui vos spernit me spernit. Hac*
„ *discipulis suis dicit Christus, & omnibus iis, qui Apostolorum loco*
„ *Christianam Ecclesiam gubernant, quales sunt Pontifices & Episco-*
„ *pi, sic enim jam multis annorum centuriis receptum est, ut Romana*
„ *Ecclesia omnium aliarum mater sit, quod ipsum Christi verbis con-*
„ *firmatur Matth.* 16. *quemadmodum videri est Distinct.* 10. & 12.
„ *Ca. Nova & Ca. Quamvis. Praterea contra Sanctorum invocatio-*
„ *nem multa hic dicuntur; quasi verò divinus ille & honestissimus*
„ *mos, longi temporis consuetudine in Christiana Ecclesia confirmatus,*
„ *nullis scriptura testimoniis probari possit: Cum tamen Hieronymum*
„ *habeamus, multa de Divorum intercessione ad Jovianum scriben-*
„ *tem, qui eandem nobis utilissimam esse evidentissimis scriptura ora-*
„ *culis*

(a) vid. HOTTING. H. E. Sec. XVI. Tom. III. p. 629. sq.

„ *culis comprobat. Testimonii loco hic nobis est divina Missa Canon,*
„ *veterum Pontificum & Episcoporum opera & studio compositus. Le-*
„ *tania item per Gregorium instituta, quæ per universum Christiano-*
„ *rum orbem magna cum solemnitate cantari consuevit, & Divorum,*
„ *virginisque Mariæ intercessionem non temere institutam esse, clarissi-*
„ *me testatur. Accedit his quotidiana experientia, quæ miraculis*
„ *nusquam non locorum celeberrima est. Iniquissimè ergo mihi face-*
„ *re videntur, qui hanc vel scripturis contrariam esse judicant.* „

Quodsi verò, ipsum ZWINGLIUM, *quintò*, atque ejus collocutores eorumque agendi ac disputandi rationem intueamur, videbimus, quam equidem ipse Zwinglius noster, in omni antiquitate fuerit versatissimus, sed ita, ut eam tamen eruditionem cassam prorsus existimaret, atque frustraneam, in doctrina fidei demonstranda, quippe quæ, non hominum sed solius Dei nititur authoritate, cujus Verbum & doctrinæ normam & fidei vitæque regulam exhibeat. Sic inter alia: (a) „ *Paratus equidem &*
„ *prompto animo sum ad respondendum & ubicunque voles, imò Con-*
„ *stantiæ quoque (ut jam ante testatus sum) si ea fide salvus conductus*
„ *exhibeatur serveturque, qua tibi nunc à nostris exhibitus est. Ju-*
„ *dices verò alios, præter sacras Scripturas nullos unquam admittam.*
„ *Has (inquam) ut à DEI Spiritu prolatæ sunt, non ullum alium ho-*
„ *minem audiemus. Citius autem cœlum & terra peribunt, quam*
„ *aliqua harum per te expugnari possit. DEI enim verbum sunt.* „

Ut egregie jam annotaverit Vir Doctus, unius hujus disputationis Acta diligenter probare, quam in Scriptura Papismus nihil habuerit subsidii, meritóque ipsi subscribamus judicio doctissimi HOORNBEEKII, (b) qui, *Non scio aliam* scribit, *disputationem institutam, habitamque meliori ordine fuisse, majorique cum fructu uspiam, ac hanc: ad quam, absque tumultu, præeunte maturo examine, disputatione, omniumque instructione, convictis Adversariis, Ecclesiæ Magistratusque unanimi consensu, in urbe & agro sequuta fuit felicissima Reformatio. Post finitam actionem, & factum illud Senatus-consultum, Faber, qui antea semper exceperat, se dis-* Nn 3 *pu-*

(a) ZWINGL. Oper. Tom. II. p. 621.
(b) vid. *Joh.* HOORNBEEK. Summ. Controvers. pag. 242.

putare nolle, nisi forte in Academia aliqua, Parisiensem nominans, Coloniensem aut Lovaniensem, Zwinglio intersante, quid verò si Erfordia aut Viteberga huic negotio destinaretur? Respondit ad hoc; minime, quia Lutherus nimis vicinus est; ab aquilone panditur omne malum: vel scripturum se ajebat adversus Zwinglii Conclusiones, jam ante ab eo compositas editasque, ne quis ignoraret, qua de re habenda foret disputatio; denique & ad Concilium propediem habendum, isto, vel proximo, (dicens) anno rem differre volebat Faber: sed finitâ jam disputatione, quasi post prælium, loca aliqua Scripturæ proferre incipiebat, ad quod antea perduci non poterat, pró Ecclesiasticis *traditionibus &c. decertans, ad quæ facillimâ operâ respondet Zwinglius.*

§. CXVIII. Atque ita quidem Reformationis TIGURINÆ jacta erat alea; Erat enim hæc Senatus conclusio sapientissima & moderatissima: *Quoniam contra Huldrychum Zwinglium majoris nostræ ecclesiæ antistitem & ecclesiasten (quem hactenus multi clam hæreticum esse convitiati sunt) post articulorum aut propositionum ipsius promulgationem, nemo prodire visus est; qui illum sacræ scripturæ oraculis convincere conaretur, licet non semel eos provocarit, qui illum ante hæreticum dixere: prudentissimi viri Cos. S. P. Q. Tigurinus decreverunt & omnino ratum volunt, ut Huldrychus Zwinglius sacrosanctam Evangelii doctrinam & divini verbi oracula (ut hactenus ab illo factitatum est) annuntiare & prædicare pergat. Præterea aliorum quoque, quotquot vel in urbe vel agro verbi ministerio præsunt, est, non quicquam aliud instituere aut docere, quam quod Evangelicæ doctrinæ testimonio & sacræ scripturæ authoritate per ipsos probari potest. Ab omnibus vero vel hæresium vel aliorum scelerum criminationibus illos abstinere & in totum sibi temperare volunt. Si qui enim in his sese immorigeros & rebelles præbuerint, eas de se pœnas sumi sentient, ut se inique & injuste fecisse omnibus testari queant. Actum Tiguri Januarii* XXIX. *Anno* M. D. XXIII. neque operæ censemus pretium, vel, Varillasii ac Maimburgii ineptas plane de hac disputatione narrationes confutare, vel, ipsum quod unicuivis Christiano Principi competit Jus circa sacra luculentius aut diffusius asserere, cum ipse Zwinglius accurate satis in ipsa disputatione, hujus

(a) vid. HOORNBEEK. l. c. p. 241.

jus ipsius potestatis fixerit limites, indicando, quam Judicis partes in dirimendis Religionis controversiis sibi arrogare nullus queat, vel Princeps vel Magistratus, sive is Civilis sit sive Ecclesiasticus, uti nec in his Tigurinum Magistratum (a) vel ullum alium audiendum esse insinuabat, cum sola Scriptura Sacra, & viam salutis & credendi leges, & amussim juxta quam à vero devia dijudicari queant dogmata, exhibeat, nec alio quam ipsa Scriptura controversiarum Judice indigeamus, ut nec in homines nostra recumbat fides, nec hominum innitatur vel commentis vel authoritati, sed Soli Deo in verbo suo loquenti fideique regulam præscribenti:

Interea tamen Evangelii hostes abinde multos ciere strepitus; Faber saltem, futilem quandam de rebus Tiguri in Synodo gestis edere narrationem, atque petere à Zwinglio, ut articulos illos LXVII. uberius, cujus rei fidem fecerat, elucidaret, cui petito Zwinglius obtemperare. Atque inde illa, quæ in Operibus Zwinglii legitur, enata est horum articulorum Elucidatio, quam tamen ipse Faber intactam relinquere debuit, magna spirans, sed ita, ut corvos deluderet hiantes; Et quanquam brevi post (b) ad amicum Moguntinum *Quod ex me*, scriberet, *nova expectes, certi quicquam non habeo, nisi quod apud Tigurinos novus Lutherus exoritur, qui tantò gravior est, quantò austeriorem populum habet, Huic contraire, velim, nolim, cogor etiam invitissime, id quod in brevi agnosces, emisso libello, quo Missam esse sacrificium probo.* Quam tamen ea mera fuerint verba, eventus docuit. Quod verò, sese odio variorum per hanc agendi rationem exposuerit Zwinglius, discimus ex ejus Epistola ad *Wernerum Steiner* Tugiensem brevi post data, (c) in qua: *Admonuit*, scribit *amicus quidam integer, quod Episcopus Constantiensis & Ennius Verulanus,*

(a) HOTTING. Helvet. Kir. Gesch. T. III. p. 115. Accedit, quod magna in ipso Papatu fuerit Magistratus Tigurini, in Monasteria, totumque clerum authoritas, comprobante id J. H. HOTTINGERO in *speculo Tigurino* p. 395. sq.

(b) Scil III Junii 1523. vid. HOTTING. Sec. XVI. T. II. p. 229.

(c) v. ZWINGL. & Oecolamp. Epist. fol. 148. b. Est autem hæc data Epistola d. 14 Aprilis 1523.

nus, gravibus insidiis me sint petituri. Ego verò (ne metuas, hoc dico, non ut jactem) si insidias fuissem veriturus unquam, non tam constanter suscepissem Evangelii prædicandi provinciam: Cæterùm quod accuratè Tigurini suo inhæserint decreto, partim ex Actis Tigurinorum publicis ejus anni, partim ex iis qui rerum gestarum ejus reipublicæ Annales consignarunt, colligitur: Atque fuit hoc anno inter Tigurinos sacerdotes omnium primus *Gulielmus* RUBLINUS, qui misso cœlibatu, d. 28 Aprilis cum Adelheida Lemannia matrimonium contraxit ringentibus adversariis legitimum. (a)

§. CXIX. Sic itaque Helvetiorum (b) prope soli Tigurini sequebantur Zwinglii doctrinam; Ex reliquis verò plerique fremere ac indignari; Et cum Bernæ propterea convenissent, erant, qui Zwinglium graviter accusarent, & invidiæ concitandæ causa dicerent, illum pro concione dixisse non semel, ipsos, qui cum exteris iniissent fœdus, vendere sanguinem, & vesci carnibus humanis. Eo cognito, simul ac Legati Tigurini domum reverterant, Zwinglius per epistolam sese purgat, neque sic esse locutum, sed in genere dixisse, docet, *esse nonnullos, qui esum carnis, lege pontificia interdictum, abominentur ut impium, quod autem humanas carnes auro divendant & ferro consumant,* (c) *in eo nullum esse piaculum existiment:* Nominatim abs se nullam gentem esse notatam, neque se consuevisse, suos in Helvetios ad hunc modum invehere, quos propter communem patriam vehementer amet: vitia quidem necessariò se reprehendere, quæ nunc sanè plurimùm exundent: id autem ad bonos & innocentes minimè pertinere: Quinam verò hujus Epistolæ Apologeticæ fuerit effectus, non melius quam ex *Ammani* TSCHUDII Glaronensis epistola ad Zwinglium data colligitur; siquidem is referat, decretum tum apud Bernenses esse factum, de Zwinglio, ubicunque fieri posset, in captivitatem di-

(a) HOTTING. Helv. Kirch. Gesch. T. III. p. 117.
(b) SLEIDAN. lib. IV. p. 54. a.b. cujus hæc verba sunt.
(c) vid ZWINGL. Oper. Tom. I. pag. 147. ubi ipsa Zwinglii legitur Apologia, qua in publicis Helvetiorum Comitiis Bernæ congregatis ad quædam falsò sibi intentata crimina respondet.

ducendo, suum verò erga ipsum simul quoque idem ille aperit affectum tenerrimum: (a)

Interea verò Zwinglius, cum privatim, tum publicè pergere, atque hoc ipso anno edere, suam *de Canone Missatico* in Ecclesia Pontificia hactenus inde à temporibus Gregorii M. usurpato, tractationem (b) utilissimam certè, atque tanto salubriorem, quantò robustius ipsius Ecclesiæ Pontificiæ totiusque Papatus fundamentum est, ipsa illa *Missa Pontificia*, ut rectè jam à *Luthero* (c) fuerit monitum, *Missa triumphata totum Papatum triumphari. Nam super Missam*, ita is scribit, *ceu rupem nititur totus Papatus cum suis monasteriis, episcopatibus, collegiis, altaribus, ministris & doctrinis, atque adeò cum toto ventre suo.* Intelliguntur autem per *Canonem*, apud Pontificios, preces illæ consecratoriæ, quibus Eucharistia consecratur, quin imò omnia illa legenda, quæ in celebratione Eucharistiæ populo prælegguntur, quo sensu in Mediolanensi Ecclesia Canon *Ambrosianus* ita dictus, in Romana *Gelasianus* primò, & deinceps *Gregorianus*, in Gallia *Gallicanus*, in Hispania *Mozarabicus* locum obtinuit: Quidquid sit, Zwinglius illum *receptum Canonem*, *inscitia plenum*, (d) *infantia, & impietate*, asserit, deincèps *à variis non uno tempore consarcinatum, sæpius correctum & immutatum, variisque & gravissimis erroribus atque superstitionibus coinquinatum*, ut eundem *prorsus abrogari debere* sciscat, substituto, cujus rationem tum reddebat,

Oo no-

(a) vid. J. J. HOTTING. Helvet Kirch Gesch. T. III. p. 131, 132. Verba TSCHUDII hæc erant. *Ihr seyt nicht bericht, des zu Bern gemachten Anslags. Die meinung ist, wo man euch in der Eidgenossschaft begreiffen könte, euch gefänglich anzunemmen.*

(b) v. Zwingl. Oper. Tom. 1. fol. 175. b. & sqq. sub tit. de Canone Missæ Ἐπιχείρησις ad Theobaldum à Geroldsegg, de quo jam suprà quædam monuimus, & de quo in ipsa dedicatione hujus libelli testatur Zwinglius, quod is sit *ille, qui posteaquam ad aratrum manum admoverat, non respiciat retro.... sed quod nullo adversitatis vento vel tantillum reflecti sinat, quæ constantia germanæ fidei sit argumentum.*

(c) In Libro ad Henricum VIII. Angliæ Regem apud SECKENDORF. 1. §. CXVI. fol. 189.

(d) v. Tract. cit. Opp. T. 1. fol. 180.

novo. (a) Sed &, eodem anno, *Missam* ipsam, & *Imagines*, quæ vera Pontificis erant arma, oppugnare fortius aggrediebantur Tigurini, Zwinglius præcipuè, Engelhardtus, & Leo Judæ, ita ut, cum resisterent alii, res quodammodo in contentionem veniret, atque interventu quorundam ex plebe zelotarum, statua quædam Crucis, eximiæ magnitudinis in via publica erectæ, dei loco deturbaretur, atque conculcaretur. Atque hæc res, quum eorum quidam (b) carceri, quod propria authoritate res novas molirentur, manciparentur, proximam dedit secundo Conventui per Senatum Tigurinum, ne quid scilicet immaturè, aut zelo quidem bono, sed non secundùm scientiam ageretur, convocando occasionem (c); Qui & ipse Conventus ad diem 26. Septembris 1523. celebratus frequentissimus fuit, dicunturque adfuisse ex universa Helvetia plus quam nongenti. (e) Vocati etiam erant Episcopi, Constantiensis, Curiensis, Basileensis: Illi verò nec adfuerunt ipsi, nec miserunt legatos; Et nihilo tamen secius, hæc posterior Synodus, priore quod fuerit longe celebrior, dubitari nequit. Erant duo primaria hujus Disputationis capita: De *tollendis Imaginibus*, & de *abroganda Missa*. Durabat autem hæc per integrum triduum Disputatio, quæ sub præsidio Virorum prudentissimorum, atque clarissimorum, *Joachimi* VADIANI (f), *Sebastiani* HOFMAN-

(a) De hoc tamen *novo Canone* notari meretur, quod verè substitutus fuerit nunquam, quodque id provido Numine fuerit factum, cum intra biennium, jam totus ille processus Missaticus, uti statim, §. CXX. p. 294. videbimus, abrogaretur.

(b) *Nicolaus* HOTTINGERUS atque alii, de cujus martyrio vid *Miscell Tigurin.* Tom. 1. p. 3-13

(c) Decretum ea de re factum ad Vesperam S. Galli A. 1523. suæ collectioni inseruit FUESLINUS Tom. II. pag. 30. 31.

(d) Acta hujus Conventus habemus in ZWINGLII Operibus Tom. II. p 623. sqq.

(e) v. FUESSLIN. Collect. cit. T. 1. p. 26. quanquam Hoornbekius, Hottingerus, & alii, tantum commemorent, plus minus sexcentos.

(f) De *Joach* VADIANO Reformatore Sangallensi Nobili & eximio, ipse ZWINGLIUS in Pastore suo Opp. T. 1 . p. 283. hoc fert testimonium: *Jo-*

MANNI (a) & *Christophori* SCHAPPELERI (b), peragebatur; His enim, ut præsiderent, atque sedulò, ne quid quod vel Scripturæ sacræ esset adversum, vel bonis moribus inimicum, vel ageretur vel concluderetur, providerent, erat authoritate publica injunctum. Et fuit hæc non minus Disputatio secunda æque ac prima, ad justas colloquii de Religione leges instituta, siquidem liberum esset unicuique, suas agere partes, suaque, debita cum modestia, proponere, atque justis rationibus munire; Quid? quod etiam unusquisque nominatim ad opponendum invitaretur (c) Quanquam, cum nihil prorsus, vel ad defensionem Iconolatriæ, vel Sacrificii Missatici, à quoquam, quod solidum creparet afferretur (d), factum est, ut tandem *Joachimus Vadianus*, qui cum reliquis duobus præsidio fungebatur, omnes obtestaretur, quò, si quis sibi non satisfactum esse putaret, sententiam suam disertis verbis proferret, quando tandem, cum nemo prodiret, ipse *Zwinglius*, Collegio Carolino ex voto plurimorum suffragante, breviter peroravit, tum, *Leo Juda*, postea, *Joach. Vadianus*, & denique, Reip. Tigurinæ Consul meritissi-

 mus

Joachimus Vadianus, celeberrimus ille, fidelissimusque, tam animarum, quam corporum medicus, Sangallensis civitatis, nobilissimæque patriæ suæ, totiusque Helvetiæ, imò universæ Christianæ Ecclesiæ eximium decus: Fuit is verò etiam deinceps in Patria ad Senatoriam dignitatem, quin imò etiam ad Consulare fastigium evectus.

(a) *Hofmanni* hujus, Lucernensis natione sed Scaphusanæ Ecclesiæ deinceps Reformatoris, nomen satis est notum

(b) De C. SCHAPPELERO vid. SCHELHORN Amœnit Literar. Tom. VII. p. 281.

(c) Quod partim ex Actis publicis impressis, atque Tomo II. Operum Zwinglii adjectis, partim ex Mstis Bullingeri opera confectis, elucescit.

(d) Nisi quod Conradus *Hofmannus* Canonicus Tigurinus (à *Seb. Hofmanno*, Scaphusano diversus) post multas tergiversationes, declinare tandem totam hanc disputationem videretur, ipsamque vel doctrinæ vel rituum reformationem ex eo capite accusaret, quod Canonici omnes, inter quos & ipse & Zwinglius erant, juramento fidem fecerant, se nil quicquam innovaturos, aut contrà ea, quæ per majorem & prudentiorem Capituli partem statuta essent, molituros esse. vid. HOTT. H. E. Sec. XVI. T. IV. p. 93-95. qui simul p. 121. &sqq. quam in his ipsis fidem non fefellerit Zwinglius, quin præstiterit potius ipsius illius juramenti, liquidò ostendit.

mus *Marcus* REUSTIUS (a), cujus verba Ἀπολυτικὰ sunt:
„ *Fuere quidem, fratres, qui ea in medium producere conati aliquo-*
„ *ties sunt, quæ ad rem præsentem minus facere videntur. Hos meri-*
„ *tò quidem tacere jussi. Oro autem, ne quid hîc iniquiori animo fer-*
„ *re velitis. Vobis verò, Præsides dignissimi, Tigurina Civitatis Sena-*
„ *tus gratias, quam potest, maximas agit, qui hanc operam vestram*
„ *illis non denegandam putaveritis: Simulque se idem vobis præstitu-*
„ *rum esse volenti animo offert. Vos autem oro & obtestor P. C. ut*
„ *DEI Verbum fortiter, viriliter & citra omnem animi metum aut*
„ *terrorem recipere studeatis. Non deerit piis & sanctis conatibus Do-*
„ *minus DEUS Omnipotens. Agnosco quidem meam in re tam ardua*
„ *infantiam, & quod de hac pro dignitate disserere non possim. Atta-*
„ *men Dei Verbum inconcussâ mente amplecti & retinere decet. Do-*
„ *minum Deum invocemus Fratres, ut is tantis conatibus felices suc-*
„ *cessus largiri dignetur, Amen.* Tanto cum ordine, tamque feliciter processit Reformatio Reip. & ditionis Tigurinæ: Neque verò, (quanquam id privatim unicuique parocho liberum relinqueretur, prouti vellet, Missam vel legere amplius vel minus, atque etiam unicuique Laico permitteretur, privatas suas ex templis si tollere vellet Imagines,) publicè tum adhuc vel abrogata legitur Missa, vel sublatæ sunt Imagines; Est tamen visum *Magistratui, tempus jam esse*, (b) *ut pro suo officio ea tolleret, quæ jam didicerat apertissimè cum verbo Dei pugnare. Primò igitur omnium mandavit Sacerdotibus & Monachis, ne posthac ullas publicas Processiones instituant: & præsertim ne consecratum panem in pompa per urbem & agrum circumferant, aut in Templis adorandum proponant, quod hæc manifeste prima Institutioni Cœna adversentur. Præterea delecti è Senatu una cum Ministris, è præcipuis Urbis templis tumbas, in quibus dicebant, corpora Martyrum, vel reliquias eorum esse reconditas, sustulerunt, & his apertis, vel nulla prorsus ossa, sed nescio quas quisquilias repererunt in quibusdam, vel in*

(a) Cf. HOTTING. H. E. Sec. XVI. Tom. III. p. 633. ubi quantæ authoritatis Vir idem ille *Reustius* Tigurinus Consul fuerit, & quam adamatus ipsis Pontificibus ejus temporis Julio II. & Adriano VI. ex fide dignis ejus temporis documentis eruit p. 634-638.

(b) vid. HOSPINIAN. Histor. Sacrament. P. II. fol. 23. a.

in aliis aliqua sunt inventa, quæ reverenter terræ mandata, non, ut multos dicere non puduit, abjecta, aut contumeliis affecta sunt. Sacerdotibus quoque mandatum est, ne Organis posthac ludant in templis, ne Campanarum pulsu, funera plangant: aut tempestates averruncare seu arcere conentur, ne palmarum ramos, sal, aquam, cereos, & similia consecrent, neve morituros oleo inungant, quem novissimum Baptismum vocare solent: hæc enim omnia superstitiosa esse, & cum expresso Dei verbo pugnare.

De reliquo autem ipse Senatus Tigurinus prudentissimo consilio, ad Episcopos, Curiensem, Constantiensem, & Basileensem, itemque ad Academiam Basileensem & reliquas Provincias literas iterum conscribi curavit, quas, unà cum *Isagoge in doctrinam* (a) *Evangelicam* juxta quam Reformatio in ditione propria esset instituenda, ipsis transmittebat, amicissimum addendo petitum, ut si quid adversus hanc Summam, ex Verbo Dei possent afferre, id amicè monerent, se plane non fore immorigeros, atque etiamnunc, ab ulteriori Reformatione se destituros esse, usque ad sequentis anni A. 1524. Pentecosten, quando tamen id quod Verbo Dei deprehensuri sint consentaneum, essent effecturi.

§. CXX. Atqui, ne tum quidem, cessarunt Canonici quidam atque Sacerdotes Tigurini, inter quos idem ille, Conradus *Hofmannus*, & quidam ejus socii, qui vehementem in modum quiritari, atque mussitare, sibi nullo pacto esse satisfactum, rem majori successu se esse acturos, si defendendi partes denuò ipsis concederentur: Tum verò, Amplissimus Magistratus, cui nec curæ quidpiam magis erat nec cordi, quam ipsa veritas, de novo eos con-

(a) Publicaverat enim tum quoque ipse Senatus Tigurinus libellum sub titulo: *Kurtze und Christliche Einleitung &c.* quem Gualtherus deinceps in Latinum idioma transtulit, atque operibus Zwinglii inserendum curavit, sub tit. *Brevis & Christiana in Evangelicam Doctrinam Isagoge scripta per H. Zwinglium & à Prudentissimo Tigurinæ Civitatis Senatu cunctis Ecclesiarum tam in agris quam in urbe Ministris exhibita, ut ea instructi Evangelicam Veritatem purè & sincerè prædicare possent:* In qua ipsa Isagoge ipsius Missæ fundamentum denuò concutitur. vid. FUSSLIN in docum ad Hist. Ref. Helv. Tom. 1. p. 40. in notis.

convocari, (a) & si quid in Papismi patrocinium haberent edicere jussit: Dies ei rei dictus est XIII. & XIV. Januarii A. 1524. quando *Hofmannus* (b) cum suis ab una parte, *Zwinglius* verò *Engelhardtus* & *Leo Juda* ab altera parte, coram delegatis quibusdam ex ipso Senatu comparuerunt, atque eandem denuò ventilare de *Missa*, *Imaginibus* & *Invocatione Sanctorum* causam instituerunt, quam, cum deserere tandem, vel eadem oberrantes lyra, vel prorsus conticescentes, vel forum illud de novo excipientes, deberent Papistæ, nilque regerere aliud possent, nisi quod scriptum quoddam ad Ampliss. Magistratum, quo nil nisi principii petitiones continebantur, exhiberent, factum est, ut priori non tantummodò decreto inhæreret Senatus, sed &, ipso facto, *Imagines ex templis abolendas* esse publica authoritate decerneret, (c) ita tamen, ut circa Missam, nil quicquam hactenus definiret, antequam prior illa de Imaginibus aliquantisper sopita lis videri posset, quanquam reverà, vel tum (d) jam nulli fermè amplius, eorum, qui fideles erant, Missæ interessent; Ipsis verò illis Canonicis injungebatur, ut ne amplius obloquerentur decretis ab Ampl. Magistratu factis, ceterum ipsi crederent impune, quæcunque vellent. (e)

Sed

(a) vid. FUSSLIN. docum. ad Hist. Ref. Helv. Tom. II. p. 46. sqq.

(b) v. J. J. HOTT. Helv. K. G. pag. 149. 150.

(c) vid. ZWINGL. Oper. Tom. I. fol. 261. b. ubi egregie, modus & ordo traduntur, quo Tigurina Ecclesia in idolis demoliendis est usa.

(d) Quod ZWINGLIUS testatur in Ep. ad Math. Alberum Reutlingerum data A. 1524. d. 16 Novembris: vid. Ep. Zwingl. & Oecol. p. 117. a. ubi simul quoque de suo quod antehac ceperat consilio refert, sed de quo sibi gratulatur, quod illud effectum non fuerit sortitum. Verba ejus hæc sunt: „ Nostri qui fideles sunt, Missæ nulli prorsus intersunt. Et nos „ Veterem Missandi ritum, aliquando statueramus novo aliquo abolere, „ sed rursus Dei dono factum est, ut res alio ceciderit. Nam si nobis „ obtemperatum esset, nihil aliud quam clavum clavo pepulissimus, & „ recens acceptus ritus difficilius potuisset antiquari, quam qui à priscis „ manavit. „

(e) RUCHAT Hist. de la Ref. T. I. p. 204. cf. FUSSLIN docum. cit. pag. 51. verba decreti hæc erant: *dass sie nun hinführo die sachen bey mei-*

Sed factum est paulò post, ut cum indies magis atque magis illa de religione simultas invalesceret, ut reliqui pagi, primò Lucernæ ad diem 26 Januarii conventum celebrarent, ibique decernerent: (a) Ne quis verbum Dei, quod supra mille quadringentos annos nunc denunciatum sit, neve Missam, in qua corpus Christi consecratur ad ipsius honorem, & vivorum atque mortuorum solamen, derideat aut contemnat: qui cœnam Domini per ætatem percipiunt, delicta sua, quadragesimæ tempore, sacerdotibus confiteantur, & reliqua omnia more consueto faciant: Ecclesiæ ritus omnes atque consuetudines serventur: suo quisque Pastori pareat, ab eoque sacramenta percipiat, uti fieri solet, & quam debet annuam ei pecuniam, persolvat: sacerdotibus exhibeatur honos: diebus vetitis abstineatur ab esu carnium, & per quadragesimæ tempus, ab ovis etiam atque caseo: Lutheri nihil privatim aut publice doceatur adversus receptum Ecclesiæ morem: In cauponis atque conviviis, Lutheri, vel novæ cujuspiam doctrinæ nulla fiat mentio: divorum imagines atque statuæ sint ubivis inviolatæ: ministri ecclesiæ rationem suæ doctrinæ reddere non teneantur, nisi Magistratui tantum: tutela præstetur illis atque patrocinium, si quis forte motus ingruat: qui sancti Spiritus, Mariæ virginis, divi Antonii circumferunt reliquias, à nemine rideantur: quas Constantiensis episcopus tulit de religione leges, eæ serventur: qui decretum hoc violarint, magistratui deferantur, & sint ubique tanquam inspectores eorum quæ fiunt.

Deinceps verô, cum ne hoc quidem Reformationis negotio ponere posset obicem, nisi quod hujus edicti severitatem experiri tum

meiner Herren Räthe und Bürger Mandaten, Erkantnüssen und Urtheilen bleiben lassen, und nichts darwider handlen, und weder heimlich noch öffentlich thuen, sonst lasse man sie glauben was sie wollen, und wo sie das thuen, werden meine Herren ihnen desto gnädiger seyn: wo sie aber das nicht thuen, habe man sie dann herein in die Stadt und auf ihre pfründe genommen, so werde man sie auch wiederum von den Pfründen thun, und ihnen den weg weiter zur Stadt hienaus zeigen.

(a) vid. SLEIDAN. lib. IV. pag. 54. 4.

tum debuerit *Nicolaus* HOTTINGERUS Tigurinus civis (a), qui primus propter religionem tum occisus est, & cujus exemplum multum ad Evangelii propagationem profuisse dicitur, reliqui pagi, die 21. Martii (excepto Scaphusano, qui tum jam deperditæ causæ patrocinium suscipere detrectabat) missis legatis ad Tigurinos, dolorem suum testati sunt, hunc in modum: „ Antiquitus (b) omnia recte pieque constituta, nec ullam doctrinæ „ fuisse contentionem: nunc autem à temerariis aliquot hominibus „ pulcherrimum hoc otium, & quietem tum Ecclesiæ tum Rei- „ publicæ turbari, & discordiæ semina spargi: nimirum opor- „ tuisse jampridem crescenti malo medicinam facere, ac more „ majorum vindicare Dei omnipotentis & Mariæ virginis & „ Divorum gloriam atque nomen, in eoque facultates omnes vi- „ tam atque sanguinem profundere. Nunc etiam imprimis, ut „ ita fiat, tempus ipsum postulare. Nam alioqui futurum, ut „ ipsis omnibus perniciem & animæ quoque jacturam ea res ad- „ ferat. Cujusmodi sit enim hujus, quam Lutherus invexit do- „ ctrinæ fructus, nunc satis apparere: populum videlicet ac „ promiscuam multitudinem vix cohiberi jam posse: multa face- „ re proterve ac insolenter, sumere sibi magnos spiritus, & ad „ rebellionem omnino spectare, quin etiam ejus rei nuper dedisse „ non obscuram significationem. Hujus verò mali contagionem „ à Zwinglio esse profectam ad ipsos, atque Leone Juda, qui „ verbum Dei, quod pacem atque concordiam adferre debebat, „ sic doceant, proque suo arbitratu interpretentur, ut turbis at- „ que dissidiis omnes aditus patefaciant. Et quanquam sibi non „ planè constet quid illi doceant, tamen quid ex eorum doctri- „ na sequatur incommodi, quotidie sese in multis experiri: die- „ bus ab Ecclesia vetitis edi nunc indifferenter carnes & ova, „ sacerdotes & Deo consecratos, tum viros tum mulieres, vio- „ lata fide, deserere professionem ac ordinem suum, & contrahe- „ re matrimonia, cultum omnem divinum intermitti, nihil jam „ in

(a) vid. suprà pag. 290. & Miscellan. Tigurin. HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. V. p. 176. 177.

(b) vid. SLEIDAN. L. IV. p. 57. b. & HOSPIN. l. c. fol. 23. b.

" in templis cantari, nullas fieri preces, in contemptum venire
" sacerdotes, monachorum dissipari sodalitia, delictorum con-
" fessionem atque pœnitentiam negligi, sic quidem, ut iis præ-
" termissis, percipere cœnam Domini quidam nihil vereantur:
" Missam proscindi conviciis, virginem Mariam cæterósque
" Divos affici contumelia, statuas & imagines revelli, confrin-
" gi & dissecari, Sacramentis Ecclesiæ nullum deferri hono-
" rem, & tantam nunc esse licentiam ac impunitatem, ut in ma-
" nibus sacerdotis vix tuta sit hostia sacrosancta, panis videlicet
" azymus Christi corpus repræsentans: Hæc omnia tanti esse
" momenti, ut meritò sint deploranda: Se quidem non illa pos-
" se ferre diutius, & nuper in proximo conventu, quosdam è
" sociis, ordinis ecclesiastici, communi missa legatione, suam
" opem implorasse. Quæ quum ita sint, orare, discedant ab
" instituto, inque veteri majorum religione permaneant. Si
" quid verò sit, in quo sese gravari putent à Pontifice ac ipsius
" clientela, Cardinalibus, Episcopis, & id genus aliis, quando
" scilicet illi præfecturas ecclesiarum invadunt, permutant,
" vendunt, quando suis indulgentiis pecuniam regionis exhau-
" riunt, quando nimiam sibi jurisdictionem usurpant, &, quæ
" solùm in rebus sacris exerceri debebat, eam ad res prophanas
" atque civiles applicant potestatem, Hæc & ejus generis alia
" permulta, si molesta sint ipsis atque gravia, non se recusare,
" quo minus corrigantur. Nam sibi quoque vehementer illa
" displicere, & una cum ipsis velle deliberare, quemadmodum
" opus illud excutiant.,, Tigurini verò, rebus suis minimè de-
futuri, ad hanc Legatorum querelam masculè respondent: (a)
" Suos ecclesiæ ministros nunc in quintum annum docere sa-
" cra: & initio quidem doctrinæ genus hoc novum sibi fuisse
" visum, eo quod nihil ejusmodi prius audissent. Cum autem
" intelligerent ac viderent, hunc ejus esse scopum atque finem,
" ut Jesum Christum ostendat, aram præsidiumque salutis, qui
" pro mundi delictis vitam atque sanguinem profuderit, & so-
" lus ab æterna morte miseros liberarit, & sit unicus apud Deum
" humani generis advocatus, non se potuisse tam salutare nun-

(a) Conf. SLEIDAN. l. c. p. 58. sq.

" cium ardenti ſtudio non complecti: Summam extitiſſe con-
" cordiam olim & conſenſionem inter Apoſtolos & eos, qui
" poſt illorum ætatem Chriſti doctrinam complectebantur:
" idem ſeſe ſperare nunc quoque futurum inter illos, qui huc
" animum adjiciunt, poſtpoſitis hominum traditionibus, alie-
" nis à verbo Dei. Quod ſi Lutherus, aut quivis alius ita do-
" ceat, rectè fieri, neque tamen idcirco nomen ejus obduci o-
" portere, quaſi propter ipſum dogmati fides habeatur: hoc e-
" nim & eſſe invidioſum, & ad verbi Divini contumeliam perti-
" nere. Cæterum, & ſi Chriſtum ſolum adorent, ad eumque
" confugiant, nullam tamen injuriam idcircò facere vel virgini
" matri, vel cæteris etiam Divis. Nam hos omnes, quum in
" terris agerent, per ſolius Chriſti nomen æternam ſalutem ex-
" pectaſſe: nunc eam eſſe lucem excitatam in animis multorum,
" ut plerique omnes in ſua civitate Biblica ſcripta diligenter e-
" volvant: nec eſſe quod Eccleſiæ miniſtri Scripturam detor-
" queant, quæ ſic in manibus omnium verſetur. Nullam ergo
" ſectam ſibi poſſe objici, ſed nomen iſtud in eos recte quadra-
" re, qui ſui quæſtus atque ſplendoris retinendi cauſa, verbum
" Dei, quo volunt, inflectunt. Errorem ſibi attribui, neque
" tamen ab ullo demonſtrari, Conſtantienſem, Baſilienſem, Cu-
" rienſem Epiſcopum, Academias etiam aliquot, & ipſos adeò
" non ſemel eſſe rogatos, ut id facerent, ſed in hunc uſque
" diem nihil eſſe præſtitum. Adhæc, in poſtremo ſuo conven-
" tu neminem ab Epiſcopis nec ab ipſis etiam adfuiſſe, præter
" Schafuſianos & Sangallios. Qui verò tunc aderant, eos re
" tota diligentius conſiderata ſuam in ſententiam veniſſe. Quod
" Epiſcopi forte dicant, non ipſis licere paſſim ita verbum Dei
" tractare, id nulla ratione niti: quum enim ſit illorum officii,
" cavere ne pereant oves, æquum eſſe profecto, ut aberrantes
" in viam reducant. Sed quoniam id non faciant, & ad Patres
" atque Concilia rem omnem rejiciant, velle ſe, non quid ho-
" mines decernant, ſed quid Chriſtus velit atque jubeat, audi-
" re. Suos doctores atque miniſtros non dare cauſam ullam
" divulſionis Reipublicæ, verum in illos hanc eſſe conferendam
" culpam, qui ſui compendii & emolumenti cauſa, diverſum à
" ver-

" verbo Dei docent. Nam ab iis & seduci populum in erro-
" rem, & graviter offendi Deum, qui variis deinde calamitati-
" bus audaciam istam ulciscatur. Dissidium hoc omne ex eorum
" cupiditate manare. Qui metuunt, ne quid commodis ipsorum
" decedat: quod si puram isti doctrinam sequerentur, & quæ
" sit non hominum, sed Dei voluntas, inquirerent, non dubi-
" um esse, quin fastum, luxum & avaritiam omnem ab se re-
" moverent, & concordiæ rationes inirent. Inundasse jam mul-
" ta vitia, majoribus ipsorum incognita, quæ suæ civitatis do-
" ctores reprehendant, & simul ad metum numinis Divini co-
" hortentur. Quod autem concionibus illorum plerique non
" emendentur, neque fructum ea doctrina dignum proferant, id
" non seminis projecti, sed ipsius fundi vitium esse. Certè suos
" intra fines non eum vulgò conspici luxum, nec intemperanti-
" am, quæ passim alibi regnet. Imprimis verò suæ ditionis ho-
" mines non sectari militiam illam externam & mercenariam, ut
" olim, quæ certe multorum vitiorum materiam subministret.
" De carnium & ovorum esu, quanquam liber sit, minimeque
" prohibitus à Christo, legem se tulisse, qua temeritas & offen-
" diculum prohibentur. Matrimonii Deum authorem esse, qui
" omnibus illud permiserit. Paulum etiam jubere, ut Ecclesiæ
" minister sit unius uxoris maritus. Et quum Episcopi, Sacer-
" dotibus accepta pecunia concubinas permittant, turpi nimi-
" rum exemplo, neque fœminis illi carere, vel possint aut ve-
" lint, non se posse Deo, qui conjugium instituit, reluctari.
" Eandem esse rationem, ad fœminas quod attinet, quæ casti-
" tatem vovisse dicuntur: nam putare se genus hoc obligationis
" atque voti, minus gratum esse Deo. Cumque donum conti-
" nentiæ non sit omnibus datum, præstare multò, sua quidem
" opinione, ut nubant, quam ut in impuro vivant cœlibatu.
" Canonicorum & id genus alia collegia quondam esse instituta
" propter homines egenos: nunc autem eas facultates ab iis ple-
" runque teneri, qui satis alioquin habent ex patrimonio. Ne-
" que raró fieri, ut unus aliquis possideat quantum ad multos
" alendos satis esse posset. Æquum ergo sibi videri, ut in pau-
" perum usus ea bona rursus accommodentur: qua tamen in re

 „ mo-

„ moderationem hanc adhibeant, ut usufructum possessoribus
„ permittant, donec è vita decedant, ne quis videlicet querimo-
„ niæ causam habeat. Templorum ornamenta non pertinere ad
„ verum Dei cultum, sed hoc esse Deo vehementer gratum,
„ quando miserorum sublevatur inopia. Christum adolescenti
„ locupleti mandasse, non ut sua bona suspenderet in templo,
„ sed ut vendita distribueret in pauperes. Ordinem Sacerdo-
„ tum ab se minimè contemni, sed eos magni fieri, qui suum
„ munus faciant & recte doceant: reliqua verò turba, quæ pu-
„ blice nihil prodest, imò nocet, si paulatim & sine offensio-
„ ne minuatur, eorumque bona pios in usus assumantur, non se
„ dubitare, quin Deo sit illud officium longe gravissimum. An
„ autem Deo sint acceptæ cantiones illorum atque preces, in
„ dubium posse vocari. Nam ex ipsis plerosque non intellige-
„ re quid dicant, deinde, mercede conductos illud facere.
„ Confessio illa tacita, quæ delicta recenset & numerat, quan-
„ ti sit æstimanda, in medio sese relinquere, sed illam, qua ve-
„ re pœnitentes confugiunt ad Christum intercessorem, arbi-
„ trari sese non utilem modò sed necessariam quoque perturba-
„ tis & mole peccati depressis conscientiis. Genus illud satisfa-
„ ctionis usitatum & quæstuosum sacrificis, permultum habere
„ tum erroris tum impietatis. Hoc demum esse verè pœnitere
„ & satisfacere, si quis vitam emendet. Monachorum ordines,
„ inventum esse humanum, non institutum Dei. Sacramenta
„ quæ Deum habeant authorem, summa veneratione sese prose-
„ qui, neque pati ut quis ea contemnat: utendum autem illis
„ juxta verbum atque præscriptum Divinum, & cœnam Do-
„ mini non eo transferendam esse, quasi vel oblatio sit aut sa-
„ crificium. Quod si clerus ille, qui nuper missa legatione
„ querimoniam habuit, impedimentum ipsis illarum, vel erro-
„ rem aliquem suum docere possit, non se recusare, quo minus
„ illis satisfiat. Sin minus, tum æquum sibi videri, ut jubean-
„ tur officium facere: nimirum ut vera doceant, & ab aliorum
„ abstineant contumeliis. Quod Pontificiorum rapinas illas &
„ explicationes & immoderatam potestatem aboleri cupiant,
„ auditu sibi fuisse longe gratissimum: id autem nulla ratione

„ pos-

„ posse fieri melius, quam si verbum Dei per omnia recipia-
„ tur. Nam quoad leges illorum atque mandata valebunt, non
„ esse quod libertationem aliquis expectet: sola verò prædica-
„ tione verbi Divini dignitatem illorum omnem atque poten-
„ tiam labefactari. Quanta sit enim Evangelii vis atque verita-
„ tis, illos videre satis & intelligere, & quia suis viribus diffi-
„ dant, regum implorare subsidia. Si nunc igitur hac quidem
„ in parte Scripturæ sit utendum adminiculo, rem ipsam postu-
„ lare, ut idem in aliis quoque rebus fiat, & ut ea, quibus of-
„ fenditur Deus, abrogentur. Quemadmodum verò sit iis om-
„ nibus medendum, ad hoc libenter sese non operam tantum &
„ consilium, sed fortunas etiam collaturos. Jam olim enim hoc
„ oportuisse fieri. Quod quum ita sit, orare ut ista boni con-
„ sulant, & diligenter secum expendant. Se quidem nihil ex-
„ petere vehementius, quam ut pacem colant omnes: nihil
„ quoque facturos contra leges atque pacta fœderis. In hac ve-
„ rò causa, quæ sempiternam ipsorum salutem contineat, non
„ se posse aliter facere, nisi demonstretur error. Itaque, sicut
„ nuper, ita nunc quoque vehementer ipsos orare, si doctrinam
„ istam sacris literis adversari putent, ut hoc intra certum tem-
„ pus, nimirum ante finem Maji sibi demonstrent: nam eous-
„ que se responsum ab ipsis atque etiam ab Episcopis & Acade-
„ mia Basiliensi velle expectare.

§. CXXI. Constituto itaque termino, elapso, nec ullo accepto responso, ipsum antehac de Idolis & Imaginibus removendis decretum factum, exsecuti sunt Tigurini, quam rem non melius nec accuratius, quam ipsis ZWINGLII (a) in Responsione ad Valentinum Comparem verbis, Lectori nostro repræsentari posse confidimus: Totam vero causam is ita enarrat: „Cum jam eo deventum esset,
„ ut idola passim à quibusdam dejicerentur importunius, totius
„ majoris Senatus, quem Diacosios (*die zweyhundert*) dicimus, au-

Pp 3 „ tho-

(a) vid. ZWINGL. Oper. Tom. I. fol. 261. b. quæ omnia justificantur ex ipso specialiori adhuc Decreto Tigurinorum A. 1524. postridie S. Viti facto, quod suæ collectioni inseruit FUSSLINUS Tom. II. p 60. 61. qui & Tomo I. ejusd. collect. n. IV. p. 142. & sqq Edictum Tigurinorum exhibet, quod ii pagorum præfectis miserunt, de exterminandis Imaginibus ex ædibus Sacris.

„ thoritas intercessit, publico edicto interdicens, ne quis priva-
„ tus idola qualiacunque subverteret (nisi si quis domi suæ pri-
„ vata haberet, vel quæ ipse suis impensis fieri curavisset, quæ
„ in sua non alterius potestate essent sita) usque dum quid hic
„ fieri debeat Senatus posset statuere. Hac ergo magistratus de
„ privatis imaginibus permissione factum est, ut non exiguus
„ earum numerus ex templis ejiceretur, idque illorum opera,
„ qui vera fide instructi, pio zelo idola omnia è medio sublata
„ esse cupiebant. Posthæc rursus à Senatu Diacosiorum decre-
„ tum est, ut singulis ecclesiis liberum sit, idola è templo suo
„ dejicere, præscripto tamen certo quem observarent ordine.
„ Jubebantur enim omnes, qui ad ecclesiam aliquam pertine-
„ bant, una cum episcopo vel pastore suo in unnm collecti con-
„ venire, & simul quid de idolis sentirent conferre. Ut si vel
„ omnes simul, vel major illorum pars, tollenda esse pronun-
„ ciarent, jam id commode sine turbis & tumultu importuno
„ exequerentur. Quod si vero majori ex parte adhuc imperiti
„ rerum & rudes esse conspicerentur, negotium hoc eousque
„ differre jubebat magistratus, donec per pastorem de hac &
„ aliis rebus vere instituti, unanimi consensu eadem quoque de-
„ molirentur. Ut autem hæc publico Senatus consulto statuta
„ sunt, sic etiam ipse magistratus eadem observavit, nec quis-
„ quam imperiose, ut idola tolleret, coactus est. Dum vero
„ hæc in agro geruntur, in urbe quoque (quæ tres ecclesias
„ particulares habet) idem illud negotium hoc modo transactum
„ est. Primum idolorum patronis certum aliquem temporis ter-
„ minum constituerunt, intra quem singulis sua idola, si quæ
„ illis propria essent, domum asportare liceret. Unde factum
„ est, ut rursum magna ex parte idolorum numerus imminuere-
„ tur. Constituto autem illis tempore jam elapso, ex omnium
„ tam clericorum quam laicorum numero tres illos trium ec-
„ clesiarum ministros, *Heinrychum Engelhardum*, *Leonem Ju-
„ da*, & *me*, una cum duodecim Senatoribus è singulis tribubus
„ desumptis delegerunt, addito simul ædili publico una cum fa-
„ bris lignariis, ferrariis & alia servorum manu ad illud opus
„ idonea: qui omnes templa ingressi, clausis post se januis, mag-

„ no

„ no cum labore & ſtudio non vulgari idola omnia demoliti
„ ſunt, (a) quæ deinde è templis exportata opportuno tempore vel
„ flammis exuſta conflagrarunt, vel in alios uſus conſumpta
„ ſunt. Pleræque vero in agro eccleſiæ magna alacritate nos,
„ qui in urbe ſumus, prævenientes, confeſtim ea exuſſerunt.
„ Hoc autem admiratione dignum eſſe videtur, quod nullum
„ inter Deos illos ligneos invenire licuit, quantumvis magno &
„ eximio honore hactenus cultum, qui flammas effugerit ſua
„ virtute & potentia, ſed omnes ſimul taciti nec quicquam re-
„ ſponſantes ignis ſupplicium ſubierunt. Sed miraculum quod-
„ dam hic commemorare libet. Lapidea quædam ſtatua divæ
„ virginis Mariæ apud moniales in Oetenbach magno cum ho-
„ nore colebatur, erat enim miraculi cujuſdam fama celebris.
„ Ferebant enim hoc conſtanti ſermone moniales, eam loco mo-
„ veri non poſſe, vel, quoties loco mota alio tranſportata fuiſſet,
„ & ſeris fortiſſimis concluſa, toties, priuſquam craſtina dies il-
„ luceſceret, in baſi ſua priſtina comparuiſſe firmam & ſtabi-
„ lem. Quid verò de hac factum, audi, Poſteaquam à nobis,
„ qui ſerio rem agebamus, dejecta fuit, nunquam remeavit am-
„ plius. Et quis non miraculum illud eſſe prædicet? Ignoſcite
„ quæſo, fratres Chriſtiani, quod ludens quodammodo & ri-
„ dens de hiſce rebus loquar. Fabulis enim & nugaciſſimis
„ commentis, quæ de idolis fingere hactenus neminem puduit,
„ hæc tam ridicula conveniunt. Quos enim divos vocabamus &
„ venerabamur, à fabris dejecti inſtar ligni alicujus aut lapidis
„ magno cum fragore ruebant: & qui eoſdem concremaverunt,
„ jurejurando affirmarunt eos, præter lignum, non fuiſſe ali-
„ quid

(a) vid. HOTTING. Helv. K. G. T. III. p. 179. & legitur in Werneri Steineri deſcriptione Reformationis MSS. *daſs innert dreyzehn tagen alle Kirchen in der Stat geſaubert ſeyn*, porro, *daſs zu Zurich nach abſchaffung der bilderen alles glucklicher und einträchtiger von Statt gegangen, als hiebevor.* itemque, *daſs als ettliche auſſgeſtreuet, zu Zurich ſeyen nicht allein die bilder abgethan, ſondern auch die Kirchen gar in pferdeſtällen verandert worden, habe mann ihnen geantwortet: pferd und andere thiere, ſo voorhin darin geweſen, auch der palm-eſel ſeye aus den Kirchen gemüſtert, und Gottes hauſs davon geſaubert worden.*

" quid. Gaudeo igitur & omnibus aliis congratulor, quod turpissimam illam imposturam ex hominum oculis tandem sublatam esse videam. His enim sublatis, reliqua quoque omnia Pontificiæ religionis figmenta felicius & majori cum consensu omnium nostrorum expugnata sunt. Deo, cujus virtute & gratia omne id factum est, sit laus & gloria in sæculum, Amen. "

Quæ plena ipsius ZWINGLII relatio, jam illam plane confundet quorundam, quos is minime quidem decebat, cavillationem, quasi importuno consilio, nec re bene pensitata Reformationem aggressi fuerint Helvetii; Quin imò etiam, hæc ipsa relatio, nervum incidet Viri Docti observationi, quæ plus fellis quam mellis habet, quasi *Zwinglio, ceteroquin eximio viro & antiquæ fidei, evenerit, id quod illis evenire solet interdum, qui ex tenebris subitò emergunt, ut ipso luminis splendore impediantur, ne scopulos & saxa videant.* (a) *Qua ex re*, si credere fas est, *graves inimicitiæ & deplorandæ calamitates natæ sint.*

§. CXXII. Constantiensis Episcopus interim (b), habito consilio, respondet Tigurinis, uti petierant, & conscripto libello hæc potissimum agit. Cujusmodi fuerint olim idola, & simulacra: quomodo prophanæ gentes illa coluerint, atque Judæi, cur Ecclesia receperit imagines ac statuas, quo primum tempore sint introductæ, quid aliarum Gentium atque Judæorum idola differant à statuis hominum Christianæ professionis. Exitus hic est, ut dicat, Scripturam, ubi statuas & imagines removeri jubet, loqui solum de Judæorum atque Gentium idolis: itaque retinendas esse receptas ab Ecclesia imagines. Ab hoc, Missam tractat, & multis adhibitis Pontificum atque conciliorum testimoniis, oblationem & sacrificium esse contendit. Hunc verò librum, ita conscriptum, & sic satis prolixum, mittit Senatui sub Calend. Junias, & ne vel imagines auferant, vel Missam abrogent, néve populum aliter doceri patiantur, multis gravibusque verbis hortatur. Librum deinde typis evulgari jubet, quum

(a) vid. J. L. MOSHEM. Histor. Sec. XVI. Sect. I. c. 2. §. 8. p. 31.
(b) vid. SLEIDAN. L. IV. pag. 60. a.

& quum ad alios, tum ad canonicos etiam, uti vocant, Tigurinos mittit. Et quanquam ista Senatui sint scripta privatim, qui hoc ab se flagitarit, tamen quod aliis etiam in locis hac de re quæstiones audiat atque simultates oriri, voluisse, dicit, una eademque opera cæteris etiam consulere. Sequantur ergo receptam Ecclesiæ consuetudinem: nec ullius oratione diversum persuaderi sibi patiantur. Senatus ad ea respondet Augusti mensis die duodevigesimo. Librum sibi diligenter esse lectum atque relectum: quod autem in lucem illum emiserit, lætari sese plurimum: sic enim futurum, ut utri justiorem causam defendant, appareat. Posteà suorum hominum atque doctorum sententiam explicant, & è Scripturis contrarium demonstrant.

Sed prius quam ei rescriberent; jam, quod observavimus, in Urbe, & quam latè patet ipsorum ditio, in tota regione, statuas omnes in universum Senatus aufferri jusserat, & flammis aboleri, veruntamen sine ulla turba, summa cum modestia, atque ita ut publica tranquillitas ne levissimè quidem violaretur. (a)

Intereà dum hæc geruntur, ipse ZWINGLIUS die 2 Aprilis 1524. matrimonium contrahit cum *Anna Reinharta*, quadraginta circiter annorum fœmina Nobili, vidua *Johannis Meyeri* Domini de Weininguen, Comitatus Badensis; atque ex ea plures uno suscipit liberos, quorum duo ipsi Zwinglio supervixerunt, *Huldricus*, Archidiaconus deinceps, & Canonicus Tigurinus, & *Regula*, quæ *Rodolpho* GUALTERO Theologo Eximio, postmodum nupsit: Quum verò ipsius Matronæ, Maritus prior satis dives fuisset atque opulentus, tum ea res Zwinglio vitio vertebatur, à malevolis quibusdam, eundem vel avaritiæ vel ambitionis, qui accusabant, ut is singulari quoque edita *Apologia*, se ab hac calumnia purgare debuerit, quam Apologiam, quod non nimis est longa, quodque ea ad ejus temporis faciem rite cognoscendam facit, & ipsius Zwinglii honestam atque generosam prorsus

(a) Sic enim ipsa Decreti verba præ se ferebant: *dass man die Götze und Bilder mit züchten hinweg thun solle, damit dem worte Gottes statt gegeben werde: Und damit dieses mit fug, züchtiglich und nach Inhalt des Urtheils ohne aufruhr geschehe* &c. vid. FUSSLIN. l. c. p. 60.

sus indolem nobis repræsentat, hic inserere voluimus (a):
„ Quod de Nobis, qui Tigurinæ Ecclesiæ Ministri sumus, di-
„ citur, quam pinguia nimirum nobis Sacerdotia sint, adeo fal-
„ sum est & vanum, ut certò testari possim, me hoc anno
„ proximè elapso, (qui à Christi Nativitate vigesimus quartus
„ supra millesimum quingentesimum numeratur,) nunquam po-
„ tuisse ad 60. aureorum summam pervenire, nisi Collegii no-
„ stri Præsides prærogativa quadam prævenissent. Quod si qui
„ sunt, quibus plura, quam mihi suppetunt; non adeò multò
„ me opulentiores esse scio. Atqui hi sunt trecenti illi, si Diis
„ placet, aurei: hæc tot & tanta Sacerdotia, quæ adversarii
„ nostri, nobis non minus falsò, quam impudenter tribuunt.
„ Nec tamen ideo hæc dico, quod quidquam de mea tenuitate
„ & inopia conquerar. Deum enim testor, cujus solius benefi-
„ centia vivo & nutrior, me his ita contentum esse, ut si quid
„ mihi deesse doleat, non alius hic dolor sit, quam quod ege-
„ nis, & pauperi mulierum turbæ minus, quam ipse cupiam,
„ possim succurrere. Et sane, si carnis consilium sequi velim,
„ me non aliquod stipendium, imò ne teruncium quidem re-
„ cepturum esse; facile pollicerer, modo à periculosa hac fun-
„ ctione mea me tuto extricare possem. Sed ut hoc faciam, nec
„ temporum nostrorum iniquitas, nec talentum mihi commis-
„ sum admittere potest. Hac autem Adversariorum improbita-
„ te compulsus, vel invitus dicere cogor, Uxorem meam, ***An-***
„ ***nam Reinhardin*** opulentissimam esse, & divitiis undiquaque
„ affluere, stolidissimi homines prædicant; quæ tamen, demptis
„ vestibus suis, & reliquo muliebri mundo, non ultra quadrin-
„ gintos nummos aureos possidet, vestes verò splendidiores, an-
„ nulos item, & alia hujus generis clenodia, & si habeat, ita ta-
„ men negligit, ut ex eo die, quo mihi matrimonio juncta est,
„ iis nunquam sit usa; sed instar honestæ matronæ, ut & reli-
„ quæ

(a) vid. ZWINGL. Operum Tom. II. in Ecclesiast. p. 476. b. & apud RUCHAT in documentis Tomo I. subjectis n. IV. pag. 495. sqq. conf. Epist. BUCERI ad Zwingl. in J. H. HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. IV. p. 281. 282. cujus ipse Autographum possideo.

„ quæ Civium noſtrorum uxores, amicta incedit. Ea verò,
„ quæ à liberis ſuis, (inclyta nimirum Majorum familia,) in vi-
„ tæ ſuæ ſuſtentationem recepit, non poteſt quidem reſpuere,
„ cum jam annum fere ætatis quadrageſimum attigerit, & ex
„ me quoque liberos quam plures ſuſcipiat, quorum deſiderium
„ me, ut illam uxorem duxerim, impulit. Hic tamen non ve-
„ rentur impudentiſſimi homines, neſcio quæ magnifica de illius
„ opibus, veſtitu, mundo muliebri, aliiſque quam plurimis de-
„ tonare, cum interim nemo è noſtris tam cæcus ſit, qui non
„ mendacium hoc videat; nemo tam malignus, qui non horum
„ malitiam agnoſcere cogatur. Sed de abſentibus vana quædam
„ & falſa ſpargere, ut frequens, ſic etiam tutiſſimum eſt. Li-
„ beros equidem habet opulentiſſimos: Deus faxit, ut opibus
„ ſuis digne utantur. Ipſi verò de tantis opum theſauris non
„ quicquam tribuitur, præter veſtitum & reliquum mundum
„ muliebrem, una cum triginta aureorum ſtipendio, quod in
„ vitæ ſuæ ſuſtentationem quotannis recipit. Quid, quod nec
„ ſponſalia, quæ ipſi jure debebantur, moleſtius exigere volui?
„ Imo opes ipſius non magis curo, quam ſi à me eſſent quam
„ alieniſſimæ. Nec tamen hæc quiſquam fraudi mihi vertat
„ velim: Paulum quoque non ſemel ſuarum rerum patronum
„ agere videamus, ſi quando à calumniis, ſibi intentatis, ſeſe
„ famamque ſuam fortiſſimè aſſerit, quoties nimirum iis, non tam
„ ſuam quam Evangelii gloriam obſcurari animadvertit. Facile
„ enim hoc ferrem, nec aliqua mihi Apologia opus eſſe puta-
„ rem, niſi Chriſti doctrinam, quam prædico, hiſce conviciis,
„ infamari ſentirem.

§. CXXIII. Tum verò etiam, nova Tigurinis, Reformationis ſuæ cauſam defendendi, oborta eſt occaſio: Præterquam enim quod ad (a) Helvetios in fide retinendos præfervida jam diplomata ſcripſerat d. 15 Aug. 1523. HADRIANUS, Pontifex, quibus modo laudibus & cohortationibus Baſileenſes Canonicos inflammaverat, ut veterem Religionem tuerentur, modò deterrendo,

Qq 2 pu-

(a) vid. PALLAVICIN. Hiſt. Concil. Trid. Lib. II. c. 12. §. 5. pag. 68. cujus hic leguntur verba.

puniendoque *Theobaldum* quendam Eremitanæ Ecclesiæ administratorem mala (uti PALLAVICINUS inquit) femina ibi jacentem: Eadem officia postmodum à CLEMENTE continuata sunt, missis (d. 18 Aprilis 1524.) literis perhonorificis, summæque benevolentiæ plenis, tam ad Helvetiorum rempublicam universè, quam ad eos seu Ecclesiasticos seu Laicos peculiariter, qui in Fide Catholica sustinenda sui specimen illustrius dederant. Quæ literæ, id effecerunt, ut, cum apud Tugios reliquorum decem pagorum celebrarentur comitia, hi denuò suos legatos, ad Tigurinos, Scaphusanos, & Abbatiscellanos miserint, qui Scaphusanos & Abbatiscellanos ab instituto reformandi dehortarentur, Tigurinis verò exprobrarent, vario modo ab ipsis commissum sacrilegium, atque totius Religionis Christianæ eversionem, simulque significarent, quam ipsi nec in ditionibus propriis, nec in præfecturis communibus, hanc doctrinam Lutherianam (sic enim invidiæ causa eandem appellabant) tolerare vellent, quin potius quod ipsos Lutherianos gravissimis pro re nata, tum supplicio capitis tum ablatione omnium bonorum, pœnis essent affecturi. Sex vero etiam pagi, *Lucerna*, *Switium*, *Urania*, *Underwaldum Tugium* & *Friburgum*, ulterius progressi, Tigurinis suo nomine nunciabant: „ Se nolle amplius, eos vel vocare ad conventus „ communes, vel permittere ut Tigurini suis interessent con- „ ventibus, priusquam hisce novitatibus renunciassent: „ Enimverò Tigurini, qua erant prudentia atque moderatione, tum nil aliud sibi regerendum esse censuerunt, quam, *quod crederent, se nihil plane, quod Christianos non deceat commisisse, cum unica ipsorum in his omnibus esset fuissetque regula, Verbum Dei.* Et quanquam ea res variis contentionibus atque collisionibus deinceps ansam dederit, cumprimis in præfecturis communibus, ut quidam etiam, atque inter eos præcipuè *Johannes Hospinianus*, Pater & Filius, quorum alter, *Adriani*, qui itidem carceri jam mancipatus erat, sed intercessione matris, liber evaserat, Pater, alter Frater erat, martyrio vitam finire (a) debuerint, ipsi tamen Tigurini

(a) v. J. J. HOTTING. Helv. K. G. p. 185. 186. sq. & cumprimis Mar-

ni in proposito constantes, ad *Bernenses*, *Glareanos*, *Scaphusanos*, atque *Abbatiscellanos*, tum ut se converterent (a) æquum judicarunt, eos imploratum ne discidium hoc vel toti Helvetiorum Reipublicæ Confœderatæ, vel suæ cumprimis Ditioni esset internecinum, ut vellent reliquorum animos si pote rationibus componere, eosque adhortari ad pacem atque moderationem; quidquid à se factum esset, id ita factum esse, ut si quis ex verbo Dei meliora eos edocere vellet, statim ab incepto essent destituri &c. Petebant verò etiam cumprimis, ut priusquam tota res ad reliquos pagos referretur, prius cum *Solodurienſibus* atque *Basileensibus* inire consilia vellent. Quatuor illi pagi id in se recepegerunt, & *Tigurinos* de opera sua impendenda jusserunt esse securos. Ipse quoque Zwinglius tum plus semel hanc Evangelii causam publice privatimque defendere atque permultis adversariis os obturare coactus est, quanquam in hæc omnia nos jam specialius non immittamus, uti nec Sacramentariæ litis, cujus utinam jam abolita quoque esset memoria, eo ferè tempore agitatæ, nunc pandimus originem, quippe de qua in sequentibus plura commemoranda venient.

§. CXXIV. Sublatis enim, eo, quo diximus modo, Imaginibus, ipsum quoque Collegium Abbatissanum (dictum *Frauen-Münster*) quod & antiquitate & singularibus iisque summis privilegiis ac immunitatibus erat nobilitatum, sponte sua veritatis fulgore tactum se Magistratui Tigurino submittebat (b), atque reditus suos omnes opimos longeque maximos atque splendidos, in manum Amplissimi Magistratus tradebat, additis precibus, ut reformare illud, hosque reditus deinceps, in usum sacrum, atque pauperum solatium dirigere benigniter vellent Tigurini Proceres, quibus inde ab eo tempore privilegium cudendi Monetas, novum Tribunal erigendi, atque ejus nomine Jus dicundi, demum est usurpatum, cum hæc & alia, antehac non tam Senatui

Martyrol Helvet. insert. *Miscellan. Tigurin.* T. II. pag. 13–31. ubi Acta hujus Martyrii memoratu digna leguntur. Cf. RUCHAT. Tom. I. p. 256–262.

(a) HOTTING. l. c. pag. 191. RUCHAT. l. c. p. 263.

(a) HOTTING. lib. cit. p. 206.

tui Urbis quam huic potius Collegio competerent. Ipsa autem Catharina de Cimmern, Abbatissa tradito cœnobio in manus Consulis, viro nupsit, honestis reditibus annuis a Magistratu dotata. (a) Id exemplum non ita multò post Canonici (b) fuerunt secuti, circà festum scilicet Natalitiorum ejusdem anni 1524. quando certis legibus cum Senatu transegerunt, & quo modo collegii facultates atque bona debeant impendi est constitutum. Sed collegit tum quoque Senatus Tigurinus, ex tribus mendicantium monasteriis (c), Prædicatorum, Augustinensium, & Minorum, omnes fratres, nil tale opinatos in unum, ac in Minoritarum monasteriis contrusit. „ Fuerunt enim pauci, remit„ tuntur autem, qui in aliis conventibus, ut vocant, primo re„ cepti sunt ad eos ipsos. Qui apud nos (d) primo recepti „ sunt, à Senatu vel artificiis discendis locantur, si juvenes „ sunt: vel ad extrema alentur, si vetuli, qui nihil amplius dis„ cere possunt. Servatur in omnibus charitas. „ Et est tum Dominicanorum Conventus in Pandocheum publicum, ipsa verò ipsorum Ecclesia, in quartam Ecclesiam prarochialem constituta; nam & reliqui conventus ad pios usus sunt relati. (e) Sed restabat in his omnibus adhuc Missa, quanquam ejus authoritas quotidie magis magisque vilesceret (f), cum nemo amplius ad eam cogeretur, & plerique ex concionibus & disputationibus Zwinglii abominationes ejus agnoscere didicissent. Enimvero, quoniam Missa, tanquam medicato quodam poculo omnes Terrarum Reges, Principes, & populi hucusque ab annis proxime sexcentis ita fuerant inebriati, ita stuporis & vertiginis spiritu impleti, ut salutis suæ proram ac puppim in hac una colloca-

rent,

(a) SCULTET. Ann. p. 221. 222.

(b) HOTTING. l. c. p. 207. Ipsam illam constitutionem nobis exhibet FUSSLIN. in docum. ad Hist. Ref. Helv. T. 1. n. 1. p. 1-24. ita tamen ut censuerim loco 1523. legi debere 1524.

(c) Verba sunt ZWINGLII ad Fratres quosdam Epist. Zwingl. & Oecolamp. fol. 35. a.

(d) Sunt verba ZWINGLII l. c.

(e) RUCHAT T. 1. p. 273.

(f) vid. HOSPINIAN. Hist. Sacram. P. II. fol. 25. a.

rent, accedebat, quod vulgo crederetur hoc propitiatorium esse sive expiatorium pro vivorum pariter ac mortuorum peccatis sacrificium, inde erat, quod Magistratus Tigurinus eandem prius abrogare prorsus nollet, antequam benè edocta plebs esset, de Institutione ac vero Sacræ Cœnæ in Missæ locum substituendæ usu.

§. CXXV. Erant ex Helvetiorum civitate communi, *Scaphusiani* cumprimis & *Basileenses*, ubi tum Joannes Oecolampadius docebat, qui sensim aliquid de offensione remittebant: Cæteri verò præsertim *Lucernates*, *Urani*, *Suitenses*, *Untervaldii*, *Tugiani*, *Friburgenses* nulla ratione poterant placari. Et quum Turegiæ præfectus (a), quam ad regionem Tigurum pertinet, sacerdotem quendam, de nocte comprehensum abduceret, ac ille concitato clamore fidem auxiliumque vicinorum imploraret, natus est repentinus tumultus, uti fieri consuevit, & dato signo per agros, ad arma discurrunt omnes, factum hoc ad injuriam suam pertinere Tigurini dicebant, eo quod in ipsorum ditione captus esset ille. Quumque multis alioquin adficerentur probris, quarta Januarii die, Anni 1525. datis literis ad omneis confœderatos atque socios, Christus, inquiunt, unam ferienti maxillam jubet alteram quoque præberi feriendam. Hanc ejus doctrinam secuti, multa profectò toleravimus, & patienter quidem: nunc autem quando nullus est injuriarum finis aut modus, cogimur ad illud confugere, quod Christus usurpavit: & si malè quid egimus, doceri petimus illud atque demonstrari. Certe, quia tantam sustinemus invidiam, & passim apud omnes traducimur, ipsa res postulat, & responsionem à nobis extorquet. Explicabimus igitur hujus odii causam, & refutabimus criminationes, & quomodo simus erga patriam communem affecti, docebimus. Ac primò quidem, cum Galliæ rex Franciscus, diu multumque de fœdere solicitasset, & vestram in eo consensionem obtinuisset: nos, licet interpellati sæpius à vobis, recusavimus illud facere, quum aliis de causis, tum imprimis, quod ea ratio nobis minime

(a) Ita rem omnem nobis concisè SLEIDANUS ad A. 1525. pag. 64. a. sq. refert.

me placeret: subministrare videlicet copias & militem nostrum aliis, ut mercede conducti, bello persequantur eos, à quibus nunquam læsi fuerunt, introducere mali rem exempli, & ad otium illos assuefacere: qui si militiæ perirent, uxores atque liberos in extremam essent conjecturi miseriam. Indignum enim esse putavimus, maximo nostro cum dispendio servire cupiditati regis; & nostræ ditionis homines illi prope mancipare. Libertatem igitur illam & corporis & fortunarum, quam nostri majores virtute summa, cruentisque manibus nobis pararunt, simili virtute constantiaque retinendam nobis esse judicavimus. Hæc autem res, omnis offensionis causa nobis esse videtur & fons & origo: nam si fœdus esset à nobis comprobatum, nullam fuisse putamus orituram simultatem. Etenim à vobis interpellati subinde, ne secessionem faceremus, quid esset nostræ mentis, ostendimus, nimirum, velle nos amicitiam colere cum Rege, juxta formulam pacis jam antea constitutæ: deinde, servaturos esse leges pactaque fœderis, inter nos olim initi, pro communis patriæ defensione atque salute. Et quoniam in eo permansimus, aliunde nobis est conflatum odium, post exortam enim Evangelii lucem, onus illud, quod nobis idiotis Pontifex ac ipsius clientela gravissimum imposuerat, excussimus, & errores manifestos antiquavimus. Hanc occasionem nonnulli vestrum nuper arripuerunt, & per legatos à nobis, ut ad sanitatem reverteremur, postularunt: Nos autem ad illud, ut antea non semel, ita tunc quoque respondimus, *agere nos ex præscripto verbi Divini: si quis errorem nobis ullum demonstrare possit, mutaturos propositum:* sin minus, æquum esse profectò, ut Deo magis quam hominibus obtemperetur. Ibi tum consurgens *Eglius* Lucernæ præfectus, nisi Lutheri sectam atque Zwinglii repudiemus, fore dicebat, ut Lucernates, Urani, Suitenses, Untervaldii, Tugiani, Friburgenses nolint in conventibus assidere nobis deinceps. Neque multo post, quam hoc inter se lege confirmassent, Turegiæ præfectus, verbi ministrum, *Joannem Oxlinum*, noctu comprehensum domi suæ, captivum abduxit. Qua quidem in re duplex nobis est injuria facta: primum, quod nostræ ditionis non homo tantum, sed termini quoque violati sunt:

ſunt: deinde, quod, cum ad clamorem illius undique multi confluerent armati, &, ut in ejuſmodi turbis fieri conſuevit, multa facerent inſolenter, in noſtros homines, qui promiſcue cum illis evolaverant, adeoque in nos omnis hujus facti confertur invidia. Jam, altera illa criminatio quæ nobis objicitur, originem habet ex eo conventu, quem Ferdinandus Auſtriæ princeps egit anno ſuperiori Ratisbonæ, cum ſuæ ditionis præfectis, item Epiſcopis & id genus aliis, qui puram doctrinam ferre non poſſunt. Quid autem illi jam pridem moliantur & agant, non eſt obſcurum: hoc videlicet, ut diſſidium inter nos excitent, & alteros ab alteris divellant. Quo magis etiam nobis dolet, quod iis fidem habetis: nam ſunt in ipſis nonnulli, quos aliquando, velut homines nequam & improbos notaſtis, quos etiam nos, ipſorum intellectis dolis ac inſidiis, è finibus noſtris exire juſſimus. Hi ſcilicet ipſi, quando ſuis technis occluſas invenerunt noſtras aures, ad vos tranſierunt, & nos hodie criminantur, quaſi cum Auſtriaca domo factum & ſuſceptum aliquando fœdus, violatum ſit à nobis. Ajunt nos Vualſutenſibus vicinis contra principem ſuum Ferdinandum auxilia dediſſe: ſed id falſum eſt. Cum enim ob religionis profeſſionem eſſent in diſcrimine Vualdſutenſes, nec ad dicendam cauſam admitterentur, è noſtris aliquot, ſua ſponte, nobis inſciis, eo tranſcurrerunt, ut vim & injuriam ab inſontibus depellerent: nos autem certiores de eo facti, ſtatim eos revocavimus. Jacet igitur illorum criminationis caput. Si verò præterea quid habet Ferdinandus princeps, quo fœdus illud violatum eſſe videri poſſit, adducat in medium. Sic enim reſpondebitur, ut utra pars in officio permanſerit, liquidum ſit unicuique futurum. Quod igitur cum Ferdinandicis privatim egiſtis, à colloquio remotis noſtris legatis, hoc ſane pro eo ac decet, valde miramur. Etenim, ſi de vetuſto fœdere tractatum ibi fuit, æquum erat profecto, nos etiam admitti: ſi verò de religione, cur non iis conditionibus agitis nobiſcum, quas jam ſubinde vobis obtulimus? Rumor increbuit conjuraſſe vos in perniciem ſectæ Lutheranæ. Quod etiam ſi verum eſſet, tamen quia ſumus tam illi, quam vobis fœdere conjuncti: deinde, quia non Lutheri, ſed Sacræ Scripturæ veſtigia ſequimur, non oportuit

tuit nos in eo numero censeri. Sed quia nescimus quid sit iner vos actum, & verò delati sumus à malevolis, quasi civitates aliquot, vobis insciis de conferendis auxiliis interpellatæ sint à nobis: profitemur hanc esse meram calumniam. Ejusdem generis est illud, quod ajunt dato signo velle nos ad arma suo tempore homines convocare, Badenam & alia quædam invadere. Nimirum hæc eo spectant & excogitantur ab illis, ut vos, iis occupatis oppidis, præsidium adversus nos imponatis. Quod si fieret, non dubitant, quin major aliquis ex eo sit oriturus motus atque turba, quæ bellum inter nos domesticum inflammet atque civile. Multæ præterea sunt in nos confictæ calumniæ, in quibus etiam hæc est una, nos docere, quasi Maria Christi mater plures habuerit filios, quasi minor Jacobus Apostolus mortem pro nobis obierit, non ipse Christus. Hæc & id genus alia quædam eramus Lucernæ refutaturi, sed a vobis prohibiti fuerunt nostri homines, ne ad populum verba facerent. Cum etiam Eccius nunciaret, se velle Zwinglio suos errores demonstrare, gavisi profecto fuimus, & non ei tantum, sed aliis etiam publica fide diligenter cavimus, hortati magnopere ut veniret, & omnem ei benevolentiam polliciti. Magnam insuper offensionem vobis peperit, ut quidem audimus, imaginum & statuarum abolitio: sed ejus rei jam ante causam & rationem explicavimus. Cum igitur adversus pacta fœderisque leges nihil sit à nobis admissum, cum pro communis patriæ salute nullum recusemus periculum, & vos omnes ea complectamur charitate, qua semper, modo per vos nobis liceat, cur patimur hanc inter nos fieri divulsionem? Notum est, cujusmodi fuerit majorum aliquot nostrorum conditio, qui suis contenti finibus, & duro labore sibi familiæque victum parantes, indigna servitute premebantur à nobilitate: sed benigne respexit illos Deus. Nam, profligatis tyrannis, libertatem sibi compararunt, & aucti facultatibus eorum quos ejecerant, fœdere sese munierunt, cujus præsidio vim omnem externam fortiter à suis finibus depulerunt, & de hostibus non semel triumpharunt: multi enim societatem illam infringere conati sunt, atque dissolvere, sed frustra. Quid autem à majoribus nostris in ea temporum difficultate sit collatum

tum opis atque subsidii, memoria vos tenere nihil dubitamus. Et hoc quidem paucis dictum esse volumus de fœderis nostri primordio. Quæ verò fuerit ab eo tempore diligentia, fides atque studium nostrum, in amplificanda communis patriæ dignitate, non opus arbitramur esse commemorare. Certe, quæ fuit ad hoc usque tempus, eadem nunc quoque nobis est mens atque voluntas: Quod cum ita sit, valde nobis dolet, vos aliorum impulsu, qui sua modo compendia quærunt, sic erga nos exacerbari. Cogitate potius in animis vestris, quæ fuerit semper inter nos amicitia, quando diversis in locis, tam domi quam foris, eandem belli fortunam subivimus, & multa præclare fecimus. Profecto hujus rei memoria non modo nos, verum etiam nepotes nostros arctissima necessitudine copulare debet. Si causa religionis, aut quoduis aliud nostrum factum, vos offendit, cur non amice rem agimus inter nos atque disceptamus, ut socios & confœderatos & fraterno quodam vinculo conjunctos decet? Non erimus vel morosi vel intractabiles vel obstinati: sed meliora docenti libenter obtemperabimus, ut sæpe à nobis auditum est. Quia verò puræ doctrinæ professio, & fœderis Gallici repudiatio, & multæ præterea in nos excogitatæ calumniæ, vestros à nobis animos alienarunt, & pristinam voluntatem immutarunt, necessario nobis hæc scribenda fuerunt, honoris & existimationis nostræ tuendæ causa. Nisi enim, quod jam sæpe dictum est, sacra Scriptura duce, nobis demonstretur error, non possumus ab eis quæ de religione fecimus decretis, abscedere, quæcunque tandem vis eo nomine intentabitur.

Quidquid sit, Zwinglius anno superiori, *vicesimo quarto*, ediderat in veritatis de Gratia Dei per Christum confirmationem, ad *Fridolinum Lindouerum* Bremgartensium Concionatorem, (qui se veritatis inimicum professus fuerat,) *Expostulationem* (a) bona fruge plenissimam, refellendo, duas illas præcipuè Theses, quas Lindouerus pro concione, asseruerat: *Christum solummodo pro eorum delictis esse passum qui sub Veteri Testamento vixerant:* Et: *Per Christum nobis non alia delicta condonari, quam quæ baptismo abluuntur*,

 nam,

(a) v. ZWINGL. Oper. Tom. 1. fol. 201. sq.

nam, quæ postmodum perpetraverimus, Sacramentis ecclesia elui oportere.

Sed &, eum in confirmationem libri *de Canone Missæ* (a) in quem *Hieronymus* EMSERUS Suevus, Juris Canonici Licentiatus & Professor Lipsiensis calamum strinxerat, tum temporis edidisse tractatum, sub titulo *Antiboli* (b) quem Leo Judæ deinceps ex Latino in vernaculum sermonem transtulit, (c) est notum, in quo varia de Ecclesia, de Invocatione sanctorum, de Missa, de Purgatorio & similia, traduntur, dum ipse LEO JUDÆ (d) communi fortassis collegarum nomine, singulari scripto, quam, *Missa verbo Dei esset adversa*, commonstrat, quamque ea *in ipsam Christi Passionem sit injuria*; &, quod, si juxta verbum Dei sit instituenda doctrinæ vel ecclesiæ reformatio, necesse sit, ut *sub utraque specie* corpus & sanguis Christi, in commemorationem Passionis ejus, populo Christiano communicetur; Id quod, ut sibi & collegis suis, circà festum quod instabat Natalitiorum Christi, concedatur, orat, atque petit, additis gravissimis, quæque id maximopere urgere poterant, argumentis; quanquam tamen ei petitioni tum nondum accesserint Tigurini Proceres quippe quod in annum hunc nostrum 1525. quod fuerit dilatum, videbimus.

§. CXXVI. Tum verò, infelix Anabaptisticæ, quæ in Germania lacertos movebat, sectæ, lolium sese genuino immiscere tritico, apud ipsos quoque cœpit Tigurinos; Erant enim, qui primò clandestinis susurris, deinceps apertè magis, totam reformationem, quæ tum instituebatur, dicerent angustam nimis esse, & exilem, non satis spiritualem, altam & perfectam: Atque horum quidam, Zwinglium cum (e) accessissent, gravibusque & compositis verbis ei exprobrassent, quasi tardè nimis & frigidè res ecclesiæ & regni Christi ageret, atque addidissent, „tempus „ nunc

(a) vid. §. CXIX. p. 289.
(b) v. ZWINGL. Opp. T. I. fol. 192. sq.
(c) Teste ipso ZWINGLIO ad Valentin. Comparem Opp. T. I. fol 236. a.
(d) v. J. J. HOTTING. Helv. K. G. T. III. pag. 212. 213.
(e) vid. BULLING. advers. Anabapt. L. I. p. 10. a. conf. Zwinglii Oper. Tom. II. fol. 7. sqq. & fol. 57. a.

„ nunc esse & spiritum urgere, ut res majori studio agantur „ alioqui nullam esse spem salutis, eumque in finem separatio- „ nem plenariam ab aliis civibus esse necessariam, ut colligatur „ pura ecclesia genuinorum Dei filiorum, qui præditi sint spi- „ ritu Dei & ab ipso regantur; „ ZWINGLIUS peramicè iis respondit, ejusmodi schisma præter omnem necessitatem, inter opera Spiritus referri non posse, nec esse eum ecclesiæ regnique Dei his in terris statum, ut nil quidquam quod emendandum sit, remaneat reliquum; ab operibus potius tenebrarum oves Christi separari debere, quam à concivibus &c. Tum verò hi inter alia, quo separationi suæ prætexerent fucum, baptismum infantum damnare, dicentes, eum non à Deo esse institutum, sed à Papa Nicolao II. inventum, adeoque iniquum, & ex diabolo esse, ut, qui Christi sunt, rebaptizari debeant. Hisce Zwinglius strenuè cum iret obviam (a) tum brevi in tantum res illa dissidium excrevit, ut Magistratus Tigurinus singulare quoddam inter horum antesignanos & inter Zwinglium, indiceret colloquum, quod d. 17 Januarii 1525. publicè coram Senatu, civibus & doctis, fuit habitum, & altera vice instauratum die x. Martii: Sed utroque hoc colloquio, cum nihil admodum effectum esset, dum varias hi homines ciere non desinerent turbas, atque quidam ipsorum, abjecta zonâ salice aut reste cincti, ad Jonæ imitationem veterumque Prophetarum, per urbem cursitarent, atque clamarent, Tigurum paucis diebus submergendum, *Væ Tiguro, Væ, Væ: Agite pœnitentiam, securis ad arborem posita est &c.* Tum, horum turbonum quosdam, carceri includendos esse decrevit Senatus Tigurinus, quod turbæ illæ civitati molestæ, & tranquillitati publicæ essent adversæ, inprimis, cum ipsi omnem Magistratui denegare obedientiam, atque ejus monita respuere, cum doctrina tum opere, aggrederentur, variaque alia ipsi societati civili infesta traderent: Horum quidam, cum promi-

(a) Ipse ZWINGLIUS l. c. refert, quam dies Martis cujuscunque hebdomadæ fuerit destinatus, ejusmodi amicæ collationi, si forte hi homines veritati victas manus dare vellent, iique hac ratione in officio possent contineri.

misissent, se renunciaturos suo errori, impuniti sunt dimissi, alii pertinaciter in instituto perseverantes, ne majoris seditionis & turbarum authores essent, custoditi fuerunt atque adservati, donec paulo post, partim pecunia mulctarentur, partim extra fines & pomœria ditionis Tigurinæ relegarentur; quidam verò etiam, ex carcere elabendi rimas cum sibi quæsivissent, inde elapsi, per incredibilem animi militiam, effingebant, Angelum quendam sibi januam carceris aperuisse, seque adeò liberos evasisse, quo commento scelestissimo, quod incautos etiam multos in suas pertraxerint casses, tristis docuit experientia. Quidquid sit, Zwinglius ipse, tum primò *Elenchum adversus Catabaptistas*, (a) directum ad omnes Evangelii ministros, & deinceps *Tractatum de baptismo* conscripsit, ad S. P. Q. San-Gallensem (b), atque in his scriptis omnem horum hominum, cum pietatem tum versutiam, fanaticumque quo ducebantur spiritum, qui nunquam non tumultum & seditiones spirat, ita detexit, ut quod cum ratione illis responderent, ne horum quidem antesignanis relinqueretur.

§. CXXVII. Interea verò cum ipse Episcopus Constantiensis nil quicquam responderet, ad ultimas Tigurinorum literas (c), Ecclesiæ Tigurinæ Ministri, ZWINGLIUS, LEO, ENGELHARDUS, MEGANDER & MYCONIUS d. XI. Aprilis Senatum Ducentorum, ut Missam (d), unà cum panis ac vini adoratione, & similibus, aboleret, multis ex verbo Dei adductis argumentis, hortati sunt, eaque de re post deliberationes & consultationes prævias, Decretum obtinuerunt. Sed juvat ipsis Zwinglii verbis hanc causam exponere: Is ita (e): *Cum ad undecimam diem Aprilis coram senatu Diacosiorum, (is est senatorum ducentorum,) de abolendis, Missa & panis ac vini adoratione, age-*

(a) ZWINGL. Opp. T. II. p. 5. sqq.
(b) ZWINGL. Opp. T. II. p. 56. &sqq. qui ultimus tractatus VI. Kalendas Junii 1525. signatus est.
(c) vid. pag. 305.
(d) LAVATER Hist. Sacrament. pag. 3. b.
(e) ZWINGL. Oper. Tom. II. p. 247. in Subsidio de Eucharistia, apud SCULTET. Annal. ad A. 1525. p. 304. sq.

remus: & ibi Scriba quidam (a) (*qui* albus an ater fit, *non est hujus instituti dicere*) *fortè surrexisset, atque ad hunc modum quiritaretur;*
„ *Equidem Patres conscripti, non eo sum ordine aut loco, ut mihi co-*
„ *ram vobis verba facere liceat, dummodò causa ageretur, quantum*
„ *vis magna, quæ ad Rempublicam attineret: cum autem hic, ani-*
„ *marum salutis cardo vertatur, ipsaque fidei periclitetur, cujusque*
„ *esse arbitror, ut in medium adducat quæ sentiat? Ego igitur firmi-*
„ *ter credens in isto pane verum corpus, ac verum sanguinem edi, te-*
„ *stor, me in hac esse opinione, neque me patiar ab ea divelli, spe-*
„ *roque de vobis, Patres conscripti, quod nullo pacto sit is me ad*
„ *Zwinglii opinionem adacturi. Et tu, Zwingli, inquit, sophista-*
„ *rum versutiis acerrime obstitisti, nunc verò, ut plane dicam quod*
„ *sentio, videris nos denuo sophistarum cavillis circumscribere.*„ *Multa deniquè alia, quæ ad hanc rem facerent, questus esset, ut illi videbatur scite ac graviter. Cumque nos ad ea, quæ responsione digna videbantur, puta, Tiguri neminem unquam ad fidem fuisse compulsum, neque ad ullam rem: neque sophisticum esse, si hanc vocem, EST, per SIGNIFICAT quisquam exponat (hoc enim sophisticum esse dixerat) cum inquam respondissemus ad ea, quæ roboris aliquid habere videbantur: isteque jam ad hæc arma se converteret:* „ *Ego sic credo,*
„ *sic sonant verba: hoc est corpus meum: EST est verbum substanti-*
„ *vum, ideo alius intellectus esse nequit, quam quod panis sit caro,*
„ *& similia, quæ carnis cupidi objectant.* „ *Tum* Henricus Eugelhardus, *olim Pontificii juris Doctor, nunc verò pauperis Christi discipulus, vir gravi judicio, ausculta, inquit, paulisper, ego abunde ostendam tibi ex sacris literis, panem corpus Christi esse non posse:*
Ac conversa oratione ad Patres conscriptos, hunc in modum,
„ Si ulla unquam in re, Patres Conscripti, perniciose, inquit,
„ erravimus, hoc quoque in adoratione Eucharistiæ factum est,
„ non solum perniciosè, verum etiam stultè: Cum enim debea-
„ mus Scripturam ex Scriptura, Christo etiam monitore, qui
„ scrutari jubet scripturas, exponere, quid, oro, causæ est,
„ cur non per omnem N. T. scripturam navigando lustremus,
„ quam

(a) Erat verò huic secretario nomen: *Joachimi à Grat.* v. J. H. HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. IV. p. 363.

„ quam variè corpus Christi accipiatur. Invenimus autem trifariam de Christi corpore mentionem in S. literis fieri. *Semel* de naturali corpore isto, quod ex Virgine Maria natum est, quo esurivit, sitivit, fervit, alsit, hilaris ac tristis fuit, quod postremò in ara crucis pro nobis cæsum est. *Iterum* invenimus de corpore, quod à mortuis excitatum, atque ab his morbis defæcatum, per miraculum tamen discipulis ad tangendum exhibitum est. *Postremo*, de mystico ejus corpore, quod est, Ecclesiæ. Expendamus igitur, quodnam istorum corporum sit hic, discipulis datum. Non *primum* hoc naturale, sic enim edi non posset, nisi dentibus mandaretur, ac, ut reliqui cibi, commoleretur, à qua manducatione Christus ipse avocat Joh. 6. Cum Judæis, de sensibilis corporis manducatione cogitantibus, dum ipse de fiducia in se habenda dissereret, ad hunc modum respondit, *Caro non prodest quicquam*. Hoc unicè volens confutare, in quo isti hallucinabantur, nempe corpoream manducationem: hoc enim pacto neque dentibus tritus, neque stomacho perfectus, quicquam prodest. Quod si discipuli ad hunc modum edissent, aliter nimirum edissent atque nos, ipsis enim edentibus nondum erat in cruce cæsus. Deinde, quomodo potuisset corporaliter edi, quem opòrtebat in cruce corporaliter extendi; Cum ergo neget, se corporaliter devoratum quicquam prodesse, constat, hæc verba: *Hoc est corpus meum*, nulla causa de naturali corpore intelligi debere, ut panis sit corpus: nam corpus ad hunc modum nihil prodest, cum caro sit. Sed neque de corpore *secundo* loco accepto intelligi possunt: primum, quod discipuli non eodem modo, quo nos, edissent: ipsis enim edentibus, ne occisus quidem etiamnum erat, nedum à mortuis excitatus. Secundò, quod hoc corpus, quod à mortuis resurgendo purissimum ac mundissimum reddidit, cœlis intulit: ubi ad dexteram Dei sedet usque ad diem istum, quo mundum judicabit: expectans, donec inimici ejus scabellum pedum suorum fiant, Heb. 10. De *mystico* verò corpore, quod est Ecclesia, sic non possunt intelligi Christi verba, ut nullum sensum minus ferant, quam, *Hoc est corpus meum*, id est, Iste pa-

„ nis

„ nis est Ecclesia mea: nam Ecclesia non traditur pro nobis:
„ at continuo sequitur, Quod pro vobis traditur. Quum er-
„ go Christus pro nobis traditus sit, non Ecclesia (quid enim
„ est Ecclesia quam nos?) colligitur, in his verbis Tropum
„ esse, neque ulla ratione de carnali corpore Christi posse in-
„ telligi.

„ *Objiciebat rursus Scriba iste*, Christum ex Virgine natum
„ esse, à qua re sensus non minus abhorreret, quam ab ista
„ carnali manducatione: „ *ad quæ Zwinglius illi pro dignitate respondit. Post conflictationem istam cum scriba habitam, statuit Senatus, ut à prandio Senatores quatuor cum* Henrico Engelhardo, Leone, Megandro, Myconio, *atque* nobiscum (sunt hæc Zwinglii verba,) *conveniant, quo res tanta graviter ventilaretur. Id verò ad hunc usum maximè fiebat, ut quibusdam obstrepentibus undique satisfieret. Deliberabatur aliquandiu variè, sed omnis deliberatio hunc exitum accepit, ut sequenti die duodecimo Aprilis ad Senatum universa causa iterum referretur. Cum ergo duodecimâ Aprilis die ad Senatum rediremus, atque ut Missa in universum aboleretur, ageremus, prodit denuo scriba iste, atque eandem cantilenam canit. Additque, me quidem sic docuisse, ut ista vox EST in præsentibus Christi verbis pro SIGNIFICAT posita sit, at ægre scripturæ testimoniis probavisse ad hunc modum accipi debere: Nam isti sermones: Semen est verbum Dei, Luc* 8. *&*, *Ager est mundus, inimicus homo est Diabolus, &c. Matth.* 13. *ad hoc propositum nil faciunt, Christus enim hic parabolice loquutus sit, non etiam istic, cum dicit:* Hoc est corpus meum. *Cui breviter respondimus: Christum ista dixisse post finitam parabolam, quando tropicè quidem, sed tamen non amplius parabolicè loquebatur: differre enim tropum & parabolam: cumque missâ contentione è Senatu nos recepissemus, sequutum est* Senatus Decretum *totius Ecclesiæ nomine ad hunc ferme modum:*

„ Eucharistia, Deo volente, juxta institutionem Christi, A-
„ postolorumque ritum posthac utiminor. Infirmis ac in fide
„ adhuc rudioribus fas esto hac vice tantummodo vetere more uti.
„ Missa in universum sic abolita, antiquata & ablegata esto, ut
„ ne crastino quidem die repetatur.

Mox, quod felix faustumque sit, gratulata est tota Ecclesia, præ-

ter paucos, ne quid atrocius dicam, vel imbecilliores vel rudiores, qui in hanc lucem etiamnum aciem dirigere nequibant. Restabat adhuc haud minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola conjuncta forent. Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere, attamen nihil aliud exemplorum occurrebat, quam quod in commentario proditum est, aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum verò tredecima dies adpeteret (vera narro, adeoque vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis, risibusque exponam.) Cum inquam tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno, multo cum tædio denuo contendere cum scriba, sicque obmutuisse, ut, quod verum scirem, negante linguâ beneficium suum, Proloqui non possem: qui me angor, ut solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte (nihil enim altius quam somnium narramus, quod ad nos attinet, tametsi leve non sit, quod per somnium didicimus, gratia Deo, in cujus solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς *visus est monitor adesse* (ater an albus, *nihil memini, somnium enim narro) qui diceret: Quin, ignave, respondes ei, quod Exodi* XII. *scribitur.* Est enim Phase, *hoc est transitus Domini. Protinus ut hoc phasma visum est, expergesio, & è lecto exilio. Locum apud Septuaginta primum undique circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero: qui sermo ubi acceptus est, quemadmodum paulo post dicemus, omnibus sacrarum literarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter parabolæ obstaculum hærebant, omnem nebulam discussit. Factumque est, ut tribus istis diebus, Cœnæ Domini, Parasceves, & Resurrectionis, tantum Pascha Christi celebratum sit, quantum ipse nunquam vidi, eorumque numerus, qui ad allia ollasque Ægyptias respectarent, opinione longe minor esset.*

§. CXXVIII. Enimverò, præterire silentio hic nequimus, illas gravissimas quorundam, cum ex Papistis, tum etiam ex Lutheri asseclis, sugillationes, minimè Christianas, quibus & Zwinglium, & ipsam ejus Doctrinam, hujus Somnii ingenuè à se relati causa, exagitarunt, & exagitant, ut nec ipsos *Historiæ Augustanæ Confessionis* compilatores puduerit affirmare (a) *Zwinglium*

(a) vid. *Histor. August. Confess.* quæ Lingua Germanica est consarcinata, at-

um consilio atri monitoris obtemperasse, unde dogma Sacramentarium profectum & hucusque agitatum fuerit, & hos denso deinceps agmine fuerint secuti, *Schlusselburgius*, *Schutzius*, *Hunnius*, *Agricola*, *ab Hoë*, *Balduinus*, *Waltherus*, & alii, quin verò etiam, ut inter recentiores, præclari ceteroquin Viri, *Val. Ern.* LOESCHERUS (a) & *Ern. Sal.* CYPRIANUS (b), à quorum eruditione & gravitate id minimè expectassemus, non dubitaverint, eandem calumniam in scriptis suis repetere, atque exinde concludere, *Zwinglium* saltem *somnio huic suam de verbis Institutionis S. Cœnæ inædificasse sententiam*, atque adeò, quæ Cypriani est argutatio, *nostras Ecclesias, non purè Scripturæ Sacræ regulæ inhærere, sed delabi ad somnia & revelationes immediatas:* Uti præ reliquis illæ passim inter oralis manducationis corporis Christi patronos jactantur voces, quæ stomachum nobis facessunt: *Zwinglius in somnio primùm doctrinam suam didicit; Zwinglius nescit, à quo Spiritu doctrinam suam acceperit; Zwinglio malus dæmon doctrinam suam revelavit.* & sim. Quum horum tamen adeò nihil ex ipsis Zwinglii verbis elici possit, ut mirum sit, tanta cum inhumanitate dicam an immanitate hæc & spargi & inculcari.

Quid enim? Isne doctrinam suam in somnio demum A. 1525. didicisse, dici potest, qui jam dudum ante, non solùm, ne altius assurgamus, cum *Sagano* & *Rhodio* collocutus, HONII Batavi sententiæ & adstipulatus erat, (c) & eandem esse suam declaraverat, sed &, qui in illa ad *Matthæum Alberum* Epistola, quæ tamen d. 16 Novemb. 1524. est conscripta, & paulo post edita, eandem inculcavit & asseruit? qui pridem quoque, in libris de *vera & falsa* (d) *religione*, ipsam illam *de Cœna Domini*, at-

atque Lipsiæ 1584. fol. edita, ibi enim pag. 37. hæc verba margini leguntur annotata: *Zwingel folget dem raht des schwartzen gespenstes, daher der Sacramentirer wesen entstanden, und bisher getrieben worden.* Quot verba, tot indicia της χολης της πικριας, qua horum cor oppletum erat!

(a) LOESCHER. Histor. motuum. Part. 1. p. 68-72.

(b) CYPRIAN. in libello germanico adversus Unionem Protestantium Ecclesiasticam cap. XIII. §. I. p. 310. 311.

(c) vid. §. CXVI. pag. 280. 281.

(d) vid. Inprimis editionem ejus *Commentarii* A. 1525. mense Martio publicatam in 8. pag. 257-267.

que de *verborum Institutionis* sensu, sententiam latius adstruxerat? Porrò, qui dicit, se in somnio hac illave de re esse admonitum, num is eapropter Spiritum quendam effingit monitorem? Cum ipse Zwinglius, interdiu omnia de explicando tropo cogitaret, atque recogitaret, viderine mirum nobis potest, si mens in somniis eadem illa recogitaverit? (b), ita, ut non sine provido Dei nutu, hæc ipsa menti ejus inciderent verba, quæ etiam vigilanti incidere potuissent, antehac minus attentè lecta, nunc accuratius relegenda? An deinceps, is, qui adagialiter (c) edicit, sibi non constare, quomodo hæc illave in mentem venerint, idque tali phrasi, quæ, quod Zwinglio (bene an male, nihil refert) fuerit familiaris, ex illius ipsius narrationis principio, addiscitur; statim falsæ vel incertæ saltem doctrinæ est (d) insimulandus? Num, quæ per Adagium dicuntur, nobis licebit, absolutè interpretari? atque incommodam inde emergentem sententiam impingere, Viro, tot ceteroquin laudibus conspicuo, atque de posteritate optimè merito? Illene à Dæmone suam hausivisse doctrinam dici poterit (e), qui, nil quidquam, nisi quod disertis Scripturæ Sacræ locis innititur, quodque per communem sensum stabilitur, vel tenere voluit vel asserere? Quid verò etiam, si illorum, qui se Lutheranos vocant, hic sequi exemplum, atque pari insolentia chartam dedecorare vellemus, hi regererent, cum ea ipsa, quæ Zwinglio nostro objiciunt, si non longè

(b) *Vix aliquis reperietur homo studiosus* (ita RIVETUS Exercit. in Genes. c. 28. p. 478.) *qui simile non senserit, dormienti nempe visum fuisse, vel quod in libris aliquid legeret, vel cum aliquo disputaret, aut ratiocinaretur, quem antea non meminisset sibi visum, Talia somniorum genera inter naturalia & pæne ordinaria referuntur.*

(c) Certè ipsa ERASMI Adagia hanc calumniam refellere potuissent, cum ex iis constet, quam Latinis Scriptoribus, ea locutio, *aterne an albus? nescio*, sit consueta, de re vel homine ignoto, vid. Oper. ERASM. Tom. II. fol. 261. ubi varia eum in finem allegata, ex Authoribus priscis atque Patribus Ecclesiasticis videmus exempla, jam non repetenda.

(d) Et, quidni, ium ipsi Luthero, qui Tom. I. Epist. p. 124. Papam dum Antichristum esse refert: *Nescio*, scribit, *unde veniant istæ meditationes*? ejusmodi dogmatum vel incertitudo vel falsitas adscriberetur?

(e) Conf. J. Henr. HOTTING. H. E. Sec. XVI. T. IV. p. 322-395.

gè potiori, ſaltem eodem jure, in proprium ipſorum reflecti queant magiſtrum, quippe qui, non angelum quendam, ſed ipſummet *Diabolum* (a) commemorat, idque non adagialiter, ſed *narrative*, qui ſe *noctu adortus fuerit, ſæpiusque adoriatur*, ſecumque habuerit *colloquium*, ſe denique de multis *Miſſæ Pontificiæ* abuſibus erudierit? uti alibi (b) *ſe multa feciſſe & facere*, ait, *quæ Satanæ ſunt*. Non ignoramus equidem, hanc ipſius Lutheri de ſpiritualibus Satanæ inſultibus, narrationem, à *Cochlæo*, *Bachmanno* & ſimilibus (c), in teterrimum ſcomma eſſe tranſmutatam, ipſique Luthero, commercium cum Diabolo fuiſſe imputatum, quippe quod ipſe jactaverit, & de quo fuerit faſſus, hunc eſſe præceptorem ſuum, à quo didicerit, nihil boni eſſe in Miſſa, ſicque ſimilia plura improbè ab Evangelii adverſariis in ipſum jacta eſſe. Sed, viros doctos, qui Zwinglio, phraſin incommodam importunè imputant, ſaltem ad animum revocare oportuiſſet, hæc, quæ criminantur in alio, Luthero ſuo majori ſpecie & imputari potuiſſe & imputata fuiſſe; Quin &, eandem illam Reſponſionem, quam ad excuſandum Lutherum afferre conſueverunt, ipſos intime ſimul convincere, de injuria, quam ſibi ita fieri nolunt, ut eam tamen faciant aliis: Sed, quam exoptaſſemus, illa, modo fieri potuiſſet, ſuperſedere commemoratione, rei prorſus ingratæ, quæque Hiſtoriæ huic noſtræ nec fulgorem conciliare poteſt, nec decus inferre!

Ss 3 §. CXXIX.

(a) vid. LUTHERI Opp. German. Ed. Jenenſ. Tom. VI. fol. 826. ubi ita: *Ich bin einmahl zu mitternacht aufferwacht, da fing der Teuffel mit mir in meinem hertzen eine ſolche diſputation an, wie er mir denn gar manche nacht bitter und ſaur gnug machen kan ...... der Teuffel weis ſeine argument wol anzuſetzen, und fortzudringen, und hat eine ſchwere und ſtarcke ſprache, und geben ſolche diſputation nicht mit langen und viel bedenken zu, ſondern ein augenblik iſt ein antwort ums ander, und ich habe da wol erfahren, wie es zugehet, das man des morgens die leute im bette tod findet, Er kan den leib erwürgen, das iſt eins, er kan aber auch der ſeelen ſo bange machen mit diſputieren, das ſie ausfahren mus in einem augenblik, wie ers mir gar oft faſt nahe gebracht hat. &c.*

(b) v. Epiſt. LUTHER. Tom. II. ad Eb. Briſgerum p. 359. a. b.

(c) vid. Illuſt. SECKENDORF. Hiſtor. Lutheran. L. I. §. CII. add. I. fol. 167. 168. 169.

§. CXXIX. Missis igitur hisce, parùm jucundis, quo pacto ipsa Reformatio Tigurina ad ἀκμὴν sit perducta, pervidendum est. Est enim tum omnium primò in urbe Tigurina celebrata, COENA DOMINI, abolita prorsus antiquata & ablegata *Missa Pontificia*, idque tribus diebus, nempe die Jovis, qui erat mensis decimus tertius, die Veneris qui erat decimus quartus, & festo Paschæ, magna populi lætitia. Monachi enim (a), uti LAVATERUS testatur, & sacrifici hactenus in confessionibus privatim, & concionibus suis publicè docuerant, *Domini corpus sub specie panis tanta contineri magnitudine, quanta pependisset in cruce.* Illosque qui vacui hac fide, ad altare, sacramentum petituri accessissent, æterno exitio addixerant, de merito Christi nullam fecerant mentionem. Hinc injucunda hominibus reddebatur Cœna. Multi enim dies noctesque, suam sortem deplorabant, quod hæc non crederent, miserè se ipsos excarnificantes. Liberati igitur illis erroribus læti ad Cœnam accedebant.

Ritum autem COENÆ, quæ in MISSÆ locum substituta fuit, paulo ante ZWINGLIUS scripto (b) complexus erat. Qui est hujusmodi: Finita (c) concione mensa templo infertur, & mundâ mappâ sternitur. Huic imponitur canistrum pane infermentato plenum, catini & pocula lignea, quæ vino implentur.

(a) vid. LAVATER. Histor. Sacramentar. pag. 4.

(b) Hoc ipsum illud est scriptum, quod sub tit. *Action oder Bruch des Nachtmals, gedächtnus, oder danksagung Christi, wie sy uff Ostern zu Zurich angebebt wirt im Jar als man zalt* MDXXV. à Beato, J. J. HULDRICO, Theologo, dum in vivis erat, Tigurino præstantissimo, Amico autem nostro faventissimo, insertum est *Miscellaneis Tigurinis* Tom. III. Fasc. I. pag. 151. seqq. qui simul observat, l. c. p. 144. quam equidem ante Zwinglii mortem hæc formula aliquantisper fuerit immutata, quod ex ipsius fidei Christianæ ad Regem Christianiss. expositione, in ZWINGLII Opp. Tom. II. pag. 563. 564. colligi possit, sed ita, ut hæc immutatio, ipsi Reformationis causæ officere nulla ratione possit, cum Religio, non cærimoniarum una atque eadem facie, sed studio pietatis constet.

(c) LAVATER. l. c. p. 4. & SCULTET. Annal. p. 314. 315.

tur. Accedit ad mensam Pastor Ecclesiæ cum Diaconis, & totum cætum ad attentionem excitat. Mox alter ex Diaconis subjicit institutionem cœnæ Domini ex epistola ad Corinthios: alter verò recitat partem capitis sexti Joannis, ut ex verbis Domini omnes discant, quomodo Christi carnem edamus verè, & sanguinem ejus verè bibamus. Mox, recitato Symbolo fidei, Pastor admonet, ut quisque se ipsum examinet & exploret, ne indigne accedendo corporis & sanguinis Domini reus fiat. Postea omnes se in genua demittunt, & pastore præeunte, Orationem Dominicam dicunt. Quâ absolutâ pastor panem infermentatum accipit in manus, & spectante fidelium cœtu altâ voce, magna religione recitat institutionem cœnæ Dominicæ: deinde panem ministris distribuit & poculum porrigit. Qui panem in catinis & vinum in cyathis circumferunt, & Ecclesiæ exhibent. Quisque in manus sumit quod traditur à ministris, edit, proxime assidenti offert partem ejus quod accepit, similiter etiam poculum porrigit. Interim verò, dum de pane Domini edunt & de poculo ejus bibunt, unus ex Ecclesiæ ministris prælegit ex Evangelio Joannis dulcissima illa colloquia Domini, quæ abiturus cum discipulis habuit, à pedum ablutione initium faciens. Si catini & poculum ad mensam redeunt, Ecclesia iterum in genua procumbit, & Deo gratias agit pro beneficio redemptionis Christi. In Ecclesiis autem agri Tigurini, minister omnia solus recitat, & ad mensam singuli accedunt. Hunc ritum multæ Ecclesiæ in Helvetia & Rhætia postea imitatæ sunt.

§. CXXX. Hoc verò eodem anno, Studium Biblicum singulari ratione apud Tigurinos fuit promotum. *Primò* quidem, per Scripturæ S. Versionem Germanicam sive Helveticam, quæ jam tum à Leone Judæ, Caspare Grossmanno, quin imo etiam, à Zwinglio (a) & aliis, quoad primam ejus partem procurata fuit, quæ Pentateuchum & reliquos complectebatur Libros V. T. Histori-

cos

(a) Ipse ZWINGLIUS in tractatu Germ. cui tit. *Pastor*, ad Ann. 1524. scribit: *Quamvis mihi proposuerim ad tempus nihil scribere, sed dimidium hunc annum totum, in conferendo Hebræo, Græco & Latino textu consumere &c.*

cos, quos jam A. 1523. in Saxonia Lutherus publicaverat, & cujus Versionem hi fundamenti loco tum posuisse dicuntur, emendatis iis, quæ sibi videbantur à textu originali recedere, & immutatis iis, quæ minus cum dialecto Helvetica (a) convenirent: *Deinceps*, per institutam, loco Sacrificii Missatici, quod quotidie fuerat celebratum nunc verò abrogatum, Tiguri Lectionem Biblicam plurium linguarum in Choro summæ ædis, quæ solenniter est inchoata, decima nona (b) Junii: ita ut ZWINGLIUS ab hoc voto exordiretur: *Omnipotens, sempiterne ac misericors Deus, cujus verbum lucerna est pedibus nostris, & lumen semitarum nostrarum, aperi & illumina mentes nostras, ut oracula tua piè & sanctè intelligamus, & in illud quod rectè intellexerimus, transformemur, quo Majestati Tuæ nulla ex parte displiceamus, per Jesum Christum Dominum nostrum Amen.* Lectum deinde à studioso quodam est caput Biblicum Latine, quod idem mox *Johannes* CEPORINUS Hebraice, ZWINGLIUS Græce ex LXX. Interpretibus, postremò Pastor quidam, Germanice legerunt & interpretati sunt. Quo facto, habitis iterum precibus, cœtus est dimissus. Sed iste legendi & interpretandi Biblia ordo postea mutatus, & ratio Lectionum Theologicarum ad consuetudinem aliarum Academiarum fuit conformata.

(a) Conf. le LONG Biblioth. Sacr. Tom. II. p. 250. 251. ubi & docemur, quam reliqua Bibliorum pars, à Ministris Tigurinis ex textu Originali fuerit translata, nulla ratione habita Versionis Lutheri, quippe quæ, saltem in Prophetas, demum A. 1531. & 1532. est absoluta, cum Tigurini jam A. 1529. universa Biblia in Linguam Germanicam translata & absolvissent & edidissent cum præfatione Leonis Judæ & variis glossulis. Tiguri apud Froschouerum A. 1525-1529. 3 Vol. in folio.

(b) Ex Chronico Bullingeri MSS. SCULTETUS p. 310.

F I N I S.

Errata Typographica

Pauca admodum inveniet Lector benevolus, quæ mentem turbent Primaria verò ita corrigere licebit. p. 14. lin. 12. pro processus lege *professus* p 42. lin. ult pro *& signis* lege *& ignis* p. 60. lin. 3. pro decimo octavo lege *decimo sexto* p. 78 lin. 9. pro *literis* lege *litoris* p. 84. l. 29. pro *vele recta* lege *vel erecta* p. 149. lin. 17. pro *nollemus* lege *vellemus* p. 291. lin. 5. à fine, pro *erant* lege *erat*, & pro *fecerant* lege *dederant*.

LEMMATA

PARAGRAPHORUM

§. I. Typographiæ *ars mirabilis Seculo* XV. *inventa.*

§. II. A Germanis *sive* Belgis, *qui hujus artis inventione palmam præripuerunt gentibus aliis cultioribus.*

§. III. *Authores hujus Inventionis fuerunt* Laurentius Johannis Costerus *dictus*, *&* Joh. Guttenbergius, *qui &* Gentzfleisch à Sorgeloch *dicebatur. Lis inter Harlemenses & Moguntinos componitur.*

§. IV. *Est autem* Ars Typographica *inter præcipua* Reformationis *adjumenta referenda*, *cum per eam*, *&* Biblia, *de quorum editionibus primis agitur*, *&* Patrum Ecclesiasticorum *scripta*, *& varia alia Virorum Doctorum*, *qui vel* Reformationi *pararunt viam*, *vel ipsi* Reformarunt *doctrinam*, *monumenta*, *in omnem orbem sint transmissa*, *atque ad plures pervenerint.* Pontificii *huic arti inimici.*

§. V. *Operis intentio refertur. Instauratio literarum & artium in Papatu neglectim habitarum*, *lucem Evangelicam*, *tanquam aurora solem*, *docetur præcessisse.*

§. VI. *Primi atque potiores literarum*, *quæ ex Græcia in Italiam sunt deportatæ*, *instauratores enumerantur. Inter quos sunt* Chrysoloras, Bessarion, Georg. Trapezuntius, Theod. Gaza, Jo. Argyropulus Const. Lascaris, *& alii*, *itemque* Jo. Reuchlinus *dictus* Capnio, *&* Des. Erasmus Roterodamus.

§. VII. Rudolphi Agricolæ *merita in Germaniam*, *ejusque doctrina & eruditio commemorantur*, *variaque alia recensentur Doctorum Virorum nomina.*

§. VIII. Francisci Ximenii *Cardinalis in literas* Græcas *cumprimis favor laudatur*, *ejusque studium in edendis* Bibliis Polyglottis, *dictis* Complutensibus *effertur.*

§. IX. Latinæ *Linguæ & Eruditionis inter* Italos *præcipuè restauratores*, *recensentur.*

§. X. De Latinæ Linguæ in Germania *cultoribus*, *& authoribus* Epistolarum obscurorum

virorum *agitur. Itemque de* Linguæ Hebraicæ *patronis.*

§. XI. Maximiliani I. *Imperatoris in literas favor, vel in Decreto de erigendis in Germania* Academiis, *conspicuus laudatur.*

§. XII. Ludovici XII. *Galliarum Regis, in Pontificem* Julium II. *hostilis animus, & Nummus cusus, cum inscriptione:* Perdam Babylonis Nomen, *referuntur, itemque, ejus* de Waldensibus *Judicium.* Francisci I. *itidem Regis Gall. summus erga literas amor.*

§. XIII. Henrici VII. & VIII. *Regum Angliæ in literas merita efferuntur, itemque variorum aliorum Principum, inter quos* Alphonsus V. *Arragoniæ Rex*, Hercules *Dux Ferrariensis*, Rupertus *Palatinus*, Fridericus *Saxo, quinimo, ipse* Leo X. *Pont. Ro. & Gens* Medicea.

§. XIV. *Quo pacto in genere renata fuerit eruditio omnis ac literatura docetur, eumque in finem* Medici, Jureconsulti, Philosophi & Philologi *præclari recensentur & monetur, quam multi in* Monasteriis *hactenus delitescentes deinceps in dias luminis auras prodierint, ac inter* Theologos Reformatores *nomen habuerint.*

§. XV. *Transitus fit, ad* corruptos Ecclesiæ Pontificiæ mores & depravatam Religionis doctrinam, *delineandos, quod verbis fit* Mezeraei, *Scriptoris Pontificii.*

§. XVI. Pontificum Romanorum *ulcera denudantur. Et quidem* Alexandri VI. Julii II. & Leonis X. *scelera omnem pæne fidem superantia, ipso Pontifice* Hadriano VI. *non diffitente.*

§. XVII. De Ignorantia *Paparum disseritur, & inprimis de* Ignorantia Biblica, *porrò de* turpi *clericorum vita, ex testimoniis* Æneæ Sylvii *& Conciliorum*, Pisani, Constantiensis ac Basileensis. *Memorabile* Nicolai Cusani *responsum, de Scriptura S.*

§. XVIII. *Patrum* Pisanæ Synodi II. *de corruptione Ecclesiæ testimonium ad* Maximilianum Imp. *Eorundem decretum adversus* Julium II. *cum ipsi hi tamen parum quoque essent meliores.*

§. XIX. *Epistola* Luciferi ad malos Principes Ecclesiasticos *commemoratur. De* Lateranensi Concilio à Julio II. *convocato quadam habentur & Ægidii* Viterbiensis *Oratio laudatur, itemque* Richerii *de hoc Concilio Judicium, porrò*

Fa-

§. XXX. Andreas Proles *&* Baptista Mantuanus *in hunc censum quoque vocantur.*

§. XXXI. Friderici Myconii, *Thuringiæ Evangelistæ* Somnium *singulare ac memorabile de Instanti Reformatione enarratur.* Rodolphi Langii *Vox laudatur.*

§. XXXII. Friderici Electoris Saxoniæ Somnium *recensetur, & quid de eo sit habendum discutitur, adducto* Joh. Majoris *de* Luthero *epigrammate.*

Lutherus, Decimum confecit strage Leonem,
De clava noli quærere, penna fuit.

Ejus*dem* Friderici *Saxonis Visum singulare adducitur, addita epicrisi.*

§. XXXIII. *De statu* orbis politico *agitur circà ævum Reformationis, adductis, cum* Imperatore, *tum Regibus* Galliæ *atque* Angliæ *itemque* Scotiæ, Hispaniæ *porrò, atque* Lusitaniæ, Danorum *quoque &* Suecorum, Hungariæ *deinceps atque* Poloniæ. *Quænam &* Helveticæ Reipublicæ & Belgii *fuerit tum temporis ratio indigitatur.*

§. XXXIV. Saxonicæ *domus Electoralis atque ducalis hoc tempore facies.* Friderici Sapientis *Elogium. Electores & Marchiones* Brandenburgici. *Electores & Comites* Palatini. *Duces* Brunsvico-Luneburgenses. Hassiæ *Landgravius* Philippus Magnanimus. Wurtenbergici & Badenses *Imperii Principes.* Anhaltini. Pomerani. Meklenburgenses. Bavarici *Duces.* Moguntini, Trevirenses, Colonienses *Electores & Archiepiscopi.* Turcarum *Imperium quale fuerit hoc tempore notatur.*

§. XXXV. Leonis X. Pontificis Romani *Mores delineantur. Ejus in Literatos amor, atque studium laudantur, sed facetiæ atque irreligiositas reprehenduntur, ab ipsis scriptoribus* Pontificiis. *Vita ejus voluptuosa, turpis, & lasciva, luxus porro immanis notantur.*

§. XXXVI. *Ambitio* Leonis X. *atque fastus incredibilis ex ejus temporis monumentis demonstrantur, itemque ex* nummo, *quem ipse cudendum curavit, cum Inscriptione:* Vicit Leo de Tribu Juda. *Ejus corradendi pariter ac profundendi nummos libido reprehenditur, sicque via paratur ad materiam de* Indulgentiis.

§. XXXVII. *De* Indulgentiarum

rum *nundinatione quadam referuntur ex seculis superioribus, deinceps de* Alexandri VI. & Julii II. Indulgentiis *agitur, & docetur, quomodo his vestigiis institerit* Leo X.

§. XXXVIII. *Varii generis* Indulgentiæ à Leone *erogata recensentur, in quibus inter alia is* portas Paradisi & perennem gloriam se reserare *videri vult. De* Arcimboldi *libello quo Indulgentias Papales extollebat &c.*

§. XXXIX. *De* Alberto Moguntino, *constituto novo* indulgentiarum Commissario, *una cum* Christophoro Forlivio, *quorum hic, usus est opera* F. Bernh. Samsonis *in Helvetia, ille,* Johannem Tezelium *sibi subcommissarium delegit.*

§. XL. Johannis Tezelii *persona describitur, relatis simul iis, qua de ejus Nundinatione* Indulgentiarum *præcipuè sunt memorabilia.*

§. XLI. *Quomodo se ei opposuerint multi, docetur. Ejus* pompa *describitur, qua loca quæstus exercendi gratia solebat ingredi. Ejus audacia ac temeritas, latius extendendi quæstum, quam ipsi in mandatis erat datum. Quomodo* Elector Saxoniæ *huic nundinationi fuerit adversus.* Johannis VI. Salhusensis *Episcopi Misnensis Vox memorabilis & studium nundinatoribus adversum.* Decembrii & Wesseli Groningani *querela de Indulgentiis.* Facultatis Parisiensis *decretum adversus eas.*

§. XLII. Martini Lutheri *conamina prima adversus Indulgentias. Ejus ante susceptam Reformationem ducta Vita enarratur.*

§. XLIII. *Proxima* Luthero *data ansa* Indulgentias *oppugnandi eviseratur. Ejusdemque, ad* Albertum Moguntinum *&* Hieronymum Brandeburgensem Episcopum *litera commemorantur, simul verò etiam* Theses 95. adversus Indulgentias *edita.*

§. XLIV. *Tota hac causa ipsius* Lutheri *verbis describitur.*

§. XLV. *Adversariorum* Cochlæi, Surii, Raynaldi, Serrarii, Pallavicini, Varillasii & Maimburgii *præjudicia refelluntur, atque docetur.*

1. Lutherum *non gloria stimulis actum hanc causam suscepisse.*
2. *Eum quoque, non authore* Staupitio, *neque propter quandam* inter Dominicanos & Augustinianos *æmulationem, in hanc arenam descendisse.*

 3. *Eum*

3. *Eum non per* Fridericum Saxonem *fuisse instigatum ad hoc opus.*

§. XLVI. Lutherum *conscientia stimulis actum hanc causam fuisse aggressum indicatur.*

§. XLVII. *Ad* Helvetiorum Reformationem *enarrandam fit transitus, quem in finem* Joh. Geileri *dicti* Keisersbergeri *conamina ecclesiam* Argentoratensem *reformandi, recensentur, itemque* Thomæ Wittenbachii *studia.*

§. XLVIII. Huldrici Zwinglii *Vita & Studia usque ad A.* 1516. *quando is Reformationem inchoabat. Observatio de* Luthero *pariter atque de* Zwinglio.

§. XLIX. Zwinglii *Reformatio à quibus initiis processerit, docetur, itemque, quando is* Tigurum *fuerit vocatus, ibidèmque eandem continuaverit.*

§. L. Bernhardi Samsonis *Impudentia, in venundandis inter Helvetios* Indulgentiis.

§. LI. Leonis Judæ *Vita & Studia ante* Reformationem *susceptam enarrantur. Ejus in* Lutherum *& ejus scripta animus.*

§. LII. Conradi Pellicani *Studia enarrantur. Ejus in literaturam Hebraicam amor laudatur, & reliqua, quæ ante* Reformationem *ab ipso peracta sunt, referuntur.* Paulus Scriptoris Pellicani *præceptor laudatur.*

§. LIII. *Singularis, eaque memorabilis de* Pellicani *cum* W. F. Capitone *colloquio*, de Sacramento corporis & sanguinis Christi *A.* 1512. *habito, historia narratur.*

§. LIV. Pellicani *de* Lutheri Thesibus *primò editis Judicium.*

§. LV. Wolfg. Fabricii Capitonis *Vita & Studia, itemque ejus in rem sacram merita ante Reformationem susceptam exponuntur. Monetur eum cum* Zwinglio *jam ante* Lutherum *contra Papam egisse.*

§. LVI. Joh. Oecolampadii *Vita exponitur, & ejus in rem sacram merita referuntur. Is inprimis* Erasmo *in edendo* Novo Testamento Græco, *quod opem præstiterit docetur. Pontificiis is factus adversarius sese recepit ad* Franc. à Sickingen, *ibidemque* Reformationi *perinsignem navavit operam.*

§. LVII. Reformationis Helveticæ *negotium brevi summa comprehenditur.*

§. LVIII. *De* Indulgentiarum Papalium *fortuna & fatis in* Helvetia. Bernh. Samsonii *Im-*

itemque ejus peregrinationes variæ.

§. LXX. *Jecit is* Reformationis *fundamentum, editione* Novi Testamenti Græci *à se* A. 1516. *procurata. Promovit Patrum studium, & plus dicitur nocuisse Pontifici Ro. jocando quam Lutherus stomachando. Scripta ejus, in quibus* Ecclesiæ Romanæ *corruptos mores sugillat, indicantur. Varia ejus* Epistolæ *ad Reformatores data laudantur. Noluit is tamen videri* Lutheranus, *semperque alienum* à Luthero *animum testatus est, quippe qui & contentionis serram* de Arbitrio sive libero, sive servo, *reciprocavit cum Luthero.* Ejus mors.

§. LXXI. Johannis Staupitii Vita *breviter recensetur, & quomodo is* Luthero Scripturæ S. lectionem *commendaverit, itemque quomodo is eum labantem sæpius erexerit: Is Abbas* Salisburgensis *creatus paulatim à* Luthero *factus alienior, cum quo tamen paulo ante mortem rediit in gratiam. Scripta ejus, & in Deum pietas laudantur.*

§. LXXII. Ulrici Hutteni *Fata plurima enarrantur: Scripta ejus indicantur & quomodo* Ecclesiæ Romanæ *ulcera tetigerit. Amici ejus enumerantur, atque quas insidias illi struxerit* Romana curia, *docetur, usque dum ærumnosam vitam clauderet.*

§. LXXIII. *Herois fortissimi* Francisci *van* Sickingen, *authoritas, bello parta, & in doctrinam emendatam studium singulare prædicantur. Arx ejus* Ebernburgum, *refugium præbuit Viris Doctis quamplurimis. Inter quos* Henrici Schwebelii *nomen est conspicuum, &* Casp. Aquilæ *&* Jo. Oecolampadii *&* Martini Buceri. *Is primus inter suos instituit cultus sacri Reformationem. Mors ejus.*

§. LXXIV. *De* Bilibaldo Pirckheymero *agitur. Is Renato Evangelio favit, à* Lutheri *tamen &* Zwinglii *nomine alienus, in quo* Erasmum *est sectatus. Merita ejus in patriam & literas elegantiores laudantur. Amici ejus.*

§. LXXV. *Ejus favor erga veritatem atque* Reformationis *negotium commemoratur, & quam* Lazarum Spenglerum, *in eo sibi fuerit expertus socium ac comitem, docetur. Scripta ejus.*

§. LXXVI. Jacobi Fabri Stapulensis *Nativitas, status, studia, atque profectus laudantur. Ejus*

Ejus superstitio notatur. Invidiam Theologorum sufferre debuit. Εὐθανασία *ejus laudatur. Scripta ejus.*

§. LXXVII. Thomæ Mori, *Anglicani Regni* Cancellarii, *merita in literas & doctrinam sacram enarrantur. Ejus commercium literarium cum Viris doctis. Ejus erga Monachos odium, sed & erga Lutherum ipsosque Reformatores animus infestus recensentur. Mors ejus & scripta commemorantur, inter quæ eminent ejus Libri duo,* de nova Insula Utopia.

§. LXXVIII. Gulielmi Budæi *Elogium. Fuit is Veritatis Evangelicæ Fautor, licet à Pontificiorum sacris etiam publicè non recesserit. Studia ejus laudantur, & scripta ejus, inter quæ Libri* de Asse & ejus Partibus *eminent, in quibus & Ecclesiæ Ro. mores egregie depinguntur. Mors ejus, & quæ post mortem ejus contigerunt, arguunt eum* Reformationi *favisse: Commercium ejus literarium.*

§. LXXIX. Jacobi Wimpfelingii *Selestadiensis, Vita & merita. Ejus Munus Concionatorium, ac deinceps Professorale laudatur. Ejus cum Monachis contentiones. Ejus pro asserenda* Libertate Germaniæ, *conamina. Scripta ejus & Mors.*

§. LXXX. *De* Petro Mosellano, *& ejus studiis Juvenilibus, de ejus ad Professionem Lipsiensem Vocatione. Is in rebus* de Religione *idem sentiebat, quod &* Erasmus. *Ejus Amici laudantur, & ejus Epistola* de colloquio Lipsiensi A. 1519. *habito commendatur. Scripta ejus commemorantur, atque ejus imago propriis ejus verbis concepta refertur.*

§. LXXXI. Beati Rhenani *Vita & Amici varii. Favit* Lutheri causæ, *sed ita tamen ut ipsis* Pontificiis *nuncium non miserit unquam. Scripta ejus.*

§. LXXXII. Mercurini de Gattinaria *elogium. Ejus munera aulica apud* Philibertum II. *Sabaudiæ Regem, apud* Margaretham *Austriacam, & apud* Carolum V. *Imp. cujus Cancellarius fuit.*

§. LXXXIII. Gattinariæ *in causa religionis moderatio: Ejusdem erga* Protestantes *favor variis indiciis demonstratus. Protestantium erga ipsum amor. Ejus Mors.*

§. LXXXIV. Tezelius *adversarius* Lutheri *primus. Ejus* Theses adversus Lutherum Witebergæ *sunt combustæ, sed inscio* Luthero: *Res tota tum*

 est

est delata ad Pontificem Leonem X. *Cujus in hac causa imprudentia à quam multis reprehenditur.* Prierias, Eckius, & Hoogstratus *se* Luthero, *& ejus Thesibus opposuerunt.*

§. LXXXV. *De* Sylvestro de Prierio, *& ejus adversus* Lutherum *Dialogo, in quo* Romanæ Ecclesiæ *authoritatem is ita evehit, ut asserat scripturam ab ea suum trahere Robur & Authoritatem, variaque ad* Indulgentiarum *virtutem spectantia asserit incredibilia.*

§. LXXXVI. *De* Joh. Eccio *& ejus* Obeliscis, Luthero *oppositis admodum virulentis.*

§. LXXXVII. *De* Jacobi Hoogstrati *adversus* Lutherum *moliminibus, & animo minas & sanguinem spirante.*

§. LXXXVIII. *De Reformatione* in Palatinatu, *atque in oris* Rhenanis, *per* Jodocum Gallum *&* Jac. Wimpfelingium *inchoata. Disputatio* Heidelbergensis A. 1518. *ansam dedit ulteriori reformationi in* Palatinatu *instituenda.* Paradoxa à Luthero *edita de* libero arbitrio *post peccatum, de fide, justificatione, Operibus bonis,* &c. Lutheri *in doctrina profectus quotidianus. Disputationis ipsius Historia & ejus successus.*

§. LXXXIX. Lutherus *editis* Resolutionibus *quibusdam adversariis suis in genere ivit obviam, Harum* Resolutionum *breve argumentum traditur.*

§. XC. *Adversus* Sylv. Prieratem *quomodo in scenam prodierit, docetur, edita singulari Responsione, ex qua memorabilia quædam adducuntur, quæ demonstrant, quam solius Scripturæ S. authoritati cedere voluerit* Lutherus, *repudiata omni humana atque etiam cumprimis Papali authoritate, quanquam ipsum* Leonem X. *vehementer laudet. ad* Sylvestri Replicam, *&* brevissimum Epitoma, *Responsio* Lutheri, *quæ graviter detonat in Curiam Romanam.*

§. XCI. *Ad* Eccii Obeliscos, *responsionis loco prodeunt* Lutheri Asterisci, *in quibus tamen, quod aliquantum ultra terminos, fidei terminos extendat* Lutherus, *docetur.*

§. XCII. Hoogstratano *quoque respondet* Lutherus. *Et ad* Hieronymum Episcopum Brandeburgensem *scribit, itemque ad* Jo. Staupitium: *Porrò etiam ad* Leonem X. *cui nimiam testatur reverentiam ac venerationem.*

§. CXIII.

is in Acad. Witebergensi *Sacras literas professus fuerit, Luthero doctoralem lauream imposuerit, de Prædestinatione adversus Pelagianos disputaverit, Theses pro veritatis causa ediderit,* Indulgentiis *se opposuerit,* Lutherique *defensionem adversus* Eccium *in se susceperit, aliaque perfecerit Evangelio promovendo inservientia.*

§. C. Georgii Spalatini *Natales & Studia. Summa ejus in* Reformationis *negotium merita recensentur. Scripta & Mors ejus Epicedio ornata à* Jo. Stigelio.

§. CI. Philippi Melanchtonis *in omnem eruditionem merita enarrantur. Is Juvenis annorum* XVIII. *in* Tubingensi *Academia Professorem agebat Oratoria & Anno* XXI. Witebergam *vocabatur. Vitam ejus conscripsit* Joach. Camerarius. *Is* Lutheri *amicus & socius fuit dum vivebat, post mortem verò* Lutheri, *ab ingratis discipulis multa debuit pati indigna. Mors ejus pia.*

§. CII. Wenceslai Lincci *Studia & labores recensentur, quippe per quem &* Reformatio Witebergensis, & *totum Reformationis negotium fuit promotum. Amici ejus laudantur & Mors.*

§. CIII. Johannes Bugenhagius *Pomeranus, summus* Lutheri *amicus & Reformationis in variis urbibus & regionibus promotor. Ejus* Comm. in Psalmos *laudatur, itemque labor adjutorius in Versione Bibliorum* Lutheri *cum* J. Jona, Ph. Melanchtone *&* Math. Aurogallo. *Ejus Scripta & Mors.*

§. CIV. Jodoci, sive, Justi Jonæ *Vita & Merita recensentur, subjungitur in ejus obitum Epitaphium elegans.*

§. CV. *Transitus fit ad enarrandam* Disputationis Lipsiensis A. 1519. *habitæ historiam. In ea primariæ fuerunt partes* Carolostadii *&* Eccii, *qui de Libero arbitrio, & efficacia Gratiæ disputabant, ita ut* à Carolostadii *partibus victoria maneret. Deinceps* Lutherus *&* Eccius *acriter de primatu Papæ disputarunt, itemque de rebus aliis donec colloquium dissolveretur, resque tota referretur ad Academias* Erfurtensem *&* Parisiensem.

§. CVI. *Effecta hujus Colloquii enarrantur, inter quæ &* Joh. Polyandri, *qui in ipsa disputatione Notarium egerat à parte Eccii, conversio refertur.*

§. CVII. Bohemi Fratres *amicas ad* Lutherum *literas brevi post* col-

colloquium Lipsiense exararunt exhortatorias & confortatorias, dum nequicquam eos a Luthero *abstrahere conabatur* H. Emserus, *doctor Lipsiensis.*

§. CVIII. *Reliqua Anni* 1519. *memorabilia in negotio Reformationis commemorantur.* Lutheri *Commentarii in Psalmos, Decalogum & Ep. ad Galatas recensentur, itemque ejus* Sermo de Eucharistia, pro communione sub utraque, *ob quam is hæreseos* Bohemitarum *est accusatus.*

§. CIX. Erasmi *ad* Lutherum *litera de successu doctrina ejus data* 3. Kal. Jun. 1519. *ex quibus patet, quam Monasterii* Antverpiensis Prior *jam tum Evangelium pure docuerit.* Capitonis *ad Lutherum Epistola adducitur, & quadam de* J. Oecolampadio *in urbe Augustana Evangelium docente itemque de* Jo. Schwebelio *Pfortshemii docente referuntur.*

§. CX. *Speciatim* Zwinglii *&* Tigurinorum Reformatio *ex suis eruitur principiis:* Zwinglius *constanter in Evangelio* Tigurinis *prædicando progreditur,* Samsonis *impudentiam agnovit ipse* Faber *vicarius Constantiensis:* Zwinglii *doctrina ab* Episcopo Constantiensi Hugone *primum approbatur, sed paulo post improbatur.* Zwinglii *Acta cum Ant. Puccio legato Pontificis.*

§. CXI. *Sub finem anni* 1519. *jam Evangelii Confessores ad* bis mille *in urbe Tigurina dicuntur excrevisse.* Zwinglii *precatio rythmica adversus pestem laudatur.* Tigurini *jam* 1519. *vel* 1520. *primum decretum formarunt, de insistendo soli verbo Dei in rebus fidei:* Chalybeolus, Luthius, & Ceporinus, Zwinglio *adfuerunt socii:* Zwinglius A. 1520. *se totum à Pontificiis segregat, & stipendio, quod hactenus à Pontifice acceperat, renunciat.*

§. CXII. Zwinglii *nomen apud exteros celeberrimum. Is A.* 1521. *in numerum Canonicorum Tigurinorum est receptus Ejus in munere constantia ac imperterritus animus laudatur. Evangelium Libertatis* Tigurinis *annunciatur, unde ii Legem Pontificiam de vetito carnium esu contemnere, incipiunt. Qua res querelis Clericorum quorundam ansam dedit.* Chr. Froschouerus *in primis neglecta legis Pontificia est accusatus.*

§. CXIII. *Historia* Colloquii primi A. 1522. *apud* Tigurinos *habiti inter Zwinglium & Jo. Fabrum Vicarium Constantien-*

sem enarratur, de usu cerimoniarum & observatione preceptorum humanorum. Decretum tum est factum à Tigurinis, *ne quis sibi propria authoritate arrogaret licentiam violandi leges hactenus observatas.* Zwinglii *liber* de delectu ciborum &c. Constantienses *adversus* Zwinglium *librum edunt.* Zwinglius *& collega ejus petunt ab Episcopo* Constantiensi, *ut sibi legitimum concedatur matrimonium.*

§. CXIV. *Pontificii omnibus viribus ut Reformationi* Zwinglii *obicem ponant, annituntur. Ipse* Episcopus Constantiensis *ad Prælatos Tigurinos mittit Rescriptum, sive* Parænesin, *ad quam respondet* Zwinglius *in Operecuitit.* Archeteles, *Quo, vera* Zwinglianæ Reformationis *facies nobis depingitur. Varia ex illo Opere excerpuntur* de Constitutionibus humanis, de sui temporis Præsulibus, de ordine susceptæ Reformationis propriæ, de Conciliis generalibus, de Vi externa ad religionem propagandam minus accommodata. *& sim.*

§. CXV. Lamberti Avenionensis *cum* Zwinglio *contracta amicitia, atque institutum Colloquium* A. 1522. d. 17. Julii de Invocatione Sanctorum &c.

§. CXVI. Senatus Tigurini A. 1523. ad d. 29. Januarii *Synodum indixit generalem, in qua* Zwinglii Conclusiones LXVII. *fuerunt ventilata; Fuit ea finita decretum publicatum, ut missis hominum commentis Evangelium purè doceatur è Veteris & Novi Testamenti libris.* Zwinglii *sententia de* Eucharistiæ *Sacramento indicatur, atque ostenditur, quam is nunquam* cum Luthero *senserit:* Honii Batavi *Epistola laudatur de verborum Institutionis S. Cœnæ sensu, qua* A. 1524. Zwinglio *est oblata.* Zwinglius *urget* communionem sub utraque, *quam Helvetia Ecclesia semper quoque usque ad seculum* XIV. *observaverit.*

§. CXVII. *De ipsa Disputatione publica quædam referuntur memorabilia.*

§. CXVIII. *Ipsum* Senatus Tigurini *decretum exhibetur. Pontificiorum retunduntur cavillationes, quasi nimiam circa res sacras potestatem Magistratui tribuerit Zwinglius.* Zwinglii *Elucidatio, articulorum* LXVII. Gul Rublinus *inter conjugatos sacerdotes Helveticos primus.*

§. CXIX. *Reliquorum Helvetiæ pa-*

pagorum infestus erga Tigurinos *animus indicatur.* Zwinglius *calumnia accusatus se purgat. Is de* Canone Missatico A. 1523. *edit tractatum, ex quo excerpta quædam communicantur.* Missam *tum quoque &* Imagines *acrius oppugnarunt,* Zwinglius Engelhardtus *&* Leo Judæ *Quæ res Conventui secundo publico ansam dedit qui ad d. 26. Sept.* 1523. *est celebratus, atque id effecit ut* publicæ Processiones *fuerint sublata itemque* sanctorum reliquiæ, *variæque alia cerimonia superstitiosa:* Senatus Tigurinus *tum quoque* Isagogen in doctrinam Evangelicam *reliquis pagis misit cum voto ut ante sequentis Anni* 1524. *Pentecosten, velint respondere, si quid illi doctrina esset adversum.*

§. CXX. *Canonici quidam Tigurini tertio Conventui indicundo ansam præbuerunt, qui d.* XIII. *Januarii* 1524. *est celebratus, post quem* Imagines ex templis esse abolendas *decretum est formatum.* Tigurini *adversus reliquos pagos suam causam defendere sunt coacti.* Nicolaus Hottingerus *Civis Tigurinus, Evangelii restituti Proto Martyr.*

§. CXXI. *Ipsa* Idolorum *&* Imaginum *sublatio est facta à Tigurinis* A. 1524. *Cujus Historia ipsius* Zwinglii *verbis exhibetur, ad confundendum quosdam ex Lutheranis, qui importunum consilium* Zwinglio & Tigurinis *exprobrant.*

§. CXXII. *Episcopus Constantiensis libellum ad* Tigurinos *mittit responsorium, cui respondent* Tigurini. *Interea* Zwinglius *uxorem ducit* Annam Reinhartam *fœminam nobilem & honestam, atque pro hoc suo matrimonio Apologiam conscribit.*

§. CXXIII. Tigurini *denuò adversus reliquos sibi infestos pagos causam* Reformationis *defendere debuerunt, dum interea* Bernenses, Abbatiscellani & Scaphusani *ipsis jam essent faventiores.*

§. CXXIV. *Collegium Abbatiscellanum pariter atque etiam reliqua collegia sacra se Magistratui Tigurino submiserunt A.* 1524. *quando prudenti consilio reditus ipsorum annui ad causas pias sunt destinati.*

§. CXXIV. Scaphusani & Basilcenses *Evangelio redditi addictiores.* Tigurini *autem* A. 1525. *scripto ad reliquos pagos libello, de insigni sibi facta injuria & disruptis fœderis communis vinculis conqueruntur, totamque causam suam masculè defendunt.*

Zwin-

Zwinglius *tum* Expostulationem *adversus Lindouerum edidit &* Antibolon *adversus* H. Emserum *doctorem Lipsiensem*. Leo Judæ *iterum* Missæ abolitionem *urget, quam brevi post demum cum suis impetrat.*

§. CXXVI. Anabaptisticæ *secta origo inter* Helvetios *panditur, & quomodo his* Zwinglius & Tigurini *iverint obviam.*

§. CXXVII. Missæ abrogatio *solenniter apud* Tigurinos *est decreta & peracta, quod, qua ratione sit factum verbis Zwinglii exponitur.* Henr. Engelhardti *Oratio laudatur adversus præsentiam corporis Christi in S. Cœna, & Eucharistia adorationem.*

§. CXXVIII. Zwinglius *defenditur adversus calumnias quasi* atri monitoris *consilio morem gesserit, suamque doctrinam* in somnio *primum didicerit* &c. Lutherus, *quo sensu se* diaboli insultibus *expositum fuisse, retulerit, exponitur. Monentur Fratres* Lutherani, *ne criminando Zwinglium apertum latus præbeant adversariis.*

§. CXXIX. Cœnæ Dominicæ *celebratio omnium prima, ex more Apostolico & juxta normam Evangelii in urbe* Tigurina *d.* XIII. *Aprilis* 1525. *magno cum applausu est instituta.*

§. CXXX. *Versio Bibliorum Germanica à* Tigurinis *tum quoque est edita, atque* Lectiones publicæ Biblicæ *loco sacrificii quotidiani Missatici sunt instituta.*

F I N I S.

MONU-

MONUMENTA
ANTIQUITATIS
ad illuſtrandam
HISTORIAM REFORMATIONIS ECCLESIASTICAM FACIENTIA.

Partim hinc inde ex impreſſis Documentis rarioribus

PARTIM EX MSS. ERUTA.

Num. I.

TRACTATUS DE RUINÆ ECCLESIÆ PLANCTU.

Quanquam nec de authore hujus libelli nec de præciso ejus tempore quicquam determinare possimus, id tamen certum est, esse eum seculi XV. fœtum, atque vivide admodum ex eo cum genium seculi tum fortunam ecclesiæ publicam colligi posse: Est verò is jam A. 1517. Haganoæ editus in forma 4. quanquam propter eximiam ejus raritatem superiori seculo eundem V. D. *Herm. v. d.* HARDT inseri curaverit Præfationi Tomi III. Autographων Lutheri Helmst. 1693. 8. à se editorum, depromto exemplari ex antiquæ rei thesauro, in Bibliotheca domestica Rudolphi Augusti recondito; Neque ingratum fore Lectori confidimus, eundem inde descriptum, hic legere. Titulus ita se habet:

Tractatus admirabilis *vom stand der Christenheit*,
Qui diu clam delituit, *wem mag es nicht seyn leid?*
Sed adhuc vivit Dominus *der hat uns das anzeigt.*
Revixit ipsa veritas, *die hat sich zu uns geneigt.*

Planctus ruinæ Ecclesiæ. Quo primo creaturam ad fletum & planctum hortatur autor.

Cœlum, terra, maria, *Und alle Creatur*,
Tabescant, tremant, defleant, *darzu die gantz Natur.*
Non cessent cordis oculi *die heissen Zehren rinnen.*
Ruinam hanc dum audiunt *berlesen oder singen.*

Creatrix rerum omnium, *heilge Dreyfaltigkeit*,
Noſtris adſis gemitibus, *höchſte Barmhertzigkeit*,
Acceptum tibi effice *alles das ich hier ſag.*
Fac omnibus proficuum *den Jammer, den ich klag.*

Auſcultent corda ſaxea, *Ihr groſſe Härtikheit*,
Lumen precentur gratiæ *treulich mit Hertzeleid.*
Ut parcat & illuminet *durch ſeinen Heilgen Namn*
Alpha bonorum omnium. *Mit der ſo heb ich an.*

Nunc deflet lapſum omnis ſtatus in genere.

Quam magnum malum oritur *jetzt hier auf dieſer Erd*,
Juſtitia jam moritur, *und alles iſt verkehrt.*
Magnates & Prælati, *darzu ihr Unterthan*,
Poſt cuncta currunt vitia, *und wollen nicht ablahn.*

Omnis ſtatus Eccleſiæ *iſt gantz zerrüttet worden*,
Jam nullus eſt, qui teneat *dazu er iſt geordent.*
A ſummo ad noviſſimum *regieret all Boſzheit*,
Fraus, dolus & mendacium, *Wem möcht das nicht ſeyn leyd?*

Deſcendit in ſpecie ad clerum ordinatum.
Et primo generatim plangit omnes.

Angelos dominicos *ſoln wir von Hertzen klagen.*
Sic eos vocat Dominus *die wir für Prieſter habn.*
Et vere plus quam angeli, *das mögen wir nicht laugen*,
Qui ſummum creant Dominum, *als inhält der Glauben.*

O dignitas altiſſima, *wie gar biſtu verdorben!*
Sic te ſtravit cupiditas, *da liegſtu gantz erſtorben*,
Quæ olim ſupra angelos *biſt hoch in Ehrn geſtanden*,
Pene heu infra Dæmones *liegſt heut in groſſen Schanden.*

Nec ullum eſt flagitium *das dir zu groſz mög ſeyn*,
Sed omne prorſus vitium *treibſt heut in groſſen Schein.*
Nihil formidas penitus, *das thun die Teufel nicht*,
Qui contremiſcunt Dominum, *als uns beweiſt die Schrift.*

In-

Invaluerunt nimium *so gar in Ubermuht*,
Aversi sunt plenissime *von Gott und allem Guht.*
Sic pompis mundi inhiant, *mit Kräfften darnach streben*,
Quasi cœlestis gloria *werd' ihnen drum gegeben.*

Tanquam monarchi principes, *mit Gewalt und grosser Macht*,
Stipati exercitibus, *sie treten hoch mit Pracht.*
Dilatant phylacteria *mit köstelicher Zier.*
Humilitas altissimi *scheint leyder! wenig an dir.*

Regum ac Ducum curias *suchen ihr viel mit fleisz*,
Ut nomen grande aucupent, *und gewinnen hohen Preisz.*
Honorem summum sitiunt, *von Fürst und jederman*,
Cœlestem Regem negligunt, *sein sach geht sie nichts an.*

Relictis pastoralibus *all Welt wolln sie regiern.*
Orbis cuncta negotia *solln seyn nach ihrem Hirn.*
O quanta hinc dispendia, *an seel, leib, gut geschehn*,
Testantur regna omnia, *als wirs mit Augen sehn.*

Se dominari astruunt *im Himmel und auf Erd*,
Et maledictum reputant *der sich darwider kehrt.*
Potestas plena, inquiunt, *ist uns allein gegeben*
In cœlis, terris, inferis, *uns mag nichts widerstreben.*

Sic affectus dominii *hat sie so gar verblendt*
Ut Dominos se jactent omnium, *so gänszlich unverschamt.*
Subesse volunt omnia, *ohn alle Widerred*,
A nullo prorsus argui *ihr schnodes ungefehrt.*

Nam tanta est ambitio, *ich mag nicht langer schweign*,
Quod si foret possibile, *sie wurden Gott vertreiben.*
Nec est ulla sublimitas, *die ihr Begier mag stillen*,
Et si non subsunt omnia, *so ists ohn ihren Willen.*

Ah grandem hanc superbiam! *die niemand forschen mag*,
Jam supra cœlos tollitur, *und giebet doch nicht nach.*
Coli ut Deus cupiunt, *man sihts an manchen sachen*,
Autoritati se æquant, *Gott wird es selber strafen.*

 De-

Deplorat negligentiam & defectum pastoralis officii & operis injuncti.

Sed si placet autoritas, *die dir verliehen ist*,
Cur non placet & regula, *des Herren Jesu Christ?*
Mensuram, modum, pondera, *hat er dir selbst gesetzt*,
Quo te & suos dirigas, *die nimmer ubertrettst*.
Ubi nunc continentia *und priesterliche Zucht?*
Ubi exempla congrua *und aller Tugend Frucht?*
Mutata sunt in scelera, *viel hoffart, geiz und spiel*,
Tabernas & cubicula! *o Herr! sein ist zu viel.*
Ubi nunc vigilantia *der Hirten vor die Schaf?*
Ubi jam est devotio, *Lehr, Ebenbild und Straf?*
Ubi vel sacra hostia, *das allerhochste Pfand?*
Sic rarus est qui peragat, *als sey es ihm ein schand.*
Raro tu legem Domini, *was Gott und Seel antrifft*,
Nec audis salutaria *von ihm nach H. Schrift.*
Nam cuncta Christi actio, *die heilgen zehn Gebot*,
Doctrina Evangelica, *ist ihnen lauter Spott.*
Quod semel os egressum est, *das mag nimmer hinein*,
Sed nisi reddas strenue, *bringt es dir grosse Pein.*
Non tuum limitare est, *nach deinem eignen Muht*,
Sed ut intendit Dominus, *ist es gewisz nicht gut.*
Hæc, & præceptum Domini, *sollst nimmermehr vergessen*,
Mores, vitamque, tempora, *sollst allzeit darnach messen*,
Ne cum ibi deliqueris, *sonst alles recht geschicht*,
Contemnat totum Dominum, *wer G'bot und Glauben bricht.*
Si modo quovis alio *fursichtig meinst zu seyn*,
Et non attendens jugiter, *wie das mit Gott mog seyn*,
Fide tene firmissima, *es kan nicht lang bestehn*,
Cum cumulas pericula, *den du nicht kanst entgehn.*
Non licet ullo tempore *was boses fangen an*,
Nec ulla prorsus ratio *dich da entschulden kan.*
Penuriam, infamiam, *sollst leiden Angst und noht*,
Priusquam unum deseras, *gehn williglich zum tod.*

Pars

Pars tua solus Dominus, *nichts bessers kanst begehrn*,
Thesaurus tuus cœlum est, *dahin solt du dich kern:*
Nil potest pretiosius *seyn in der gantzen Welt*
Excellit plene omnia, *gold*, *silber*, *g'stein und geld.*

Non damno providentiam, *die Gott vor Augen hat*,
Et summo semper studio *halt seine zehn Gebodt.*
Quæ cum & necessaria *mit Gott mocht haben nicht*,
Relinquat statim omnia, *eh dasz sie Glauben bricht.*

Sed tempus ante respice, *wie gar sorglich das ist*,
Jam tollitur substantia, *und alls das unser ist.*
Non est tentandus Dominus, *wir mussen haben fleisz*,
Qui rationem contulit, *das wir trachten nach speisz.*

Heu miseranda cœcitas, *wohin steht dir dein sin*,
Votum tuum respicias, *ob du es findst darin.*
Vovere, & non reddere, *ob Gott das mog gefallen.*
Vel adhuc pedem revoca, *du mochtst wohl tieffer fallen.*

Sed admirandum nimium, *dasz Gott das nicht gericht*,
Quando præcepit, edidit, *solch Greul das nun geschicht*,
Si prænotavit omnia, *es ist ein seltzam Sach*,
Quod non dedit lætitiam, *dasz man der G'bot nicht acht'*

Quam incompassibilia *itzt haben sich vereint!*
Contemtor mundi habitus, *der Welt doch lieber Freund.*
Si habitum respicias, *ist nichts als Heiligkeit*,
Sed si induti opera, *siestu dein Hertzeleid.*

Solo tenentur nomine, *Glaub'*, *Armuth*, *geistlich Zucht*
Nil cernitur in opere, *dabey man kennt die Frucht.*
Si minimum subtrahitur *an Speisen oder Kleid*,
Inquietantur maxime, *und murr'n ohn unterscheid.*

Si venerit adversitas, *die macht sie wol bekand.*
Horum impatientia, *nimt bald fast uberhand.*
Tædet me plura dicere, *das ist leyder zu viel.*
Hic veteres aspiciat *der das basz wissen wil.*

O Deus,

O Deus, paſtor optime, *laſz uns nicht ſo vergehn*,
In tam ſævis periculis, *woll'ſt unſer Seel beyſtehn.*
Tuæ lumen clementiæ *ſey unſer Gnadenſchein*,
In hora mortis ſuſcipe, *behut uns vor ew'ger Pein.*

Paſſio ſacratiſſima, *dein Roſenfarbes Blut*
Nos miſeros ſuſcipiat, *halt uns in ſeiner Hut*,
Ne Dæmon, leo rugiens, *uns fuhr in arme Noht*,
Quos tam amare liberas, *behut uns vorm ewgen Tod.*

De cœlo alto reſpice, *du hochſte Gutigkeit*,
Tantas preſſuras animæ, *die laſz dir doch ſeyn leid.*
Paſtores ſanctos præfice *der heylgen Chriſtenheit.*
Qui ſecum greges elevent *zu dir in Ewigkeit.*

Ibi fac tecum vivere, *du ſtarcker hochſter Gott*,
Ubi non poſſunt premere; *ſorg, pein, trübſal und noth.*
Sed gaudium, lætitiam, *die ewiglich mag wahrn*,
O Clemens pater, tribue, *wollſt gnadiglich beſchern*,

Si hoc cui diſpliceat *das ich geſungen hab*,
Intentum ſi reſpiciat, *und merckt wol was ich klag*,
Si ſecus eſſe judicat. *Das geb der groſſe Gott*,
Qui oves cum paſtoribus *erhebt aus aller Noht.*

Eſt aliud ut plurimum, *das dich zu ſolchem neigt*,
Nomen boni regiminis, *daſz man das von dir zeugt:*
Eſt gubernator providus, *ſein haus nimt gluklich zu*,
Theſaurum multum congregat, *halt alle Ding in Ruh.*

Jam commendatur nimium, *der ſolcher Liſt viel kan*,
Extollitur ab omnibus *als gar ein nutzer Mann*,
Prælatus hic eſt optimus, *das ſchreyen groſz und klein*,
Licet ſit vita reprobus, *und ein pur lauter Schein.*

Sic laudat providentiam *ſolch heimlich Gutigkeit*,
Et gloriantur maxime, *um ſolche Liſtigkeit.*
Talem dicunt prudentiam, *ſolt man ſich nicht verſehn.*
Periret cultus Domini, *wir muſten ſelbſt vergehn.*

O vitii

O vitii aſtutia, *wie ſchon deckſt du dein Werck*
Sub zelo cultus latriæ, *damit man dich nicht merck.*
Tamen ſi cultus Domini *dir hertzlich wolgefalt,*
Hunc ſcis majorem omnium, *daſz man ſein Gbot behalt.*

Forte non ſciret Dominus, *wer ſeinen Dienſt behut,*
Niſi fraude, mendaciis, *komſt um das geiſtlich Gut:*
Si colitur ſic Dominus, *wie falſch iſt dañ die ſchrift?*
Quæ hoc morte perpetua *verdamt als lauter Gifft.*

Sic vere non ſic Domino, *du dienſt Mammon allein,*
Cum quo Deo altiſſimo *kanſt nimmer dienſtbar ſeyn,*
Jam ergo præſto Domino, *fallſt in des Teufels band,*
Te cruciat cupiditas *dein Gut nimt uberhand.*

Sanctiſſimum officium *iſt ihn'n ſo gar unwehrt,*
Ut nihil putes vilius *auf dieſer ganſzen Erd*
Nam cuncta paſtoralia, *fuhrn keine Luſt mit ſich,*
Chriſtus cum ſuis ovibus, *iſt ihnen widerlich.*

Ac totus cultus Domini, *und alle Lehr der ſchrifft*
Negotia cœleſtia *ſind ihn'n ein bittres Gifft.*
Sic cunctum mutant ordinem, *den ihn'n GOTT hat geſezt,*
Semper agunt contraria, *der hochſt und auch der lezt.*

Nunc amplius deflet maxime avaritiam,
ſimoniam & cupiditatem.

Et gula & luxuria *ſind ſicher zu beklagen.*
Sed potius hæc ſileam, *man ſolls nicht alles ſagen.*
Cupiditate maxima *ſind ſie gantz uberladen,*
Quâ cuncta regna vacuant, *bringt allen Landen Schaden.*

Jam fides, conſcientia, *o Herr, ſind gantz dahin,*
Omnis ſenſus, induſtria, *ſteht auf zeitlich Gewinn.*
Quantum tibi diſpliceat; *das wiſſen ſie ſelbſt wol,*
Nec eſt qui te aſpiciat, *der keiner wird ie voll.*

Simonia hic defletur. &c.

Nec ulla beneficia, *wie hoch wie viel der ſeyn*,
Hanc complent avaritiam, *es muſz vielmehr herein.*
Sic dona ſpiritalia, *und alle Sacrament*,
Sunt omnia venalia, *ach Gott*, *niemand das wend.*

Nam latas indulgentias *gibt man in alle Welt*,
Et cauſa non diſcutitur, *man fraget nur nach Geld.*
Sit reprobus, impœnitens, *wil er nur Pfennig geben.*
Etſi foret Diabolus, *er muſt ins ewge Leben.*

Quantum quis Deum læſerit, *kan leicht vergeben werden*,
Qui vero vel tetigerit *der Hohen ein auf Erden*,
Mox traditur Diabolo, *kommt nie zu Gnaden an*,
Niſi grandis pecunia *ihn noch verſohnen kan.*

Nunc ſacramenta dirimunt, *die Gott ſelbſt hat gemeldt*,
Votaque ſæpe diſſipant, *gar um ein ſchnodes geld.*
Sic animæ periclitant, *die meinen es ſey ſchlecht*,
Cum totum Deus irritat, *iſt wider Gott und Recht.*

Vendunt & præſidentias, *man ſieht kein G'wiſſen an*
Non mores, non ſcientiam, *ob einer gnugſam kan*,
Sed ſolum favor, munera, *ob einer viel wil geben*,
Si ſit inhabiliſſimus, *er wird bald recht und eben.*

Sit ſimonia Gehaſi, *nichts heilig iſt auf Erden*,
Hæc omnes jam ſanctificat *die nun Prælaten werden*,
Quam ſummo colunt ſtudio, *gar hoch in groſſem Schein*,
Qui hanc vellet arguere, *der muſt ein Ketzer ſeyn.*

Adhuc terribiliſſimum *das gleichwol doch geſchicht*,
Corpus Chriſti & ſangvinem *man ſie verkauffen ſicht*,
O Jeſu clementiſſime, *was werden ſie noch machen!*
Corda pia, dum audiunt, *mochten im Leib'erkrachen.*

Nunc lupi mercenarii *ſind leyder mehr und mehr*
Heu non per Chriſtum, oſtium, *durch Gab ſie kommen her:*
Idcirco gregem devorant, *Haar*, *Wolle*, *Fleiſch und Bein*,
Utque dederunt reparant, *und was noch mehr mag ſeyn.*

Non

Non vultum sui pecoris, *wo ers doch kennen muge*,
Sed fraudulenter cogitat, *wie ers zu faben duge*,
Leones, ursos, præficit, *die ihm' fein konnen binden*,
Ut ossa, pellem, viscera, *gar mog herunter schinden.*

Miserrimæ oviculæ, *wie gar seyd ihr verbaaft*,
Dum pastor & refugium *treibt Macht nnd uberlaft.*
Qui vos â feris omnibus *im Tode retten solt'*
Crudelius dilacerat *Leib*, *Leben*, *Gut und Gold.*

Sed adhuc ultra sæviunt *schweer in die arme seel*,
Quas secum heu præcipitant *in den Abgrund der Hell.*
O vere horrendissimum, *grausamer kan nichts seyn*,
Quam sic crudele idolum, *das bringet lauter Pein.*

Heu fera atrocissima, *dir mag kein Mord gleich werden*,
Nec Dæmonum malitia, *noch einig Weg auf Erden.*
Hic laceras immaniter *die Armen um ihr Gut*
Flammis voras perpetuis *Seel*, *Leib*, *in Hellen glut.*

O oves Christi inclitæ *wie elend seyd ihr worden*,
Spes, salus, totum periit, *seint Wolff sind Hirten worden*,
Nec locus ullus superest, *dasz ihr euch trosten kont*,
Dum videtur fidelissimus *der euch am meisten trent.*

Sub vestimentis ovium *erzeigt er sich gar wohl*
Occulte semper ruminat *wie er dich wurgen soll.*
Sævissima rapacitas, *lasz dich am Gucken gnugen*,
Si cœlum ipsa despicis, *lasz Schaf' sich dahin fugen.*

Redit ad pastores, illorum cœcitatem & duritiam in periculis animarum deplorans.

Pejores heu sunt populis *ihr viel ohn Widerred*,
Qui impudenter peragunt, *das offt ein Ley nicht that*,
O dolor, pudor, dedecus, *der grossen Blindigkeit*,
Lux es & non intelligis *das sehr beklagte Leid.*

 Jam

Jam ſal infatuatum eſt, *dein Weisheit gantz verſchwindt*,
Heu Dux & lumen populi, *wie biſtu doch ſo blind!*
Apertis curris oculis, *frolig in ewge Pein*,
Et cœcus cœcos dirigis, *fuhrſt ſie mit dier hinein.*

Mala creſcunt quotidie, *Sund, Bosheit, ſtets ſich mehrt.*
Divina lex contemnitur, *niemand das widerred't.*
Nemo ſe minimum objicit, *um Seelen Seligkeit*,
Qui animas redimeret *vons Todes Ewigkeit.*

Jam nulla ſacrilegia *die ihr Gewiſſen ſchrecken*,
Nulla prorſus pericula *konnen ihr Hertz erwecken.*
Animarum perditio *iſt leyder nur ein Spott*
Tu gregem ipſe viſita *Herr, allmachtiger Gott.*

Revocat hic ad memoriam ſanctorum patrum curam, & uberrimum ſtatum primitivæ Eccleſiæ.

Ovile ſanctum Domini, *wo ſind dein Hirten hin?*
Qui pro te dabant animas, *Leib, gut und all gewin.*
Te paſcuis uberrimis *ernahreten mit Fleiſz*,
Hoc ſummum fuit ſtudium, *zu gewinnen ewig ſpeis.*

Amabant te tenerrime *mehr als ihr eigen Blut*,
Te corde ferventiſſimo *hielten in groſſer Hut*,
Non erat ulla requies, *wer dir zuwider war.*
Conſtanter mortem tolerant, *daſz du frey vor gefahr.*

Tunc ſignis & virtutibus *warſt aller Gnaden voll*,
Et puro cordis gaudio *gefielſt dem Hochſten wohl.*
Et ſpiritus paracletus *erfullt dir Herrz, ſinn, muht*,
Ut hoſtem non metueres, *hielt dich in ſeiner Hut.*

O ſacra Dei vinea, *wie wol ſtund deine Sach'*,
Pax plena erat cordium, *dem niemand ſchaden mag*,
Non reges, non imperia, *noch keine Macht auf Erd.*
Creſcebas magno numero, *Gnad, Freud ſich taglich mehrt.*

Heu

Heu rupta est maceria, *dein schutz vernichtet ist*,
Dum tam sanctis pastoribus *du gantz beraubet bist.*
Jam cunctis pates hostibus, *dich reissen alle Thier*,
Et sunt tui domestici, *die bosen sind bey dir.*

Hic numeratione præsentium quorumdam & imminentium periculorum hortatur pastoralem dignissimam sublimitatem, ad vivam conversionem ad Deum, cum contemtu universorum.

O pastoralis dignitas *du allerhochster Stand*,
Excutere de pulvere, *merckt deine grosse Schand.*
Tu collî solve vincula, *eh dich der Fall bestrickt*,
Revertere ad Dominum, *ruff, dasz er Hulffe schikt.*

Jam resera præcordia, *geh selber in dein Hertz*,
Quam graviter cecideris *bedenck mit grossem Schmertz.*
Agnosce clementissimum, *ergib dich gantzlich ihm*,
Non obsurdescas amplius *zu seiner Gnadenstimm.*

Si te humiliaveris *im Hertzen Siñ und Muth.*
Piissimus est Dominus, *er zeigt sich dir bald gut.*
Nec unquam recordabitur *der Sund, wenn sie dir leyd*,
Sed tribuet justitiam *hier und in Ewigkeit.*

Paternis crede osculis, *der selbst empfanget dich*,
Vult stola prima candida *dich kleiden wurdiglich.*
Cunctam pellit infamiam *seine Barmhertzigkeit*,
Fulgebit laus posterior *mehr als die erst Klarheit.*

Hic conatur commemoratione contumeliæ & vilipensionis secularis ad Deum per mundi contemtum revocare.

Censeris jam vilissima, *lasz dir zu Hertzen gehn*,
Forte poscuntur crimina, *drum wollstu dich fursehn*,
Tua cognosce vulnera, *dasz Treu an dir erschein*,
Sanabis te & alios, *die an dir geehret seyn.*

Jam cunctis es in canticum, *gantz aller Welt ein Spott*,
Contra te modo murmurat *schier iederman zu Gott.*
Te omnes produnt digito, *woselbst sie dich nur sehn*,
Pro quorum nos sceleribus *hier und dort gar vergehn.*
Post tergum movent capita, *man redt von dir gar doll*,
Ad tuam jam infamiam *ist allen Menschen wohl*,
Intret hæc penetralia, *weil nichts umsonst geschicht*,
Cave ne restent alia, *ob dus schon achtest nicht.*
Hæc tu aufer opprobria, *du hochste Gotts Gewalt*,
Vitam & mores corrige, *verander ihr Gestalt*,
Et mundum stultum desere, *wo sie sich nicht bekehr*,
Cum cœlo tu sis altior, *schmahn selbst ihr grosse Ehr.*
Sunt tantum hæc præludia, *es ist noch als ein Spiel.*
Te pius palpat Dominus, *dich nicht betruben will*,
Compatitur miseriæ, *der grossen Blodigkeit*,
Monet pie ut redeas, *vermeidest grosser Leyd.*
Si pietatem negligas, *sein grosse Gnad und Gut*,
Cervicemque duraveris, *und dein verstockt Gemut*,
Te flagellabit gravius, *du magst nicht widerstehn*,
Per pestem, famem, gladium, *mustu zu trummern gehn.*
Sequuntur verba verbera, *ie harter du wilt seyn*,
Plagæ, livor, & vulnera, *ie grosser wird die Pein*,
Nudus pauper, ac profugus, *magst seyn an allen Enden*,
Tunc forte cuncta sperneres, *mochst dir das Leben wenden.*

Hortatur, ut per emendationem talia pericula conetur evitare.

Nunc tantum malum prævide, *als etwan kunfftig war*,
Futura enim pœna est, *die grosz und uberschwer.*
Et si nec tunc terreberis, *betracht das letzt Gericht*,
Ubi tunc juxta opera *den Menschen recht geschicht.*
Festina, ne neglexeris *die grosse Genaden-Zeit.*
Securis stat ad arborem, *der Fall ist schon bereit.*
Ne a te quærat sanguinem, *vor seine Unterthan'n*,
Non erit tunc quo fugias, *fur seinem grosen Nam'n.*

Sur-

Surge, surge, te obsecro, *du hochste Wurdigkeit*,
Clama in fortitudine *zu Gott mit Hertzeleyd*,
Ne fiat insanabilis *dein schroklich grosser schlag*,
Dic, miserere Domine, *mit wahrer Reu und Klag.*

Oportet primus redeas, *es mag nicht anders seyn*,
Utplaces posthac Dominum, *um alle sund und pein.*
Nam quæ spes esse poterit *der Gnaden ubers Volck*,
Si sis ingratus domino *der das versunen soll?*

Resume pastoralia, *zu Gott kehr gantz dein hertz.*
Relinque cuncta alia, *Konig, Keyser, Gut und Schertz.*
Tecum oves concilia, *die du verfuhret hast*,
Et judicem præoccupa, *schrey zu ihm sehr und fast.*

Dic, nimium offendimus *durch manche schwere Sund*,
Tu pietate maxima *dein Lieb in uns entzund*,
Nec reddas juxta scelera, *zeig uns die genaden bahn*,
Et nos simul cum ovibus *nimm Herr in Gnaden an.*

Nos sumus qui peccavimus, *dich, Herr, nicht recht geehrt*,
Exemplo, negligentia, *darzu das Volck verkehrt.*
Tu tensa laxa viscera *dein'r strengen g'regtigkeit*,
Cunctisque præsta veniam *durch deins Creutz Bitterkeit.*

Hic se vertit ad Deum, orans, ut ipse in pastoribus perficiat ad quod ante hortatus est, & susceptum officium implere faciat.

Corda heus quis aperiat, *der heilgen Priesterschafft*,
Ut intus hoc percipiant, *in sonderbarer Krafft.*
Tu sola, Dei pietas, *die disz alleine kan*,
Prostratis ergo mentibus *ruffen wir darum an.*

O Deus, quos in gregibus *hast Hirten lassen seyn*,
In eos rora desuper *dein Gnaden-reichen Schein.*
Ut toto corde impleant *deinen gottlichen Willen.*
A recidivo prohibe, *dasz sie dein Wort erfullen.*

Sint

Sint ſtrenui in opere *in aller Tugend rein*,
Caleſcant corda omnium *in deiner Lieb allein*,
Fac ſanctitatis ſpeculum *all ihr Gebet und Lehr*,
Pro omnibus opprobriis, *gib ewig Freud und Ehr.*

Nunc ad religiones ſe convertit, Evangelicæ perfectionis miſerrimum lapſum intime deplorans. Primo inſtitutionis ejus originem narrat.

Jam viros Evangelicos, *ich mein die heilgen Orden*,
Quis, rogo, digne defleat, *den Jammer der da worden?*
Quod vita Apoſtolica, *das Gott ſelbſt hat erkohren*,
Nunc facta eſt viliſſima, *verdorben und verlohren.*

Hos ſegregavit Dominus *allein von aller Welt*,
In filios chariſſimos *hat er ſie ſelbſt erwahlt*,
Ut ſoli ſibi ſerviant, *verſchmahen allen Schein*,
Ardenti corde ſitiant *bey Gotts Thron zu ſeyn.*

Nobilitavit Dominus, *mehr als ein Konigreich*,
Ut reprobus viliſſimus *nehmen ſies Himmelreich*,
Et coæquarent angelis, *durch Keuſchheit hie auff Erden*,
Paresque Dei filio *durch Ghorſam mochten werden.*

O quam immenſa gratia, *wie groſz iſt Gottes Gnad*,
Quam vermibus viliſſimis *er ſelbſt verliehen hat*,
Quos ſibi amiciſſimos, *er ſelber hat erſehn.*
Præ creaturis omnibus *ſeind ſie die liebſten Sohn.*

Ab omnibus tumultibus *behutet er das Hertz*,
Ne mundi vanis actibus *entſtehe groſſer Schmertz*,
Sed ſtarent in abſconditis, *bey ihm in hochſter Ruh.*
Guſtent cœli delicias, *ihr reines Hertz darzu.*

Summa eſt ergo ſanctitas *gebuhrend ſolchem Stand*,
Quem omnibus præextulit *die gwaltige Gottes Hand.*
Mens, fama, vita, opera, *ſoll rein und heilig werden.*
Ac ſanctitatis ſpeculum, *gantz aller Welt auff Erden.*

Se

Se ipſum totum abneget *der Welt, Lob, Er und Guth,*
Ut flamma ſacra ferveat *in aller Menſchen Muht.*
Inflammet corda omnium, *die reine Heiligkeit,*
Sic per te laudent Dominum, *hier und in Ewigkeit.*

Sic in cœleſtes animos *muſſen verwandelt werden,*
Quos ad vitam angelicam, *der Herr beruft auf Erden,*
Ut ſint hic ſolo corpore, *zum Himmel ſey das Hertz.*
Et dum mens illic figitur, *all Freud iſt hier ein Schmertz.*

Hic commemorat ſanctum antiquorum Patrum fervorem, qui cuncta reſpuentes, ardenti animo ad æterna feſtinarunt.

Ferventiſſimo ſpiritu *ſie habens hie vollbracht,*
Nihil præter cœleſtia *gar inniglich betracht.*
Mundus cum omni gloria *war ihnen Hellenpein,*
Quia cum ſummo gaudio *begehrten ſtets zu ſeyn.*

Paupertas, continentia *war ihnen lieb undwehrt,*
Sic mititas, humilitas, *als ſie der Herr gelehrt,*
Sancta obedientia *fur Silber und fur Gold.*
Ac omnium penuria *war ihn'n der reichſte Sold.*

Panni vel abjectiſſimi *waren ihr beſtes Kleid,*
Victusque tenuiſſimus *war ihre Hertzens-Freud.*
Omnis mundi adverſitas, *war ihn'n ein kuhler Thau,*
Quia anhelo ſpiritu *ihr Hertze ſtund hinauff.*

Nil erat odibilius *als zeitlich Ehr und Gut,*
Contemptus & inopia *erfreut ihrs Hertzen Muth.*
Probra & contumeliæ *war ihnen groſz Gewin,*
Proximo plane deſpici, *begehrt ihr heilger Sinn.*

His tanta erat puritas *in allen ihren Handel,*
Ut in terrenos angelos *meint man ſie gantz verwandelt,*
Hic erant ſolo corpore *das Hertze hoch bey Gott,*
Erant mundana gaudia *ſo bitter als der Tod.*

Sic flamma sancti spiritus *ihr Hertz und Seel entzundt*,
Quid præter Deum quærere *war Schmertz und grosse Sund*,
Calcabant pure omnia, *die Welt mit aller Zier*,
Latere in absconditis, *sucht fleissig ihr Begier.*

O tu sancta humilitas *du allerheilgste Zucht*,
Quam redolebat dulciter *dein himmlisches Gerucht.*
Nam per te flagrans charitas *sie gantzlich hat umgeben*,
Lucebat innocentia *in allem ihren Leben.*

Quæ castigabant corpora *durch manche schwere Sach*,
Vota & desideria *den strengen Muth zerbrach*,
Ac hominis consortia *flohn sie mit allem Fleisz.*
Et anathema judicant, *mehr han als Kleid und Spies.*

Tunc placuerunt Domino, *auch hielt die Welt sie wehrt*,
Quem tanto plus contemserant, *jemehr sie ihr begehrt*,
Per terras, sylvas, maria, *sucht man sie anzuschauen*,
Mirabantur Dei gratiam, *beyd Mannen und auch Frauen.*

Nec alte sita civitas, *mocht lang verborgen seyn*,
Nec lucerna abscondita, *mocht bergen ihren Schein*,
Cognovit omne seculum *ihr grosse Heiligkeit*,
Quos scire nemo poterat, *rufft aus die Gottligkeit.*

Tandem deflet essentialia religionis, & præcipuorum spiritualium exercitiorum.

Audivimus originem *des Allerheilgsten Stand*,
Et mores sacratissimos, *den Vatern vor bekant*,
Jam mirum est quod lacrymas *das Hertz verhalten mag*,
Quod successorum aspicit *so jammerlichen Schlag.*

Sic vere fuit humilis, *ihr allererst Anfang*,
Sed multo plus est flebilis *ihr so grosser Abgang.*
Jam tegi heu non patitur, *weil mans mit Augen sicht*,
Palparique jam poterit, *wer es sonst glaubet nicht.*

O de-

O deflenda mutatio, *wie hat es sich verkehrt*,
Cum sancti jam sunt pessimi, *und sich das taglich mehrt*,
Sic fatue jam ambulant *recht als die wilden Thier*,
Illorum reformatio *steht jetzt allein bey dir.*

Ordo quisquis confunditur *in dem Christlichem Stand.*
Nam seculares animos *deckt nun das geistlich Gwand*,
Jam cuncti volunt monachi *leider gantz weetlich werden*,
Subvertunt legem Domini *ohn alle Furcht auf erden.*

Jam fundamentum periit, *das Gott selbst hat gelehrt*,
Paupertas atque castitas *sind gantz und gar verheert*,
Humilitas, subjectio, *liegen in grosser Noht*,
Nec potest quis eruere, *als nur der ewig Gott.*

Nunc gemmæ sanctuarii *sind gantz und gar zerstreut*,
Quietis mens impatiens *last keiner Ruhe Zeit*,
Nullum sic vile forum est, *da man sie nicht anfind*;
Est emtor astutissimus, *der viel an ihn'n gewinnt.*

Quem hic ad præcedentia *Gott gnadig hat behut*,
Immensas agas gratias *seiner gottlichen Gut*,
Ut hunc affectum auferat *gantzlichen von ihm wend*,
Indesinenter postulet *treulich bis an sein End.*

Is dignitates fugiat, *darzu die bose Welt*,
Et omnia despiciat, *Freud*, *Gsellen*, *Gut und Geld*
Pericula consideret, *darinn er warlich steckt*,
Soli Deo cor sitiet, *so wird kein Schad erweckt.*

Ut cum sic mors advenerit, *da uns nichts gewissers ist*,
In qua nos mundus deserit, *und alles uns vergiszt*,
Rex lætus nos suscipiat, *der aller Richter ist.*
Maria hoc nobis impetra, *der Sunder trost du bist.*

Tantum.

Num. II.

D. ERASMI Epiſtola ad W. F. CAPITONEM.

De renaſcentibus ſeculo XVI. *literis.*

Quum hæc ipſa Def. ERASMI Roterodami Epiſtola mirificè faciat ad ejus temporis, quo refloreſcere videbantur omnis generis bonarum artium ſtudia, ſtatum ritè deſcribendum, neque ipſa Erasmi Operum Volumina, unicuique harum rerum cupido ſint, vel eſſe poſſint ad manus, opportunum cum maximè arbitrati ſumus, eandem hic, Lectorum, quod equidem bona ipſorum cum venia futurum nobis perſuademus, noſtrorum ſubjicere oculis, cum bonæ frugis multa exinde hauriri queant, animusque de ſpe, quam tum præſagiebant viri docti, meliorum temporum informari poſſit: Eſt verò ea, (prouti inter Epiſtolas Erasmi Tom. I. n. CCVII. fol. 186—189. legitur) ſcripta ex Urbe Antverpienſi d. XXVI. Febr. 1516. atque ita ſe habet:

Erasmus Roterod. Guolfgango Fabricio *Capitoni* S. D.

Non ſum equidem admodum vitæ avidus, eruditiſſime *Guolfgange*, ſive quod animo meo jam propemodum vixi ſatis, videlicet annum ingreſſus primum & quinquageſimum; ſive quod in hac vita, nihil adeo magnificum aut ſuave video, quod magnopere ſit expetendum, ei cui Chriſtiana fides vere fidem fecerit, qui pietatem hic pro ſua virili ſuerint amplexi, hos multo hac feliciorem manere vitam: ſed tamen in præſentia pene libeat aliquantisper rejuveneſcere, non ob aliud, niſi quod videam futurum, ut propediem aureum quoddam Seculum exoriatur.

Adeo

Adeo cernimus ceu divinitus immutatos Principum animos, ad pacis concordiæque ſtudium totis viribus incumbere, idque præcipue auctoribus *Leone* pontifice, non titulo tantum maximo; & *Franciſco* Galliarum Rege, non minus egregiis factis, quam ſolenni cognomine Chriſtianiſſimo. Huic cum & animus, & opes ſic ad bellum gerendum ſuperent, ut nemini principum magis: tamen graviter perpendens, hujusmodi Principum diſſidiis conflictationibusque & Chriſtianorum vires, opesque maximopere labefactari, & e diverſo noſtræ religionis hoſtibus opes & animos addi: tum, quæ major etiam peſtis, quidquid eſt veræ religionis, quidquid bonarum legum, quidquid civilis diſciplinæ, quidquid proborum morum, quidquid honeſtarum artium, militari licentia inter aſſiduos armorum crepitus, aut intermori prorſus, aut certe frigere vehementer: proque his ſemel univerſum malorum & calamitatum agmen inundare in vitam mortalium, nihil non tum facit, tum patitur, ſubmovendi belli pacisque conglutinandæ ſtudio: his quoque ultro ſubmittens ſeſe, quibus haud quaquam par erat, ſi celſitudinis & dignitatis ſuæ rationem habere maluiſſet, quam communibus mundi commodis conſulere: hac quidem in re, ſicut in cæteris omnibus, animum vere ſublimen ac germane regium præſtans. Itaque poſtquam video ſummos orbis principes, regem Galliæ *Franciſcum*, *Carolum*, regem catholicum, Regem Angliæ *Henricum*, Cæſarem *Maximilianum*, funditus reciſis bellorum ſeminariis, pacem ſolidis, &, uti ſpero adamantinis vinculis adſtrinxiſſe, nimirum certam in ſpem vocor, fore, ut non ſolum probi mores, pietasque Chriſtiana, verum etiam purgatiores illæ, ac germanæ literæ, pulcherrimæque diſciplinæ, partim reviviſcant, partim eniteſcant: præſertim cum hoc quoque pari ſtudio jam agant diverſis mundi regionibus, Romæ *Leo* P. M. apud Hiſpanos *Cardinalis Toletanus*; apud Anglos Rex *Henricus*, ejus nominis *octavus*, nec ipſe litterarum imperitus; apud nos Rex *Carolus*, divinæ cujusdam indolis adoleſcens; apud Gallos Rex *Franciſcus* huic negotio veluti natus, qui præmiis etiam ampliſſimis invitat, & allicit undecunque, viros virtute, doctrinaque excellentes; apud Germanos cum alii complures egregii principes

& Episcopi, tum præcipue *Maximilianus* Cæsar, cujus senectus tot jam bellis fessa, in pacis artibus decrevit acquiescere, quod simul & ipsius ætati magis fuerit decorum, & orbi Christiano felicius. Horum igitur pietati debemus, quod passim videmus, ceu signo dato, excitari, erigique præclara ingenia, & ad restituendas optimas literas, inter sese conspirare. Quid enim est aliud, quod tam multi eruditissimi viri, aliunde alius, operas inter sese partiti, non acriter modo, verum satis etiam feliciter pulcherrimum hoc negotium aggrediuntur, ut certa pene spes sit, disciplinas pene omnes multo purgatiores ac sinceriores in lucem prodituras. Primum enim politiores literas pridem ad internecionem pene exstinctas, jamdudum & *Scoti*, *Danique* & *Hyberni* colunt, amplectunturque. Medicinam vero quam multi vindicant? Romæ. Nicolaus *Leonicenus*, Venetiæ *Ambrosius Leo* Nolanus, apud Gallos *Gulielmus Copus*, ac Joannes *Ruellius*; & apud Britannos *Thomas Linacrus*; Jus cæsareum instaurat Lutetiæ *Gulielmus Budæus*, apud Germanos *Udalricus Zasius*; Mathematicen apud Basileam *Henricus Glareanus*. Porro in re Theologica plusculum erat negotii, quod hanc fere professi sunt hactenus, qui a melioribus literis pertinacissime solent abhorrere, quique suam inscitiam hoc felicius tuentur, quod id faciant prætextu pietatis, ut indoctum vulgus, ab his persuasum credat religionem violari, si quis illorum barbariem cœperit incessere. Nam isti apud imperitam plebeculam potissimum solent quiritari, & ad lapides provocare, si periculum viderint, ne quid nescisse videantur. Verum hoc quoque successurum confido, si trium linguarum cognitio publicitus in scholas, ita ut cœpit, recipi pergat. Nam & hujus ordinis qui doctissimi sunt, minimeque maligni, partim adjuvant, partim favent huic instituto: quo quidem in negotio præter alios, non instrenuam operam præstitit *Jacobus Faber* Stapulensis, quem tu ut cognomento, ita plerisque dotibus refers. Nos porro, sicut par est, infimam hujus operis partem sortiti, an aliquid contulerimus, nescio; Certe iis, qui nolint mundum resipiscere, sic stomachum movimus, quasi nostra quoque industriola momenti nonnihil attulisset: quanquam mihi quidem non hac fiducia

ducia

ducia labor ille susceptus est, quod confiderem docere me posse præclarum aliquid, sed libuit aliis majora conaturis viam munire, quo minus offensi salebris ac lamis, speciosa illa ac sublimia, facilius inveherent. Et tamen quidquid est industriæ nostræ docti candidique non adspernantur, nec oblatrant nisi quidam adeo stupidi, ut apud idiotas etiam paullo cordatiores explodantur. Nuper hic quidam apud plebem, in sacra scilicet concione, lachrymabili voce deploravit, actum esse de divinis Literis ac Theologis, qui hactenus fidem Christianam suis humeris fulsissent, posteaquam exstitissent, qui Sacrosanctum Evangelium, atque adeo ipsam precationem Dominicam emendarent: perinde quasi ego *Matthæum* aut *Lucam* reprehendam: ac non eos potius, quorum inscitia incuriave depravatum est, quod illi recte scripserunt. Apud Anglos unus, aut alter vociferatur, indignum facinus *Hieronymum* tantum virum a me doceri: quasi mutarim id quod ab Hieronymo scriptum sit: ac non magis restituam quod ille scripsit. Et tamen magni Theologi sibi videntur, qui nenias hujusmodi obganniunt, quas & fullones exsibilent, paulo saniores. Sed posteaquam nos provinciam tradidimus, ut multo quam ante faciliorem, ita non paulo minus obnoxiam jam invidiæ, age, accingere, Fabriti optime, & hanc lampadem a nobis traditam accipe. Nos pro nostra infelicitate, quod licuit præstitimus, tibi nihil non egregie suppetit, quod ad hoc pulcherrimum facinus requiri videatur. Ætas integra, & vigens etiamnum virensque; corpus vegetum ac laborum patiens; ingenium felix, judicium acre, trium linguarum haud vulgaris cognitio, eloquentiæ tantum, quantum non sustinendo solum, verum etiam illustrando negotio sufficiat; pectus ardens, nec ullius rei appetentius, quam bene merendi de mortalium universo genere; fortuna, si non amplissima, certe sufficiens, atque etiam honesta; auctoritas adest, tuis potissimum virtutibus tibi parta, quippe qui sub ornatissimo præsule Basiliensi Christophoro in æde celeberrima, concionatoris munus obeas: super omnia mores sic integri, fama sic illibata, ut nemo sit tam impudens Sycophanta, quem non pudeat male loqui de *Fabritio*. Nam ut apud Aulum Gellium olim, bonam laudatamque sententiam auctoris im-

pro-

probitas elevabat: ita jure optimo ſtudiorum fructum auctoris exiſtimatio commendat. Adjuvabit & illud, quod præter iſtam penitiorem doctrinam tuam, etiam illa in ſcholis ſolennia, quæ cæteri ſola probant, ſic calles tenesque, ut non alius magis, ne quod ſolent, cavillari queant, te ob id ad diverſum ſtudii genus divertiſſe, quod illa parum fueris aſſecutus. Efficaciſſime refellit, quisquis errorem optime novit. Nemo melius medetur morbo, quam cui malum maxime cognitum eſt. Non quod optem hoc Theologiæ genus, quod hodie receptum eſt in ſcholis obliterari: ſed quod acceſſione veteris veræque litteraturæ, cupiam & locupletius reddi, & caſtigatius. Neque enim hinc vacillabit ſacrarum Literarum, aut Theologorum auctoritas, ſi quædam poſthac emendata legentur, quæ hactenus habebantur depravata, aut rectius intelligentur, in quibus hactenus profeſſorum vulgus hallucinabatur; imo hoc gravior habebitur illorum auctoritas, quo ſincerius divinas litteras intellexerint. Primam coitionem, quam acerrimam vocat Terentius, nos ſuſtinuimus: quanquam huic quoque difficultati, tu ceu *Geryones* quispiam, triplici literatura inſtructus, imo tot præſidiis armatus fultusque, maxime poteras eſſe par. Ad hæc video nec *Theſeos* defore, negotium hoc ſemel aggreſſo. Tum ea eſt animi tui fortitudo, ut invidiam, quæ ſic ex virtute eximia naſci ſolet, quemadmodum ex lumine umbra, facile contemnas: ea rurſum morum tuorum ſuavitas, ut moroſis etiam placere poſſis. Quid multis? Omnia mihi pollicentur, rem feliciſſime ſucceſſuram: unus adhuc ſcrupulus habet animum meum, ne ſub obtentu priſcæ literaturæ renaſcentis caput erigere conetur Paganismus: ut ſunt & inter Chriſtianos, qui titulo pene duntaxat Chriſtum agnoscunt, cæterum intus Gentilitatem ſpirant: aut, ne renaſcentibus Hebræorum literis, Judaismus meditetur per occaſionem reviviſcere: qua peſte nihil adverſius, nihilque infenſius inveniri poteſt doctrinæ Chriſti. Sic enim fert natura rerum humanarum, ut nullius unquam boni tanta fuerit felicitas, quin hujus prætextu, mali quippiam ſimul conaretur irrepere. Optarim frigidas iſtas argutias, aut amputari prorſus, aut certe ſolas non eſſe Theologis, & *Chriſtum* illum Simplicem ac purum penitus in-

inferi mentibus hominum: id quod hac potissimum via fieri posse existimo, si linguarum adminiculis adjuti, in ipsis fontibus philosophemur. Sed utinam sic hoc mali vitemus, ut non incidamus in aliud fortasse gravius. Nuper exierunt in vulgus aliquot libelli merum Judaismum resipientes. Video quantum sudarit *Paulus* ille noster, quo *Christum* a Judaismo vindicaret, & sentio quosdam eodem relabi clanculum. Tum audio nonnullos alia quædam moliri, quæ ad Christi cognitionem nihil adferant, sed fumos tantum offundant oculis hominum. Quo magis optem te hanc provinciam capessere, cujus sincera pietas nihil aliud spectabit, sat scio, quam Christum ipsum, cui uni omnia tua desudant studia. Reverendo Patri *Christophoro* Episcopo Basiliensi fac me diligenter commendes. Cæteris item amicis salutem meis verbis annunciabis: nominatim autem *Ludovico Bero*; *Henrico Glareano*, *Beato Rhenano*, fratribus *Amorbachiis*, *Gulielmo Neseno*, Doctori *Lucæ*, LL. Doctori *Gerardo*, *Joanni Fabro* officiali, cæterisque omnibus, quorum, cum istic essem, suavissima consuetudine magnopere delectabar. Bene vale. Antverpiæ 26. Febr. Anno 1516.

Num. III.

FRID. MYCONII,

Querela de corrupto Ecclesiæ statu.

Est Frid. MYCONII, cujus memorabile Somnium in ipso Opere §. XXXI. p. 54. sq. à nobis relatum est, hæc Querela, ejus *Historiæ Reformationis*, quam ex propria sui ipsius, qui monachus fuerat, experientia, & manifesta omnium notitia, cui contradici non poterat, compositam reliquit inde ab A. 1524. ad A. 1541. inserta, atque ex ipsius Myconii MSS. depromta ab Ill. SECKENDORFIO in Comment. de Lutheranismo Lib. I. Sect. 2. §. II. pag. 4. atque hunc in modum se habet:

Papatus Antichristianus bestia fuit tam abominabilis & turpis, ut à Paulo & Joanne describi vix satis potuerit. Passio & satistisfactio Christi, ut nuda historia, veluti Odyssea Homeri tractabatur, de fide, qua ejus Justitia & sanctitas cum hæreditate vitæ æternæ apprehenditur, altum erat silentium, Christus ut sævus judex describebatur, omnes qui intercessionibus sanctorum & Pontificum gratiis carerent, damnaturus. Subrogarunt itaque Christi loco intercessores & salvatores, Mariam Virginem, ut pagani Dianam, dein alios sanctos, quorum subinde novi plurimi a Pontificibus creabantur. Docebant tamen neque hos pro nobis orare, nisi id de iis, &, quos fundaverant, Ordinibus seu Societatibus mereremur. Ostendebatur quibus operibus id fieri posset. Nihil tamen de veris bonis operibus, in decalogo mandatis & cuilibet hominum ordini incumbentibus, proponebatur, vilia erant illa, nova inveniebantur quotidie, quæ multum pecuniæ sacerdotibus & Monachis afferebant. Qui enim illa copiose præstarent, aut ab aliis redimerent, illos pœnitentiam vere agere & vitam æternam promereri dictitabant; qui id negligens moriebatur, is aut in infernum, aut in purgatorium incidere dicebatur, in hoc tam diu flammis urendus, donec ipse, aut alii ejus nomine satisfecissent. Opera itaque illa magni fiebant, & pluris quam passio & innocentia Christi; jejunia puta, & pronunciatio frefrequentissima orationis dominicæ & salutationis angelicæ, rosaria, pallium Mariæ, precationes Ursulæ, Brigittæ, Psalterii & Canonicarum horarum recitationes, diu noctuque indesinenter canendum, boandum, clamandum, mussitandum erat, non attento dicto Christi: *cum oraveritis nolite multum loqui ut Ethnici faciunt*, Aderant sacerdotes & Monachi, variis vestibus, ceremoniis, ritibus, vivendique & jejuniorum ratione distincti, qui ista servantes salvari dicebantur; eorum merita etiam redimi & aliis applicari, ut ajebant, poterant. Sic plus quam dimidia opum pars ad ordines monachorum delata est; confirmabat omnes Pontifex & protegebat, prohibitus erat carnium, butyri, casei usus, transgredientes rei peccatorum fiebant, quæ tamen pecunia lui poterant. Inde etiam multitudo festorum, peregrinationes, Romana & Hierosolymitana item ad S. Jacobum, ad S. Catha-

Catharinam in monte Sinai, ad S. Michaëlem, ad Aquisgranum, Fuldam, S. Wolfgangum: quot fere montes, valles, sylvæ, imo & arbores, tot erant loca ad quæ peregrinandum erat, sed & hæc molestia ære redimi potuit. Apportabantur in monasteria & ad sacerdotes nummi & pretiosa, gallinæ, anseres, anates, ova, linum, cannabis, butyrum, casei. Dum strepebant, sonabant, fervebant omnia cantu, pulsu campanarum, suffitu, oblationibus: popinæ instruebantur, largæque compotationes: succedebant Missæ, quibus omnia confirmabantur. Nec a libidine & a stupris abstinebatur: confluebant meretrices, & scortatores. *Schwester Hurlein und bruder Bublein blieben nicht aussen.* Peccatilla id erant, indulgentia Pontificia facile expianda. Nova etiam habebant Sacramenta, confirmationem, unctionem seu chrisma. Episcopi non concionabantur, sed consecrabant sacerdotes & monachos, campanas, templa, ædiculas, sacella, imagines, liba & placentas, cœmeteria, omnia ista clero magnos afferebant reditus. Reliquiæ in magno pretio erant, ossa, brachia, pedes, aureis argenteisque capsulis inclusa, missæ tempore osculanda porrigebantur, neque id gratis: Sanctorum vero illorum, quorum, ossa, membra, capilli contrectabantur, precibus apud Deum juvari se credebant. Fraternitatum infinitus pene numerus erat, hominum in factiones coeuntium, & Leges conscribentium; hi suos habebant sacerdotes, altaria, ædes, cereos, suffitoria, ferias, quibus congregabantur ad missas & oblationes sacerdotibus faciendas, accedebant redituum fundationes, istis quoque salus procurabatur. In monasteria recipiebantur liberi invitis parentibus, aliquando & conjuges, desertis thori sociis. Vota monastica erant, obedientia, paupertas, castitas. Hæc toti passioni Christi præferebantur, & publice prædicabatur, baptismo illa præstare. Missa & communio a pastoribus ordinariis raro fiebat. Quotidie in urbibus, pagis, arcibus, templis, sacellis plurimæ missæ celebrabantur, constitutis harum causa sacerdotibus, & fundatis ad eos alendos, domibus, agris, & reditibus. Pleræque missæ pro mortuis, etiam iis qui ante aliquot secula decesserant, fiebant, aderant vivi & ad altaria nummos deferebant, sacerdotum commodo cedentes. Tanta vero

 cle-

clericorum copia fuit, ut saltem in hoc oppido Gothano (id domos ad summum tunc habuit 700.) alerentur XIV. Canonici XL. Sacerdotes XXX. Monachi Augustiani, duo Terminari XXX. Moniales. Hi sancti habebantur, qui cœlum nobis promererentur: vita autem eorum turpissima & fœdissima, qua pejor in orbe reperiri non potest. A matrimonio enim prohibiti, nec tamen continentia præditi, urbem stupris, adulteriis & peccatis sodomiticis replebant, neque tamen coerceri aut puniri poterant, jurisdictioni Ecclesiasticæ solum subjecti. Illis Pontifex Dei loco & infallibilis habebatur, cui nemo contradicere deberet, neque id ferebant. Papæ Cæsarem, Reges, Principes, totasque Provincias excommunicabant, & contra se invicem instigabant &c.

Num. IV.

FRID. MYCONII,

Antistitis Gothani Epistola ad *Paulum Eberum* de Primordiis Emendatæ Religionis.

Quum præter illam generaliorem *de corrupto Ecclesiæ statu* querelam, hæc ipsa quoque ejusdem MYCONII ad manus nostras pervenerit Epistola ad *Paulum Eberum* d. 21. Februarii A. 1546. data, de *primordiis emendatæ religionis*, quam ob argumenti præstantiam, ex annalibus P. *Jenisii* Annæbergicis, repetiit, atque tractatui *de vita Tezelii* à se edito subjunxit Godefridus HECHTIUS, tum eandem itidem huic de Evangelio Renovato Operi subjungere visum fuit, ne præstantissimo hoc monumento careremus, atque ut ex ipsius Myconii relatione informaremur, de eo, quod ex *Melch. Adami* relatione in ipso Opere pag. 54. seq. enarravimus, Myconii somnio prorsus memo-

morabili: De reliquo, neminem ex nostris offendere debent, ea quæ author sub finem epistolæ refert, de præservatione sui ipsius ab erroribus & communione Carolstadianorum, Zwinglianorum, Oecolampadiorum, Sacramentariorum &c. quos in numerum eundem cum turbonibus & Anabaptistis seditiosis refert, quandoquidem ejusmodi præjudicia multis modis regnent, & in eorum & in recentiorum temporum scriptis, cum recentiora tamen tanto magis justam hic mereantur censuram, quantò & indicatum est magis & demonstratum, in ipsa fidei summa, inter eos qui Lutherum & Zwinglium vel Oecolampadium sequuntur, dissensum esse nullum. Carolostadium autem ne quidem ullos suæ sententiæ privos asseclas reliquisse, certum est, atque nos Anabaptistarum seditiosa molimina, & abominari, & gravissimis scriptis, eorum jam, cum errores tum versutiam denudasse ac refutasse constat; ut hujusmodi nomina nostris temporibus recitata, atque ad ravim usque inculcata, solummodo pervicax prodant ingenium, atque malignitatem animi ab omni pace & concordia vere Christiana alieni. Sed hæc ita se habent.

En ipsam Tibi B. L. Epistolam.

* * *

Insignis ille deprædicator indulgentiarum Romani Pontificis, JOHANNES DEZEL, ordinis Dominicanorum, per totum biennium, in nova illa civitate Annæberga dementabat populum, ita, ut persuasum esset tandem omnibus, nullam esse aliam viam consequendi remissionem peccatorum & vitam æternam, quam satisfactionem per nostra opera, quam tamen docebat impossibilem esse, sed hanc solam restare viam, si eam redimeremus nummis a Romano Pontifice, & sic emeremus nobis indulgentias papales, quas definiebat esse remissionem peccatorum & certum ingressum vitæ æternæ. Stupenda & pene incredibilia possem enarrare, quæ hoc biennio (nam quotidie concionabatur) audierim. Quem ego adeo attente audiebam, ut possem deinde aliis integras conciones, imitando etiam gestus & pronunciationem, denarrare, non quidem ludendo, sed serio. Credebam enim, hæc prorsus esse oracula Dei, &, quicquid a Papa mit-

teretur, ab ipso Christo ad nos pervenire. Tandem eodem anno, circa Pentecostem, minatur, se depositurum crucem, clausurum apertas cœli januas, neque futurum, ut vita æterna & remissio peccatorum posthac tam vili precio haberi possent: Neque spem esse, quod tanta liberalitas Romanæ sedis in Germaniam unquam, dum staret mundus, esset reditura, hortabatur, ut haberet quisque suæ & suorum mortuorum animæ salutis rationem, Nunc esse diem salutis, nunc tempus acceptabile. (*Ach versuime ja niemand seiner Seelen Seeligkeit!*) Nisi enim habueris literas Papæ, a multis peccatis & casibus reservatis non poteris a quopiam absolvi. Affigebantur publice valvis & parietibus templorum literæ impressæ, in quibus mandabatur, ut in significationem gratiarum actionis alicujus pro devotione populi Germanici literæ indulgentiales, & plenaria illa potestas, non tanto auro, quanto in principio, sed minore precio venderentur. Et in fine erat adjunctum inferiori spacio *pauperibus dentur gratis propter Deum.* Hinc oritur mihi actio cum commissariis illis indulgentiarum, sed certe agente, excitante & urgente me Spiritu sancto, quod tamen nec ipse tum intelligebam, quid agerem. Docuerat me Pater meus adhuc puerum & infantem *Decalogi verba*, *Orationem Dominicam*, & *Symbolum*, & cogebat me frequenter orare. *A solo enim Deo nobis esse omnia, & illum nos gubernaturum, si diligenter orarem, persuadebat. Item sanguinem Christi esse precium pro peccatis mundi, & cuilibet Christiano esse necessariam hanc fidem: Quod si tres tantum homines sperent, se per Christum salvari, tamen certissime statuendum, se esse unum ex illis tribus, & contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare.* Indulgentias Papales esse retia, quibus caperetur pecunia simplicium, certe remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia, sed offendi sacerdotes, si illa dicerentur. Verum, quia ego in concionibus nihil, nisi laudes indulgentiarum, gratiæ autem Christi & satisfactionis ejus pro peccatis mundi nullam mentionem fieri, audiebam, eos fieri tantum mortis Christi participes, existimabam, qui vel bonis operibus meruissent, vel emissent pecunia. Manebam in tenebris, utrum magis sacerdotibus, aut patri crederem, dubius, plus

plus tamen credebam sacerdotibus. Sed hoc unum admittebam, remissionem peccatorum impetrari non posse, aut numerandam pecuniam, maxime, qui essent pauperes. Mire ergo placebat clausula in fine literarum Papæ, *pauperibus dentur gratis propter Deum*. Cumque post triduum deponenda esset solenniter crux & dejiciendi gradus illi & scalæ ad cœlum, vehementer me urgebat Spiritus, ut adirem commissarium, & peterem literas illas de remissione peccatorum gratuita, pro pauperibus, & allegarem, me peccatorem esse, & pauperem indigere gratuita remissione & participatione meritorum Christi: Altera die circa vesperum, in domo Joannis Pflogs, ubi cum confessoribus & turba erat Detzelius, adii turbam illam, & oratione latina precabar, ut, juxta mandatum in literis, daretur mihi pauperi jus petendi absolutionem a peccatis omnibus *gratis propter Deum*, etiam nullo casu reservato, & hujus concessionis testimoniales literas Papæ. Ibi admirati sacerdotes orationem latinam, quod tunc rarum erat apud pueros, subito ingrediuntur ex hypocausto cubile ad commissarium Detzelium, proponuut ei, quid velim, etiam pro me intercedunt, ut daret literas *gratis*. Tandem post longam consultationem redeunt, respondentes: Mi fili, tuam petititionem diligenter proposuimus Domino commissario, qui fatetur, se libentissime velle dare locum petitioni tuæ, sed se non posse, etiamsi vellet, tamen illa concessio esset cassa & nulla. Quia significavit nobis, quod hæ literæ Papales signanter haberent expressum, eos vere capaces & participes futuros istarum largissimarum indulgentiarum, qui manum porrigerent adiutricem, id est, qui nummos darent. Sed ego contra prostantibus literis ad valvas templi eos docui, eundem sanctissimum Papam mandasse, *ut pauperibus gratis condonarentur propter Deum*, & esse adscriptum *ad mandatum Domini Papæ proprium*. Iterum ingrediuntur ad superbissimum monachum, & eum orant, ut meæ petitioni annueret, qui essem adolescens ingeniosus & facundus, atque adeo dignus, in quem aliquid beneficii præ cæteris collocaret. Sed redeunt cum responso de manu adiutrice, quæ sola esser capax indulgentiarum. Ibi vero ego etiam insto, quod injurii essent in me pauperem, quem & Deus, & Pontifex nollent exclusum a gra-

gratia, ipsi me propter pauculos numulos rejicerent, quos non habebam. Ibi tandem fit conventio, ut vel aliquid darem, vel, ne abesset manus adjutrix, unum grossum darem. Respondeo, non habeo, pauper sum. Postremo, ut tantum sex nummos darem, Respondeo iterum, ne nummum quidem habeo. Secedebant illi, & colloquebantur, ac de duabus rebus maxime eos sollicitos esse, audiebam, Primo me nullo modo dimittendum sine literis, ne si forte res esset ab aliis subornata, aliquid in me Tragædiæ excitaretur, cum literæ vere hanc clausulam continerent *Pauperibus gratis:* deinde aliquid certe a me accipiendum, ne alii audientes, literas has indulgentiales gratis dari, tota turba Scholæ & mendicorum obrueret eos, volentes singuli habere gratuitas indulgentias. Finito consilio, acceditur rursus ad me, & offert mihi quidam sex nummos, ut illos darem commissario, & sic essem constructor ædis Petri Romanæ, & oppressor Turcarum, particeps gratiæ Christi, & indulgentiarum. Sed ibi, motu quodam Spiritus, ingenue dixi, me, si vellem emptas indulgentias, vel divendito aliquo libro meo, argento emere posse. Sed vellem *gratis & propter Deum*, aut ipsi redderent rationem Deo de neglecta animæ salute propter sex nummos, quem tamen Deus & Papa vellent participem fieri remissionis peccatorum, quam nobis Christus meruit, & impertivit, sed tamen credebam illam totam commissam esse Romano Pontifici distribuendam pro meritis singulorum, sed *pauperibus gratis.* Quærunt tandem, a quonam essem huc submissus? Ego hoc respondi, quod verissimum erat, a nullo prorsus homine, vel monitore, vel impulsore, imo neque consultore, sed me unum, sine consilio ullius hominis, *sola fiducia gratuitæ remissionis*, in literis promissæ, fretum, istam petitionem instituisse. Neque mihi unquam cum tantis viris talem fuisse congressum, essem enim natura verecundus, &, nisi sitis gratiæ Dei & remissionis peccatorum coegissent, non fueram aliquid magni accepturus, ut ad talem cœtum me jungerem. Iterum promittuntur literæ emptæ sex nummis meo loco & mihi gratis donatæ. Sed volui ab eo, qui haberet loco Papæ autoritatem donandi gratis peccati, aut *gratuitam peccatorum meorum remissionem*, aut rem committere Deo. Sic di-

dimittor & triftabantur facri fures: Sed & ego partim dolebam, nullas mihi obtigiffe literas, partim gaudebam, quod adhuc aliquis effet in cœlo Deus, qui vellet peccata etiam pro nullo precio, aut pecunia remittere pœnitentibus, juxta illud, quod fæpe cantaveram, *vivo ego*, *dicit Dominus*, *nolo mortem peccatoris &c.* Domine Deus, tu nofti, quod hic nihil mentior. Totus enim adhuc eram in denfiffimis tenebris, Et tamen tum digredior ab illis. Ita commovit Spiritus totum cor & corpus meum, Spiritus ille tuus, illuftrator & vivificator, confolator & renovator. Et totus in lachrimas in redeundo ad hofpitium volutor, & orabam, ut, quia illi mihi negarent gratiam, propter defectum pecuniæ, tu, mei mifertus, gratia tua remitteres mihi peccata, effes mihi propitius Deus, & tu me abfolveres. Redeo fic ad hofpitium, & ingredior cubile, & imaginem Chrifti crucifixi, quam femper in menfa mufei mei habebam, accepi, & pofui fuper fcamnum & coram illa me proftravi in terram. Scribere hic non poffum, fed fentire tunc potui Spiritum gratiæ & precum, quem tu, Domine, Deus meus, in me effundebas. Erat autem fumma, quod orabam, tu mihi Pater effes, tu mihi remitteres peccata, Ego me totum tibi dederam, ut de me faceres, quicquid velles, cumque illi mihi fine pecunia nolebant effe gratiofi, tu mihi gratiofus Deus & Pater effes: Sentiebam totam naturam meam immutari, & tædebat me jam omnium rerum, mundi, etiam hujus vitæ fatur effe videbar, una cupiebam cum Deo vivere, ita ut placerem illi. Sed quis hic me doceret, quomodo? aut per quem certo confequerer remiffionem peccatorum, gratiam & vitam æternam? Verbum, vita & lux hominum erant per totum orbem fepulta in denfiffimis tenebris humanarum & ftultiffimarum traditionum. De Chrifto aut altiffimum filentium, aut proponebatur duriffimus judex quem vix mater, & omnes fancti, in cœlis fanguineis lachrimis placare poffent, ita tamen, ut pœnitentem pro quolibet peccato mortali ad feptennales pœnas purgatorii, nihil differentes ab inferno, nifi quod non effent æternæ, protruderet. Tamen fpem mihi fuggerebat Spiritus, futurum, ut Deus mihi vellet propitius effe. Ergo aliquot dies deliberavi de ratione mutandi ftatus vitæ. Videbam peccata mundi, & totius

E gene-

generis humani, quæ nemini non erant ob oculos posita, videbam & peccata mea multa, & magna nimis valde. Audieram autem de occulta & magna sanctitate, & innocentissima vita monachorum, quomodo Deo dies noctesque servirent, abstracti ab omni corruptione seculi, & sobrie, juste & caste viverent, missantes, psallentes, jejunantes & orantes. Videram etiam speciem illius vitæ, quam non intelligebam, summam hypocrisin & idololatriam esse. Quid hic dicam, Domine Deus meus? biduo aut triduo jam te mihi propitium factum orabam, ut hoc consilium gubernares, significo deinde præceptori meo, *Andreæ Staffelstein*, supremo gubernatori scholæ Annæbergensis, & in tanta re ejus cosilium imploro. Ille statim consulit & suadet, ut ingrederer monasterium Franciscanorum, a novo tum isthic ædificari cœptum, &, ne permulta mora consilium meum immutaret, statim mecum ingreditur ad monachos, laudat ingenium, laudat pietatem, me semper unum habuisse, in quo spem haberet vere pii hominis. Ego rem etiam ad parentes, quibus adhuc superstitibus, eram unicus filius, & hæres, referri, cupiebam, Sed illi docent ex sententia Hyronymi, *prostratum patrem, & jacentem matrem, conculcatos pedibus, contemnere & fugere ad crucem Christi, Item, nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens, aptus est ad regnum Dei, dieses muss alles zwingen, dringen, und gebieten, das man Mönch würde*, Taceo hic infinitos laqueos; quibus conscientiam meam constringebant, neque futurum, ut in æternum salvarer, si, oblata gratia divinitus, non statim uterer. Sed ego, qui etiam mori potius voluissem, quam, aut excidere gratia Dei, aut carere salute æterna, statim fidem dedi, me intra triduum rediturum, & incepturum, ut vocant, probationis tempus, hoc est, vellem fieri monachus, devotus, probus, per omnia religiosus.

Ingressus in monasterium Anno Domini 1510, proxima die ante festum divisionis Apostolorum, quæ fuit 14 Julii, hora secunda, post meridiem, comitatus præceptore meo, & aliquot condiscipulis paucis, & aliquot devotissimis matronis, quibus ad portam dixi causas, cur ingrederer monasterium, videlicet, ut servirem Deo, & illi in æternum placerem, pro meis & aliorum re-

remissione peccatorum orarem, & quantum possem abstinerem a peccatis omnibus, ac viverem in pœnitentia: Deinde dixi illis vale: Qui omnes cum lachrimis mihi benedictionem Domini precabantur, sicque ingredior monasterium. Tu, Domine, nosti, quod hæc vera sunt, neque otium quærebam, neque ventri servire, neque florere specie aliqua sanctitatis, sed tibi placere, tibi servire; sic palpitabam in tenebris densissimis.

Somnium. Primo monachi me ducebant ad refectorium, donec vespere pulsibus daretur signum. Deinde deducebar ad chorum, & ad psalmodiam, postea ad cellam quandam novam, in qua stratum novum erat de straminibus & pulvillis ex abrasuris pannorum laneorum. Post cœnam iterum eo reducor, & ut in vestibus dormirem, præcipiebant. Ego vero, qui me servituti tuæ Domine Deus, dedicaveram, etiam volebam in nuda humo & super lapide dormire: Sed illi prohibebant, dicentes, mihi diu serviendum esse Domino. Post completorium ubi singuli se ad sua stramina composuissent, ego per horam prostratus in genua, commendabam anxia oratione hoc meum novum institutum tibi Domino Deo meo, te hujus rei inceptorem futurum, te orabam esse gubernatorem, te mihi constituebam prælatum & summum præpositum, Tu me dirigeres, ne quid designarem contra gloriam nominis tui, & animæ meæ salutem. Tandem me simul cum indusio laneo & tunica seculari componebam in lectulum, dormiturus, & oro orationem dominicam, atque sic obdormisco. Agebam, ut supra dixi, annum ætatis 20, neque videram regulam aut instituta monachorum, neque audieram, quæ esset illa nova vivendi ratio, sed expectabam, ut post me illa monachi docerent, quod & egregie fecerunt, sepelientes me in tenebris densissimis. Ubi obdormio, aut dormiens vere vigilo, video me pervenisse in heremum vastissimam, ubi nihil erat, nisi perpetua vastitas & contigui scopuli petræ acutissimæ, & tales, quales pingi aut sculpi solent sub imagine Christi crucifixi, aut quales sunt circa arcem Stolpen in Misnia. Ita videbatur mihi totus mundus nihil aliud esse, quam petrosum desertum. In hoc misere errans deveneram sine ullo comite aut ductore. Nulla hic erat virens arbor, nullum virgultum, nulla herba aut gramen,

 sed

ſed erat ipſiſſima vaſtitas, & exitioſa ſolitudo. Ibi quærebam exitum, ut rurſus redirem ad locum cultum, ubi vel homines, vel beſtiæ morarentur. Nam ibi nihil tutius erat, ſed vaſtitas immenſa, ubi aliquandiu per ſcopulos repto, nunc aſcendens, nunc deſcendens, nunc huc nunc illuc: Tandem feſſus deſperare incipio, me nunquam evadere poſſe ex vaſtitate prorſus in omnem orbem & in infinitum extenſam. Videbam a longe ſcopulum, cæteris eminentiorem, & ſuggerebat mihi Spiritus, ut illuc reptarem, & aſcenderem, ac circumſpectarem, an alicubi viderem vel fumum, vel vaporem, vel ſigna aliqua campi, vel ſtagnorum. Etiam hæc cum maxima difficultate tento, conſcendens circumſpicio, ſed in tota creatura & rerum natura nihil erat, quam talium ſcopulorum perpetua quædam & indeterminabilis vaſtitas. Ibi tum deſpondi animum, deſperavi, certiſſime videns, mihi ſic periclitandum & moriendum eſſe. Deſcendo iterum cum incredibili triſtitia, gemitu ac dolore, O Deus! Deus meus! quis iſta dicere poteſt? dum cogito; me ut in æternum viverem, creatum eſſe, & tamen ſic miſere mihi pereundum, acceſſit ad laſſitudinem etiam fames ac ſitis (ut ſentiebam) corporalis. Nam aliquot diebus ac noctibus videbar mihi fuiſſe in hac errandi & reptandi in ſcopulis anguſtia. Ubi deſcendi, deliberabam brevibus, quid mihi eſſet faciendum. Breviter res ipſa cogebat concludere conſilium, commendandam eſſe animam meam Chriſto, & in manibus Dei Patris, & moriendum: neque enim ambulare, nec ſtare ultra, præ laſſitudine poteram. Circumſpicio ergo, & video ſub petra angulum, quo me compono, & ſedeo, & caput, & utraque latera illuc reclino, jam manus extendebam, & oculos ad cælum levabam, anxie commendans ſpiritum meum in manus Dei Patris. Et, dum ita ſedeo, expectans voluntatem Domini, ecce, audio quaſi veſtigia procul ambulantis & accedentis hominis, dumque arrectis auribus intentus ſum, an quiſquam veniat, accedit ad me vir quidam mediocri ſtatura, fronte ſerena, ſed calva, capillus & barba, quam habebat prolixam, ad caſtaneæ nucis colorem inclinabat, erant aſperſi cani capilli, veſtitus erat interius brevior, viridis tunica, foris amictus rubra chlamyde, cum nodo in ſcapula ſiniſtra. Ego ſtatim vidi, di-

vum

vum Paulum esse: sicut illum pingi videram inter Apostolos. Is me interrogat, dicens: Tu quid agis? Cui ego, deductus sum in eremum, neque scio, a quo, aut quomodo, unum scio, adeo confectus sum reptando, & me eripiendo, sed dum labore, fame, siti, ac dolore conficior, despero de evasione, quia video, hanc heremum in infinitum porrectam: Ideo me hic ad moriendum compono, Deumque oro: ut mihi propitius peccatori, animam meam suscipiat. Hæc vix dicere potens dixi. Ille vero subito ad me accedit, manu dextera sinistram meam arripit, & in pedes statuit, dicens, surge, & me comitare, ac sequere, res tuæ meliores erunt. Ah Domine Deus meus, quam exhilarabar! Sed tremebat moribundum corpus, & incedere non potui. Ille vero me complectitur dextra, ita portans, ut vix pedetentim inter angustias viarum ingredi possem: Interdum, ubi angustiæ constrictiores erant, me totum portat. Ambulamus parvum spatium, & fit via nonnihil tritior & lætior, sed tamen adhuc nulla videbam humani pedis vestigia, adeo in in interiora deserti aberraveram in locum desertum & inaquosum. Procedimus adhuc paululum, & ecce aperit se vallis amœnissima, & apparet pratum jucundissimum, ubi nescio, an aliquid possit cogitari pulchrius, amœnius, & jucundius. Hærebant in gramine ex rore guttulæ, resplendentes ex sole, vario colore, quasi stellæ, Florum & colorum erat tanta varietas, tanta fragrantia, ut nec tota dies narando sufficeret divinum ornatum & cœlestem fragantiam. Recreabar supra modum, & hic nonnihil requiescere cupiebam, sed divinus meus ductor urgebat me progredi. Devenimus in mediam vallem, videbatur mihi autem esse circa decimam vel undecimam horam diei. Ibi demum audio susurrum defluentis rivuli, & subito video aquam vivam salientem, non cum horrendo fragore, sed suavi susurro. Aspicio, erat autem aqua lucidissima & cristallina, fundus aspiciebatur, undique lapilli & arena aurei coloris erant, nihil immundi crescebat in ripis, sed aut flores, aut floridissima herba. Ibi procubui in genua, videbam enim, ideo mihi hunc cœlestem ductorem missum, ut ad has aquas vitæ me perduceret, parabam me ad hauriendum aquam manu, ut sitientem & moribundam recrearem animam, sed non permittit

 duc-

ductor: Imo de fontis scaturigine ipse bibito: veni, inquit, simul me erigens. Ego autem ex aspectu, susurro, & aura refrigerante, magis accendebar bibere, & metuebam ne longe abesset fons, & ego magis excruciarer. Tum hoc me consolabatur, quia tam fidelem ductorem nactus essem, si videret me deficere, facile permissurum, ut biberem, confidebam. Procedimus paululum, & ecce apparet nobis marmor albissimum, rotundum, altitudine forte sesquiulnarum, dumque accedimus, video solidum lapidem: ubi prorsus nullæ erant juncturæ in rotundum excavatum. Interius erat foramen rotundum, unde fluvius ille quasi vi quadam erumpebat. Hic me ductor jubebat ex fonte bibere. Ego primo procubui in genua, Deo gratias agens, postea erigo me, manibus hausturus ex fonte potum. Sed dum aspicio, video imaginem Christi in ipso fonte, vice cancelli. Videbatur autem mihi esse vivus Christus, & lignum, cui erat affixus, erat in quadrum affixum marmori, &, ut esset veluti fortissima crates. Non supervacabat, sed aqua eminebat supra crucem, ad altitudinem duarum, aut forte sesquiulnarum. Dumque manibus jam haurire volo, video omnem illam abyssum aquarum (inferius enim nullus erat finis profunditatis) scaturire ex vulneribus crucifixi, manibus, pedibus, & latere, primo tanta rubigine, ut gemmæ rubini obscuri sint ad illum lucidissimum ruborem, & subito omnia in tantam claritatem mutabuntur, ut crystallina fierent. Ego vero, dum hæc video, ita reverentia quadam præsentissimæ divinitatis in hoc fonte tangor & afficior, quod, indignum me judicabam vel guttulam attingere aquæ ex corde filii Dei scaturientis, & cunctabar haurire, sicut Petrus dicebat, *Exii a me, Domine, homo peccator sum*, Et iterum procubui ingenua, ibi ductor meus dextera apprehendit pedem meum dexterum, cui sinister erat suppositus, & me in ipsum fontem præcipitat: Dn. Deus meus, quid hic fiebat in me? Nam, capite contingebam pectus Christi, & scaturiginem illius magni vulneris lateris, genibus & manibus contigi corpus crucifixi, cui nitebar, ne submergerer, & prorsus fuissem submersus, nisi in hoc subvectus & affixus me sustentasses, ingrediebatur simul os meum, cor & corpus meum, potus dulcissimus,

mus, vivificans omnia, interiora & exteriora mea. Sed, dum, potu refrigeratus, caput erigo, pudebat, me, quod tantus peccator deberet inniti tali sustentaculo, restitui potu, quo neque Angeli, neque ulla creatura, digni sunt. Accipit me ductor meus, & extrahit me de hoc fonte salutis, & quærit, an biberim? anne recreatus sim? Ego vero gratias egi Deo Patri Dn. nostri Jesu Christi, pro hac sua erga me extremum peccatorem clementia, fatebar, me indignum tanta bonitate, sed tamen non audebam, præ reverentia, objurgare illum, quod me ita præcipitasset in fontem super Christum crucifixum. Sic, inquit, scis, te non ex rivulo, sed ex fonte, & fontis auctore, potasse. Paululum quiescimus illic ad fontem, jubet; præcingam me, & se comitarer, facio, præcingor, & jam ambulare potui, nimium restitutus potu aquæ vitæ. Progredimur juxta fluvium in prato illo amœnissimo. Erat autem, ut mihi videtur, circa horam primam postmeridianam. Vix unam horam iter fecimus. Et ecce apparet nobis campus maximus, longissimus, latissimus, quasi rursus totus mundus esset campus, plenus frugum, tritici & siliginis. Ibi, inquit, tibi nunc laborandum est, & metendum. Ego vero respondi, me quidem nihil abhorrere ab ullo labore, imo odisse otium, sed me neque unquam tractasse falcem, neque unum culmum, aut manipulum, posse demetere. Respondit ille, doceberis, quod nescis, disces. Dumque ad initium agrorum pervenimus, stabat quidam messor, ita instructus falce, & confortatis brachiis, qui ita instabat tanta instantia, quasi solus vellet hunc infinitum campum demetere. Et certe una die magnum spacium frugum deposuerat falce. Huic inquit ductor, adjunge te, ab illo disces, & adjuvaberis. Et, dum illum video virum gravem, justa ætate, erat ductori meo similis, ita, ut dubitarem, an idem esset, an duo. Quid multa? accipit falcem, & duos, aut tres manipulos metit, simul ostendens, sic mihi esse faciendum. Accedit etiam is, qui metebat, &, me sibi socium contigisse, gaudebat, commonstrat, quomodo ipse sinistra aristas conjungeret, deinde falce dextra proscinderet. Accipio falcem in nomine Domini Jesu Christi, lente opus primo procedebat, sed paulatim ex usu disco artem. Astat ductor,

tor,

tor, probat, quod ita promoverem. Tandem ubi videt me nimis occupatum, ut non tantum ariſtas, triticum, & culmos, ſed etiam inferiorem partem ſtraminum demeterem, ait ad me, Non eſt Domino meo opus ſtraminibus, modo, triticum, ariſtæ, & culmi perveniant in horrea, remorantur te, ut video, ſtipulæ & ſtramina: Et accipit falcem rurſus, & docet, quomodo per medium ſtraminum tantum culmos proſcinderem. Rurſus falcem reſtituit, & jubet, ne ariſtas utiles relinqueremus. Valde ſtudioſe me adjuvat ille venerandus præpoſitus, & juſtiſſ. Dominus, cui eram adjutor, & collega adjunctus. Et, ubicunque videt, me a tergo relinqui, etiam in meas partes occurrit, & me adjuvat. Aſtabat horas aliquas ductor meus, attente aſpiciens, ſi recte faceremus opus. Cumque metendo ad tumulum quendam, non ita altum, pervenirem, erigo me, & circumluſtro campum oculis, & dico ductori, Bone Deus! quando & quanto tempore demetemus hanc infinitam meſſem? Et ecce! video venientes a longe, nunc unum, nunc duos, qui & ipſi in aliis partibus campi metere incipiebant: Sed pauci mihi videbantur ad campi magnitudinem infinitam, & meſſis multitudinem. Hic igitur cum venerando collega & gubernatore meo meto, ut mihi videbatur, multis diebus, ita, ut viderem, poſſibile eſſe, inſtantia laboris hunc campum meſſe pervinci: &, ubi feſſi ſumus, progredimur ad rivulum, & habebat panem, piſces, & carnes etiam aſſas, unde reficiebamur, nihil etiam non impertiebat mihi, ſumma charitate. Appropinquabant etiam ad nos, qui ex dextra & ſiniſtra laborabant. Toto tempore meſſis mihi in cœlo eſſe videbar, laborare & metere cum tali ſodalitio. Ductor meus ſe ſtatim primo veſpere inſtitutæ meſſis ſubduxerat, neſcio quo, niſi, quod credebam, eum in aliis partibus campi urgere opus. Victum mittebat Dominus meſſis, nec quicquam nobis deerat, nec eramus multum ſolliciti, quod tanta eſſet meſſis, & prorſus, ut putabamus infinita, & noſtrorum eſſent tam pauci, & anguſtiabamur, dum ſentiremus, approximare hyemem, ne quid relinqueremus non miſſum ad horrea. Tandem ſentio, non animi, ſed corporis, vires ex illa inſtantia metendi & defalcandi attenuari, & mihi aut quieſcendum

eſſe,

esse, aut in agro considendum. Recrearunt me multum collegarum labores, maxime ille meus gubernator & magister operis, cui eram adjunctus, & etiam languidus aliquandiu perduro in labore, faciens quantum potui: Verum post pauculos dies reducor, neque scio, a quo, aut quomodo, in cubile, & repono me ad lectulum lassus & ægrotus. Dumque sic jaceo, & difficulter traho spiritum, intueor pectus meum, ibi video omnem carnem meam ita absumptam, ut in toto corpore nihil esset reliquum, quam sub arida cute misere cohærentia ossa. Animus vero per omnia firmus erat, nisi, quod pro hac una re valde sollicitus eram, ne optimo patrifamilias quicquam remaneret in agro non demessum, ante venientem hyemem. Dumque nunc sollicitudine, nunc spe, memetipsum aut affligo, aut erigo, astat subito ille meus liberator ex heremo scopulorum, ductor fidelissimus. Erat cum eo alius quidam, Apostolico habitu & vultu, ut solent pingere Andream aut Philippum. Ibi ductor meus me multum & jucundo vultu, & hilari voce consolabatur. Dumque illum attente audio, video imaginem crucifixi Christi, in quem conjectus fueram in fontem recta ex adverso lecti, in pariete affixam eadem specie, sed prorsus diversa qualitate. Nam in fonte videbatur caro omnis lucida: Ibi vero membris omnibus exaruerat, ut omnia ossa & membra facile dinumerari possent, & erat prorsus tristis aspectus. Video iterum pectus meum, quod similiter nihil aliud erat, quam ossa velata cute, & vere vix trahebam spiritum præ ægritudine. Ibi Paulus ille, dux meus, digito pulsat pectus meum, deinde porrecto indice & dextera ad Christum, ex adverso ante me positum ita ad me inquit: *Huic oportet te conformem fieri.*

Ex hoc contactu, & ista commonstratione, & sententia audita, evigilo, & disparet omnis visio, relinquens in animo mirabiles cogitationes, quid ista sibi vellent. Neque cum ullo monacho volebam unquam aliquid conferre, aut disserere, ne me irriderent. Certissime enim videbatur aliquid magni significare. Deus meus! quam stultas & prorsus alienas interpretationes mihi hic feci. Vastam heremum scopulorum, in quibus hæseram, interpretabar secularem meam anteactam vitam. Eductionem, faciebam religionem Franciscanorum, Messem, fructus religio-

gionis servatæ regulæ & statuta patrum. Sed obstabat, quod in toto somnio nullum monachum videram, nihilque monasticorum operum. Verum, dum ad monastica instituor, proponitur regula, propônuntur statuta, regulæ declarationes, dispensationes: Ibi vere deveni in desertum, & tentabar vere, & vexabar a Diabolo. Et comperi, nusquam minus, quam in religionibus, inveniri conscientiæ tranquillitatem, remissionem peccatorum, fidem & spem vitæ æternæ. Ibi vero ego addidi mihi ipsi labores, & opera supererogationis, quibus compensarem defectus indebitis operibus, psalteria, missas quotidianas, electivas preces, jejunia, silentia &c. Eligebam novos Patronos mortuos, sanctos Apostolos, martyres, imagines, confessores, quos mediatores constitui inter me & Christum, sed semper magis seducebar per illos, annos pene septem. Totus mihi liber scribendus esset; si sudores, vigilias, angustias studiorum meorum Theologicorum depingere in hoc labyrintho vellem. Ordine glossavi & ad summulas reduxi textum magistri sententiarum, noctu reliquis monachis dormientibus, bis a principio ad finem, per omnes quæstiones & distinctiones librorum quatuor. Totam tertiam partem Alexandri de Hales de gratia, de peccatis, operibus bonis, descripsi manu mea, & in summas redegi: Legi Bonaventuram, Gabrielem Biel, & in omnibus quærebam, ubinam quærenda esset salus, ubi figenda spes, legi etiam aliquot veteres scriptores, ubi mihi Augustinus in libris de gratia, de libero arbitrio, de peccatorum meritis, & de remissione, de corruptione & gratia, item illius Psalterium mire placebat: Sed Scholasticorum & traditionum feces ita me excœcaverant, ut nihil certi intelligerem, quam me miserum & damnatum peccatorem esse, arborem malam, quia fructus erant mali, præscindendam igitur, & in ignem mittendam. Constituerant me monachi lectorem mensæ, ubi per septem annos Biblia cum interpretatione Lyræ ita legeram, ut ea pene memoriter scirem. Sed erant omnia mihi liber clausus: Tamen libenter narrabam historias patrum & regum. Sed usum nullum cognoscebam, nisi exempla morum. Contigit mihi id, quod sanguinifluæ, qui sub meis medicis semper habebam deterius, & pro sanitate quotidie novis vulneribus sau-

ſauciabar. Deſpero tandem etiam de ſtudiis, diſco operas manuarias, compingere literas, tornare, & dolabra conterere tempus, & valde iraſcebar creatori meo, quod me creaſſet, & non daret, ut probus fierem, ſed malis operibus mihi demeterem æternum ſupplicium. Taceo de tentatione ſuper prædeſtinatione noſtra, per quam ita dejiciebar ad inferna noviſſima, ut ſi quando confeſſorem meum aut alios monachos pro auxilio implorarem, & explicatione, illos ſimiliter tentationi involverem, ita, ut tandem nemo me audire vellet. Sed ibi Dominus & mei, & omnium hominum hujus noviſſimi temporis miſertus. Anno MDXVII ætatis meæ XXVII miſit virum ſuum, angelum ad hoc electum, D. MARTINUM LUTHERUM, qui de vera pœnitentia, remiſſione, ac ſatisfactione pro peccatis noſtris ſcripſit & edidit propoſitiones: *Dominus & Magiſter noſter:* quem ego ſtatim ſentiebam virum illum eſſe, qui ad me in deſertum miſſus eſſet. Statim enim aperuit mihi DEUS oculos & aures meas, imo per illum modum me corripuit, duxit ad fontem, & ſuper Chriſtum conjecit, Et is, ubi me periclitari ſenſit, duxit, explicationem gubernavit: Huic me ſtatim anno 1517 totum in confeſſione doctrinæ Chriſti adjunxit. Quinquies me proſcripſerunt monachi, toto ſeſquianno ita obſervarunt me, ut neque cum ullo homine loqui, aut ullas aliis ſcribere literas, aut ab aliis accipere poſſem. Sed tamen & mihi minabantur perpetuum carcerem, & ſepulchrum vivi corporis, ut fecerunt Jo. Hiltenio. Sex annos confitebar Euangelium inter monachos, & ubi licebat Chriſtum concionari, prædicabam, & remiſſionem peccatorum & vitam æternam in ſola fide conſiſtere, ſtatim hujus doctrinæ ſummam comprehenderam. Tandem poſt ſeptennales crucifixiones monachorum liberavit perfecte ex illorum poteſtate & e manibus etiam corpus, cujus antea conſcientia erat liberata. Et an. 1527 veni Cygnæam, Deinde miſſus Gotham, & ſatis bene per loca agri Domini agitatus: Sed univerſum Domine omnibus tuis miſerationibus debeo, ſervus inutilis fui, neque potui vel tantillum rependere, pro his ah! gratuitis beneficiis. Quid vero rependam ductori meo, præpoſito, gubernatori & adjutori in hac meſſe Luthero? Quid ejus collegæ D. Philippo? Sed & illi ſicut

ut Deus pater & Christus in me gratis benefici fuerunt. Et ego certe avare usus sum illorum liberalitate, Et nihil unquam ediderunt, quin mihi mel fuerit: imo erat *panis ille, qui de cœlo venit, & dat vitam manducantibus: & aqua illa, quam quis bibens non sitiet in æternum, sed de ventre ejus fluunt aquæ vivæ, & fons saliens in vitam æternam*, sicque cum sancto præposito meo Reverendo patre Luthero, Angelo Domini, laboravi in hac messe ab anno 1517. usque ad hunc 1546. juxta gratiam Domini, *& gratia ejus in me vase fictili indigno, & per se inutili vana non fuit*.

Mi Paule Ebere, quoties, quoties Lutherus in suis commentariis pingit & ob oculos ponit, qualis sua & aliorum conscientia fuerit sub papatu, & in mediis illis tenebris ignorantiæ Christi, toties me tibi totum depingit: imo miserior eram, quam quisque me pingere possit. Sed *qui dilexit mundum, qui dives est in misericordia, qui commendavit charitatem suam, cum adhuc inimici ejus essemus: qui voluit hos inimicos suos sibi reconciliari per filium, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me, qui mortuus est, ut ego reviviscerem*, qui in heremum & desertum venit, ut tentaretur a diabolo, & me ex omni tentatione eriperet, *Qui ex regno tenebrarum me eripuit, & transtulit in regnum dilecti filii sui, qui jam reconciliatum multo magis vult reservatum ab ira, qui ibi facit superabundare gratiam, ubi abundavit peccatum*, qui etiam inhabitans peccatum non imputat, modo non regnet in mortali corpore peccatum, *propter Spiritum ejus, qui excitavit Christum Jesum a mortuis, & vivificavit mortalia corpora nostra, ut non secundum carnem ambulemus, sed Spiritu facta carnis mortificemus, qui cœpit in me nec cessabit, donec perficiat, & destruat in me perfecte opus Diaboli*, & reparabit imaginem Christi: Qui ovem annumeratam a patre, perditam & reinventam humeris superimponit, quæ seipsam nec supra dorsum Christi servare potest, sed deciderat, ut nemo possit eam ex manibus suis eripere, sed annumerabit eam salvam Patri suo: Is, inquam, in cujus pectus in fontem abyssi Scripturæ & aquæ vivæ, per Lutherum & Scripturam prorsus super vulnus lateris filii Dei, Spiritu, corde, & pectore procubui, & ad satietem bibi, ita tamen, ut recte sentire inceperim: Is, inquam, qui jussit, me sibi conformem fieri de-

debere in morte & in vita: is, inquam, ſcit, quid mihi in hac vita una nocte diviſionis Apoſtolorum anno 1510, oſtenderet in ſomnis: ſed non fuerunt mihi vana ſomnia, quicquid alii judicent: nam ſecuta eſt ſtatim per annos XXXVI, quorum prioribus ſex reptavi in deſerto non modo mundi, ſed ipſiſſimi inferni, poſterioribus triginta aut XXIX liberatus, cum viro Dei ſudavi in meſſe, quem ego etiam hodie præ reverentia non ſatis admirari poſſum, per quem me Deus reduxit, & in meſſe ita reſervavit contra Carolſtadianos, Münzeros, ſeditioſos ruſticos, Zuinglianos, Oecolampadios, Sacramentarios, Münſterenſes, Knollios, Knipperdollios, Schlatſchaſſios, Leydos, Rottmannos: poſtea Antinomos, Graculos, Leuculos, & omnia infauſta illa nomina Schwermerorum, Servetianorum, Lampanorum, Galilæorum, Sabbathariorum, & ſecurorum Epicureorum, liberavit inquam, & liberabit, & ſervabit in curſu miniſterii ſui, quem, jam conſummavi: nihil magis dolens, quam, quod non inſtantius laboravi, & corpus meum & vires ejus me deſtituunt, ut vos jam depugnantes, & reliquos proſtratos, fugatos & trucidatos non poſſim adjuvare. Scio multos voluiſſe, ut cauſam Chriſti & Lutheri etiam in ſcribendo, & libris, & commentariis adjuvarem, idque certe felicius potuiſſem, quam graculi, Leuculæ, cuculi & upupæ: Sed videbam & intelligebam, ad quid maxime vocatus eſſem, *ut eſſem vox clamans*, *ad parandam viam Domino*, *& rectas faciendas ſemitas Dei noſtri*, *& aperirem oculos*, *ut viderent præſens ſalutare Dei noſtri*, *& videbam*, Spiritum ſanctum dediſſe ſcribam doctum, linguas eruditas & prorſus igneas, ita, ut ſuperbia eſſet, ſi ego vellem poſt Lutherum, Brentium, Philippum, eſſe & fieri aliquis corvus aut graculus. Scripſi poſteriora omnia brevius, quam oportuit, ſed tu ex præterita viſione, & Lutheri ſcriptis, ubi ſuam & aliorum conſcientiam, in tenebris, in medio inferni poſitam, & nunc liberatam depingit, cetera æſtimabis.

Nolo iſta legat vel Lutherus, vel Philippus, quibus ſæpe iſta recenſui, & habent meliora, quibus pro nobis occupentur, ſed reliquis, qui ea volunt cognoſcere, communicabis. Non pudet me neque humilitatis meæ, neque Euangelii, quod eſt *potentia*

Dei ad ſalutem omni credemti. Et gratias ago Deo Patri, qui aperuit mihi per ſervum & virum Dei ſuum Lutherum, & per Spiritum Sanctum oculos, ut viderem *gloriam Chriſti*, *gloriam quaſi unigeniti a patre*, *plenam gratia & veritate*, *de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia.* Ejus gratiam non abjiciam, ſed libenter volo gloriari in Domino, ut inhabitet in me virtus Chriſti. *Die wird ſich wol offenbaren zu ſeiner Zeit. Amen.* Vale mi amantiſſime Paule, & pro me ora, ut fiat voluntas Dei Patris, quia vere bona & utilis eſt. Saluta Philippum, Rorarium, Crucigerum, Marcellum, Pomeranum, M. Curionem meum, & fratres omnes. Infirmitas Lazari, Jeſu Chriſti amici, non eſt ad mortem, ſed gloriam Dei patris, ut glorificetur per eam. Nolumus impedire gloriam Dei. Gothæ 1546, 21 Februarii.

FRIDERICUS MYCONIUS,
Gothanæ Eccleſiæ in Thuringia Paſtor.

Num. V.

ÆGIDII VITERBIENSIS,

Oratio habita in Synodo Lateranenſi A. 1512.

Quantò celebriora ea erant tempora quæ Reformationis Æram veluti conſtituunt, tantò celebrius haberi debet, illud quod Anno ſeculi ejus duodecimo à Julio II, P. R. convocabatur Concilium Lateranenſe XII. quippe quod, non nobis ſolummodò mirum in modum, qui Pontificis authoritatem rejicimus, argumenta ſubminiſtrat, ſed & ipſis Pontificiis inſervit, cum vel ipſe *Rob.* BELLARMINUS Cardinalis lib. II. *de Concilior. auctoritate* Cap. XVII. ad id provocet, ut evincat, *Pontificem eſſe ſupra concilia:* Quin autem, primarius ejus concilii ſcopus fuerit, ut hæreſis repente ſuborta

(ſic

(sic enim *Pisanum concilium* vocabant Papæ parasiti) exstingueretur, dubitari nequit, uti ipsius Julii animus militaris & ferox, nil nisi bella spirabat quin imò minas & cædes, quanquam in ipsa convocatione dicat, *se Deo bene propitio sperare*, *ut omnes sentes ac vepres ex agro Domini penitus extirpentur*, *depravati mores emendentur*, *Pax inter Principes Christianos concilietur*, *expeditiones contra fidei hostes instruantur*. Quidquid sit, quum ÆGIDIUS noster Viterbiensis, Augustianani Ordinis Generalis pro ea quo pollebat authoritate, publica eandem Synodun exorsus fuerit Oratione, eaque, uti RICHERIUS in Hist. Concil. General. L. IV. P. II. C. IV. §. I. ait, eleganti, polita, & liberiori quidem quam Julius & illa tempora ferebant; quippe in qua acriter & libere animum militarem & gesta bellica Julii reprehendit, quumque in tota hac Synodo, quicquam Synodica libertate dignius non occurrat hac memorabili Oratione, tum eandem ex Actis Conciliorum à Jo. HARDUINO editis Volum IX. fol. 1576. hic exhibere visum fuit, eum in finem, ut persuadeamur, quam ea fuerit omnium, non eorum solummodo qui sedi Romanæ erant adversi, sed eorum quoque, qui ejus sputa lingebant, vox: *Corruptissimum esse Ecclesiæ statum*, *qui omni virium intentione sit renovandus atque reformandus: Illamque Reformationem inchoari debere ab ipso Pontifice*, *seque extendere ad omnia Ecclesiæ membra.* Addimus veró etiam *Jacobi* SADOLETI, qui omnium primus eandem in publicam lucem produxit epistolam ad *P. Bembum*, quæ nos informat de ipso Oratore, & quis ille vel qualis fuerit Ægidius, exponit, quamque ea, quæ is in hac Oratione tangit ulcera Ecclesiæ, ipsi intimè fuerint perspecta, & prætereà omnium oculis exposita, ut nulla adversus ea valere possit exceptio: En itaque ipsam primò *Epistolam:*

Jacobus Sadoletus Petro Bembo salutem plurimam dicit.

Habes, *Bembe* orationem *Ægidii Viterbiensis*, quam tanta ope expetivisti, dignam illam quidem propter elegantiam, quæ ab iis potissimum legatur, qui judicare aliquid de præstantibus ingeniis possunt, sed aliis quoque commendationibus prælucentem: tum quod magna authoritate Lateranensis principia concilii auspicata est, quod a Julio II, P. M. paulo ante institutum, sanc-

tæ

tæ Chriſtianæ reipublicæ optamus fore ſalutare, tum quod ab eo viro eſt, quem ego & tu ſæpe ſoliti ſumus in ſermonibus noſtris clariſſimum hujus ſæculi tanquam obſcuraſcentis lumen appellare. Et quidem quæ in communibus hominum ſenſibus poſita ſunt, ea nemo eſt, qui in Ægidio ſumma eſſe non cognoſcat. Sumus enim experti pluries illam hujus viri mulcentem omnium aures atque animos eximiam eloquentiam, vernacula quidem lingua Etruſcorum, quæ illi patria eſt, abundantem, ſed ex uberrimis & græcæ & latinæ eruditionis fontibus deductam. Magno enim hic ſtudio theologiæ ac philoſophiæ altiſſimis artibus comites literas politiores adjunxit. Ergo illa in ſacris concionibus divina ſemper & admiranda, flectere arbitrio ſuo hominum mentes, refrænare incitatas, languentes accendere, vel inflammare potius, ad virtutis, Juſtitiæ, temperantiæ ſtudium, ſummi Dei venerationem, ſanctæ religionis obſervantiam, novit. Nec vero quidquam interfuit, illo dicente, inter doctos homines & idiotas, non ſenex ab adoleſcente, vir a muliere, non princeps ab infimo homine potuit dignoſci, ſed omnes pariter vidimus præcipites ferri impetu animos audientium, quocunque eos Oratori impellere libuiſſet. Tanta vis orationis, tantum flumen lectiſſimorum verborum, pondus optimarum ſententiarum ex eo ferebatur. Ex quo, quod ſemper evenire cernimus, jam plnaè intelligimus neceſſitate evenire non caſu, ut quotiescunque dicturus eſt, concurſus maximi omnibus ex locis audiendi cauſa fiant. Sed nos hæc popularia cum multis, illa ſecretiora cum paucis cognoſcimus. Soleo enim mirari te, Bembe, vehementerque probare Judicium tuum, cum ita dicas: humanitatem ipſam & eas artes quæ humanitatis propriæ & affines ſunt, ſi malo hominum fato intereant, ab hoc uno homini exprimi & repræſentari poſſe, nec adumbrata in eo ſimulacra, ſed totam effigiem virtutis agnoſci. Quod vero addis, grandiorem tibi etiam, in cubiculo videri Ægidium, quam in pulpito, ubi certe eſt maximus, facile tibi aſſentior. Sed hæc alias. Nunc Orationem leges, de qua teſtatum eſſe apud omnes volo, quicunque eam in manus ſument, redempturos eos non Hectorem, ſed Hectoris corpus, quod ipſum tamen tanti pretii eſt, ut jure optimo repen-

pendi auro queat. Certe non aderit calor ille & vis in dicendo oratoria, spiritusque ζώσης ut ajunt φωνῆς, quo tantum potuit Ægidius, ut omnium adstantium animos primum suavissime demulserit, deinde ad extremum vehementissime commoverit. Verum quid opus hæc ad te scribere, qui amore quidem & benevolentia erga Ægidium mihi par, Judicio omnibus antecellis? Ego quod egi, ut elucubratio optimi & religiosissimi viri non lateret in tenebris suppressa, sed in populum exiret, spero me bonis omnibus gratum fecisse, tibi quidem certe scio. Vale.

Sequitur ORATIO quæ ita se habet.

Neminem hoc loco non mirari existimo, cum tot in Urbe viri sint graviter copioseque dicendi facultate clarissimi, cur ipse unus qui cum luminibus his nulla sim ratione comparandus, & pro rostris appaream, & in tanta præsertim re, tantoque consessu, quo spectatius sacratiusque nihil habet terrarum orbis, audeam verba facere. Dicam sane aliquid intercessisse, quamobrem ego non virtute ulla aliis præpositus, sed quadam superiorum tum temporum, tum actionum ratione, & tanquam a causa ipsa invitatus videar, qui primus hoc conflictu telum jaciam, & sacrosancti Lateranensis concilii auspicia capiam. Nam cum annis abhinc circiter viginti, quantum in me fuit, & perexiguæ vires tulere, evangelia populis interpretatus sim, prophetarum vaticinia aperuerim, Joannis Apocalypsim de successu Ecclesiæ, universæ ferme Italiæ enarraverim, ac sæpenumero affirmaverim, eos qui tunc audiebant, ingentes Ecclesiæ agitationes, & clades visuros, illiusque emendationem aliquando conspecturos, nunc par esse visum est, ut qui hæc dixerat ventura, idem venisse testetur, & qui toties exclamaverat, *viderunt oculi mei salutaria tempora*, jam tandem exclamet: *viderunt oculi mei salutare sanctumque principium exspectatæ instaurationis:* Modo adsis, orbis instaurator, divini parentis proles, Servator, sospitatorque mortalium, desque vim mihi dicendi orationi commovendi, patribus non verbis, sed ipsa re, veri, sancti, exacti concilii celebrandi, extirpandi vitia, virtutes excitandi, ad vulpes, quæ sanctam demoliendam vineam hac tempestate scatent, capiendi, ac denique collapsam religionem in veterem puri-

G tatem,

tatem, in antiquam lucem, in nativum splendorem, atque in suos fontes revocandi. Dicam itaque de Synodo, & quam Ecclesiæ commoda semper sit, & quam nostris temporibus necessaria: præfatus, oraculorum stylum me invertere non ausurum esse, sed integra, ut legi solent, verba atque orationes usurpaturum, tum quod homines per sacra immutari fas est, non sacra per homines, tum quod ἁπλὸς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ simplex sermo veritatis est. Atque a principio partitio illa in mentem venit, rerum alias divinas esse, cœlestes alias, alias humanas. Divinæ quippe, quod sunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent, cœlestes vero atque humanæ agitationi obnoxiæ, instaurationem desiderant. Nam luna cum ad solis commercia venerit, sol cum a cancro in brumam descenderit, quasi magno mortalium dispendio, damna ab integro reponunt, coguntur que, præscribente natura, lucis jacturam rependere & quidquid cadendo abstulerint, ascendendo mortalibus restituere. Quod si cœlestia siderum itinera, quamquam perpetua, immortalia, sempiterna, redeunt tamen restituunturque, quidnam tertium hoc faciet rerum genus, utpote fluxum, caducum, mortale? Profecto aut interitu cito pereat necesse est, aut continua innovatione reficiatur. Quod enim est cibus corporibus, ut vivant, quod genitura generibus, ut perpetua sint, id præstat humanis animis sua pro tempore emendatio, cultura, disciplina: quamque absque ciborum alimentis animantia diu vivere, tam humanæ animæ, tam Ecclesia, absque cura Synodorum probe agere non potest. Ac quemadmodum si pratis imbres, si hortulis rivos, si agris cultum, si vineis putationem, si denique viventibus alimenta subduxeris, illa arescent brevi, silvescentque, hæc vivere desinent, atque emorientur, ita ferme post Constantini tempora, ut sacris rebus multum adjecere splendoris & ornamenti, ita morum & vitæ severitatem non parum enervarunt; quoties a Synodis habendis cessatum est, toties vidimus divinam sponsam a sponso derelictam, illudque Euangelii factum, quod heri recitabatur, Joan. 16. *Jam modicum, & non videbitis me.* Vidimus Christum in navicula obdormientem, vidimus ventorum rabiem, hæreticorum furorem in candida veritatis vela irruentem. Vidimus perditam malorum auda-

audaciam adverſus jura, auctoritatem, majeſtatem eccleſiæ ſævientem. Vidimus malas cupiditates, diram auri atque habendi ſitim. Vidimus inquam, vim, rapinas, adulteria, inceſtus, omnem denique ſcelerum peſtem ita ſacra profanaque miſcere omnia, ita in ſanctam naviculam impetum facere, ut pæne ſcelerum fluctibus illa latus dederit, ac prope merſa & peſſumdata ſit. Rurſus cum eo monente ſpiritu, cui hodie ſupplicationes decetæ ſunt, patres ad Synodum confugerunt, quamprimum emendavere, compoſuereque omnia, ventis, turbinibusque imperavere & quaſi in tutiſſimum portum delati, impetum rationi, injuriam Juſtitiæ, vitia virturi, tempeſtates ac fluctus ſerenitati tranqullitatique cedere compulerunt, hymnumque cecinetunt Sancto Spititui, piſcatorum, maris atque aquarum Deo, Can. 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* Et illud: Can. 2. *Jam biems tranſiit imber abiit, & receſſit, ſurge amica mea.* Jacet enim ſponſa, ut hieme frondes arborum; ſurgit revireſcitque Synodorum ſtudio, ut ſilvæ veris tempore revocato ſole frondeſcunt, ad ſolis redeuntis radios, & fecundi ſpirant Zephyri & læta plantaria germinant: ad Synodorum lumen, & divini ſpiritus flant auræ, & emortui Eccleſiæ oculi reviviſcunt ac recipiunt lucem, ubi pars altera impletur oraculi Joan. 16. *iterum modicum videbitis me.* Quod quidem nihil aliud ſibi vult, niſi quod Sancti Spiritus lux, quæ Synodis omiſſis extinguitur, tanquam excuſſus è ſilice novus ignis iterum accenditur & recuperatur in Synodis. Ad hæc Paulus Apoſtolorum decus, cum ſalutis caput oſtenderet, *Abſque fide*, inquit, Heb. 11. *Deo placere nullo modo* poſſumus. Atqui ſine Synodis ſtare non poteſt fides, absque ſynodis igitur ſalvi eſſe non poſſumus. Verum quod ratione dicimus, ut etiam experimento probemus, cogitandum nobis eſt, tres eſſe credendarum rerum radices e quibus univerſa Eccleſiæ fides manat. Prima divinæ naturæ unitas eſt. Altera eadem in natura, Parentis, ſobolis, amoris, feliciſſima Trinitas. Tertia in virginis utero, prolis divinæ conceptio. In quibus veluti in altiſſimis apicibus ac ſanctiſſimis montibus, & reliquæ fidei partes novem, & pietas univerſa fundata eſt. Pſ. 86. *Fundamenta enim ejus in montibus ſanctis.* Unitas nempe, mons Dei

 nun-

nuncupatur, quod in una duntaxat Dei essentia sit atque natura: & ut unitatem illam non solitariam, non sterilem, sed uberrima fœcunditate præditam cogitemus, ideo mons pinguis adjicitur. Corpus vero in Virgine Verbo junctum, montem coagulatum vocat vates. Hæc itaque tripartita illa vinea est super vertice montium sita, quam & futuram cecinere oracula, & præsentem evangelia indicavere. Sed jam perierat vinea; nam, ut testis est David, illam aper e silva depopulatus erat. *Arius* primum montem avellere conatus est qui unitatem discerpsit. *Sabellius* secundum, qui personas confudit. *Photinus* tertium, qui partum Virgineum impura temeritate labefactavit. Tres veluti impiissimi gigantes, qui gloriæ cupiditate de rerum novarum studio illecti montes loco movere ausi sunt, ut viam sibi facerent ad cœlum oppugnandum rescindendumque. Et erant jam voti compotes, nam quæ ipsi philosophia persuadebant, armis ea recipi principes imperabant. Philosophia nos argumentis urgebat, arma collatis signis oppugnabant. Illa præstigiis, hæc vi, fidem evertere conabantur. Illa invertere quæ credebantur, hæc eos qui credebant perdere conabantur. Illa in pietatem & animas, hæc in corpora vitamque sæviebant. Quid faceret divina sponsa jamjam peritura? quo se verteret? quo confugeret? cujus fidem, cujus opem, cujus auxilium imploraret? exhorrescebat tempestas, navicula mergebatur. Denique, ne multis morer, nulla effugiendi nulla evadendi inventa via est, nisi Nicæna Synodus: ubi Sylvestro ad clavum sedenti, & jamjam naufragium facienti, e cœlo sese ostendens Deus. Mat. 14. *Modicæ* inquit *fidei*, *quare dubitasti?* Ac statim divinis fulminibus & fidei montes restituit, & gigantum temeritatem disjecit, ubi erepta puella experimento didicit, cum quidquam sibi adversi imminere videat, nullum omnino præsidium ad se vel vindicandam efficacius habere, quam Synodum, qua sola fit, ut nullæ aquæ ecclesiæ caritatem extinguant, utque divinus Spiritus in nostris animis motionem efficiat, qui unicus velut aquarum victor, tempestatumque potens, teste Mose, fertur super aquas. Jam vero quod de fide dixi, quæ utique nulla esset si Synodi institutio non fuisset, idem ferme de Temperantia, Justitia Sapientia, ceterisque virtutibus existimari velim. Omnes enim

desi-

desidiam pro labore, otium pro negotio, voluptatem pro sollicitudine expetimus. Verum cum animadvertimus, quandoque fore, quod in Synodis fit, ut census habeatur, ut morum, & vitæ exploretur ratio, ut improbi deprehendantur, judicentur, plectantur, contra probi alliciantur, foveantur, attollantur, incredibiles stimuli appetendæ virtutis injiciuntur, ut homines colligant sese, ut meliora deliberent, ut ad vitia relinquenda & ad virtutem capessendam accendantur, nihilque non honestum, nihil non magnificum moliantur. Illud, illud Synodi discerniculum fuit, unde veluti ex equo Trojano tot clarissima ingeniorum lumina emicuere. Illa virtutum approbatio, illa detestatio vitiorum, *Basilios*, *Chrysostomos*, *Damascenos*, *Græciæ*, *Hieronymos*, *Ambrosios*, *Augustinos*, *Gregorios*, *Italiæ* peperit, qui cum magna similium turba, bone Deus, quos libros, quæ scripta, quæ monumenta, quod doctrinarum, quod disciplinarum, quod divini, vel auri vel argenti genus in Christianum ærarium non congesserunt? Rem prætereo, nisi tempus obsisteret, minime prætereundam, de ecclesiarum rectoribus, de pastoribus populorum, in quibus quidem universa rei Christianæ sita est & summa salus. Ut enim inferior hic mundus cœli tum motu, tum lumine regitur, ita Christianæ gentes a rectoribus suis, cœlestibus pastoribus gubernantur, qui si boni futuri sint necesse est ut & lumine disciplinarum fulgentes, alios doceant, & motum sanctarum actionum exercentes, quæ docuerint, ipsi inprimis & maxime agendo præeant. Hæc duo illa sunt, quæ & docuit pastorum princeps Christus, & cum lucernas ardentes gestare ad clare instituendum, & ad sancte agendum præcinctos esse jussit, simul ipse mirifice exercuit, cum & lux mundi, & divini patris sapientia fuerit, & Sanctus Sanctorum appellatus sit, quod probos omnes vitæ Sanctimonia antecesserit, atque, eas ob res *Ego* inquit, *sum pastor bonus*. Quod vero ob utrumque, bonum se dixerit, testatur evangelista, qui cœpisse eum scribit tum facere tum docere. Quin & duodecim illi duces, qui super omnem terram constituti sunt principes, Spiritus afflati numine, completique, ita utramque cœli vim sunt assecuti, ut etiam Cœli appellationem promeruerint, ut vulgatissimum jactatur oraculum: *Cœli*

 enar-

enarrant gloriam Dei. Quo monemur, eorum rectorum celebrandam esse gloriam, qui cœli tum lucem sapientia, tum conversiones sanctimonia imitati consecutique sint. Hujus itaque rei, quæ omnium longe maxima est, quanta cura Synodis fuerit, historia memorat. Nam qui præstanti doctrinæ sanctum vitæ institutum adjunxerint, a Synodorum patribus ex universo terrarum orbe conquisiti, evecti, exornatique sunt, summa cum eligentium laude, ecclesiarum fructu, commodo, lætitia, plausu populorum. Quid illud omnium gravissimum ac periculosissimum loquar, quod nemo tempestate nostra non deplorat? Injurias principum dico, legionum insolentiam, armatorum minas. Quid enim miserius vel audiri vel cogitari potest, quam ut cœli terrarumque regina ecclesia, aut vi servire aut manus dare, aut grassantium tela pertimescere cogatur? Quæ quidem pestis adeo serpit hoc tempore; adeo insurgit, adeo invalescit, ut omnis illa ecclesiæ auctoritas, atque a Deo tradita libertas, eversa, profligata & plane extincta esse videatur. Quam ob rem cave, Juli secunde, Pontifex Maxime, cave credas ullum mortalium quidquam melius salubriusve cogitasse unquam, quam ipse, Spiritu Sancto monente, cogitaveris in Synodo instituenda: cujus quidem nulli Reges, nulli Principes possunt vel decreta contemnere, vel jussa negligere, vel auctoritatem detrectare. Si qui enim forte Pontificem ipsum per se inermem parvi pendere ausi sunt, Synodi auctoritate, principumque & nationum consensu ac studiis instructum metuere ac vereri consueverunt. Nam si Synodorum res gestas repetamus; nihil illis potentius, nihil majus nihil munitius esse intelligimus. Synodo namque in *Joannem Hispanum* & *Alphonsum Lusitanum*, *Rodulphum* Imperatorem, designat *Gregorius* X. Synodo *Martinus* IV. in *Petrum Arragonensem* animadvertit. Synodo *Octavus Bonifacius* in *Philippum* regem decernit. Synodo & olim *Gregorius* alter & patrum memoria *Eugenius* Græcam ecclesiam Latinæ conjungit. Synodo in *Fridericum* Imperatorem agit & IV. *Innocentius* & *Gregorius* VIII. Quin in hac eadem æde omnium principe, & quæ vincere hostes semper solita est, vinci nunquam, non nisi Synodo & II. Innocentius adversarios dejecit, & III. *Alexander Victorem* sociosque superavit:

vit: & III. *Innocentius Othonem* imperio submovit, & *Martinus* V. hostilia tyrannorum arma dissipavit. Et, ne omnia persequar; quidquid laude, quidquid gloria dignum a Melchiadis ætate in ecclesia gestum est; aut ad hostem arcendum, aut ad rempublicam componendam, id omne de Synodis originem sumsit, & proinde Synodis referendum acceptum est. Quid enim aliud Sancta Synodus, est nisi malorum metus, proborum spes, errorum ejectio, seges & restitutio virtutum, qua dæmonum fallacia vincitur, sensus illecebræ auferuntur, ratio amissam arcem recipit, terris e cœlo justitia restituitur? Redit siquidem ad mortales Deus. Nam dixerat: *Ubi duo vel tres meo nomine convenerint, ad eos venio, interque eos sum:* quanto heic libentius se conferet, quo non duo tantum, vel tres, sed tot ecclesiæ capita proficiscuntur? Nam si Angelos Joannes appellat ecclesiarum pastores, quid est, quod vel votis petere, vel precibus a Deo consequi non possit tanta simul frequentia Angelorum? Hic Eva ab exsilio revocatur, hic serpentis caput talo premitur puellæ sanctioris: Abraham educitur e Chaldæorum terris, Agar ancilla obtemperat dominæ: fœdus cum Deo rursus, animorum circumcisio introducitur. Hic scalam figens patriarcharum pater in cœlum aditum pandit, Deo jungitur in palæstræ ludo, & a videndo Deo accipit nomen. Hic populi velut in solitudine fame oppressi, divinitus suppetias impetrant, cœli angelorumque panem recipiunt, & suavitate vescuntur cœlestium epularum. Hic cum hominum pectora tanquam saxea evaserint, Mosis virga percussa, aquarum fontes effunduntur. Hic thesaurus in agro abditus effoditur, margarita emitur, lampades accenduntur, semen in bonam seritur terram, sinapis granum surgit in arborem, & feraci oleæ oleaster inseritur. O beata itaque illa tempora, quæ Synodos susceperunt! hæc stulta, si non agnoverint: misera, si non admiserint. Et quoniam vetera Synodorum commoda strictim attigimus, nunc quam brevissime nostra delibemus. Appello ergo te, Juli secunde, Pontifex Maxime, summus ille te appellat Deus, qui suam te gerere in terris vicem voluit, qui e tanto jam pridem senatu te unum delegit, qui nonum usque in annum ecclesiæ suæ te Sponsum defendit: qui & bonam cogitando mentem, & mag-

nam

nam agendo facultatem dedit, quantam nulli majorum unquam præstitit; scilicet ut prædones abigeres, vias purgares, seditiones tolleres, domini templum omnium quæ usquam visa sunt magnificentissimum excitares: militiæ, quod nemo ante hac potuit, ecclesiæ arma magnis regibus metuenda faceres: ut denique imperium propagares, ut Ariminum, Faventiam, Ravennam, & permulta recuperares. Quæ etsi eripere tibi hostis potest, quin tamen primus Pontificum hæc omnia gesseris, efficere non potest. Magnorum enim Principum virtus non ex casu aut ex eventu, sed ex consiliis actionibusque censenda est. Nunc rebus gestis hæc duo deerant: ut Synodum vocares & communi Christianorum hosti bellum indiceres: & quæ ab initio semper cogitasti, spospondisti, decrevisti, jam Deo, jam Christiano gregi, jam tuæ præstes tum pietati, tum fidei. Ac scias te bonos omnes in magnam spem erexisse: quippe qui bellorum & malorum temporum injuria ad hæc differenda coactus quidem fueris; ad negligenda vero & differenda non minis, non telis, non cladibus adduci potueris: quin animum ea constantia firmaveris, ut ii fluctus, hæ aquæ: quanquam multæ: firmam tamen caritatem tuam extinguere non potuerint. Ille itaque idem Deus, qui præter hæc omnia quæ ad animum excitandum enumeravi, immortalia beneficia, his superioribus annis, tum Bononiæ, tum Romæ, cum etiam intra ædes tuas extinctus habereris, in vitam revocavit, & ad hæc maxima opera gerenda reservavit, uti & ipse Deus extincto Pontifici manifestissimo miraculo & Pontifex extinctæ ecclesiæ sanctæ sanctissima Synodo vitam restitueret, atque una cum reviviscente Pontifice etiam ecclesia moribus reviviscеret. Ille, inquam, Deus petit mandatque, ut duo illa animo volutes, cures, peragas; & quemadmodum Propheta jubet, destruas, evellas, eruas, errores, luxum, vitia: instituas, ædifices, plantes, moderationem, virtutem, sanctimoniam. Ad hæc vero agenda, cum alia permulta, tum præcipue exercitus amissus nos excitare debet, quod equidem putem divina providentia factum, quo armis Ecclesiæ alienis freti cederemus, ut ad nostra redeuntes victores evaderemus. Nostra autem arma, sunt pietas, religio, probitas, supplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, ut Apo-

Apostoli verbis utar. Ad quæ si Synodi opera redibimus, ut armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus, ita nostris erimus omni hoste superiores. Veniat quæso in mentem Mosis bellum, quod adversus Amalec regem gessit. Videbis populum Deo carum, gladiis fidentem, vinci semper, contra semper vincere precibus supplicantem. Josuæ exercitum in prælium ducebat, Aäron sacerdos cum Hur ac Mose montem ascendebat. Illi armato corpore ferebantur in hostem, hi Deum purgato animo precabantur: illi ensibus, hi votis agebant, illi ferro, hi pietate pugnabant, vidimus utraque arma, militiæ scilicet ac Religionis: Sed jam quæ nostra sint, rem Deo ostendemte cognoscamus. Dum Moses inquit, manus attollebat, noster vincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac, ne casu factum id suspicemur, in calce sermonis illius scribitur, adversus Amalec, hoc est, in Ecclesiæ hostem, Dei manum ac bellum esse in generatione & generationem. Quibus quidem verbis monet Deus, utramque generationem, atque utramque Ecclesiam, & Mosis & Christi, militiæ armis vinci, pietatis studio vincere. Superari telis decertando, sacra faciendo superare. Freta initio suis armis Ecclesia Africam cepit, Europam obtinuit, Asiam occupavit, non bello, non ferro, sed religionis actionibus & sanctitatis opinione per universum orbem Christiana signa circumtulit. At ubi sponsa quæ tunc undique vocabatur, accersebatur, expetebatur in vestitu deaurato, aureum paludamentnm ardentis Spiritus ferreis Ajacis insani armis commutavit, imperium duodecim Ducum partum sanguine, amisit, Asiam & Jetusalem perdidit, Africam Ægyptumque relinquere coacta est. Europæ cum Byzantino imperio & græciæ bonam eripi sibi partem vidit. Vox Dei est, dicentis lassis Mosis manibus, votis precibusque cessantibus, Josue vinci, vincere Amalec: ita & nos vidimus cum religio vota ferro commutavit, toto fere orbe pulsam, ejectam, explosam Ecclesiam, aucto in immensum Mahumete, qui nisi ferro relicto rursum in pietatis sinum ad aras & Dei pulvinaria redeamus, crescet in dies magis, subiget imperio omnia, orbem universum nostræ impietatis ultor impiissimus occupabit. Video, video nisi vel hoc concilio, vel alia ratione nostris moribus modum impona-

ponamus, nisi nostram humanarum rerum cupiditatem, malorum fontem cedere divinarum amori compellamus, actum de republica esse Christiana, actum de religione, actum etiam de iis ipsis opibus, quas patres divino cultu aucto peperere, nos contra, neglecto, amissuri sumus. Eæ enim ita ex extrema pauperie pervenere ad summum, ut non ita multo post interituræ esse videantur, ac nisi receptui canamus, nisi rationibus nostris consulamus, infula illa ditissima, cujus ad ornanda sacerdotis tempora usus fuit, vix ad operienda inveniatur. Audite divinas voces undique sonantes, undique synodum, pacem, sanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita nostra mollior, quando ambitio petulantior, quando cupiditas inflammatior, quando peccandi licentia impudentior, quando audacia adversus pietatem loquendi, disputandi, scribendi, aut frequentior, aut securior fuit: Quando in populis rerum sacrarum, quando Sacramentorum, quando & clavium & sanctorum præceptorum non modo negligentia, sed & contemptus major, quando apertius religio & fides nostra ludibrio vel tenui plebeculæ fuit! Quando proh dolor! Schisma in Ecclesia perniciosius, quando bellum periculosius, quando hostis potentior? Quando exercitus truculentior? Quando obiter monstra, portenta, prodigia, tum cœli minitantis, tum terræ expavescentis, aut crebiora, aut horribilia apparuere? Quando (heu fletus me impedit) cœdes, quando clades, aut post Brixiana, vel postea Ravennate cruentior, quando, inquam ullus inter infaustos dies, quam sanctissima illa resurgentis Christi lux, aut luctuosior aut calamitosior illuxit. Quæ quidem omnia nisi ferrei simus quidnam aliud quam cœlitus missæ voces sunt? voces namque Dei, uti Proclus ait, facta sunt, de quo uno ajunt oracula, Ps. 148. quod, *dixit & facta sunt*. Et in arcanis Hebræorum legimus, decem dictis quæ in Genesi leguntur, Orbem universum esse conditum. Voces igitur sunt quæ fieri cernimus, voces monentis Dei ac præcipientis ut synodum habeas, ut Ecclesiam emendes, ut utriusque hominis bellum tollas, ut sponsæ tuæ undique lacessitæ pacem utramque restituas, ut gladios avertas urbis, & Italiæ jugulis imminentes, ut nostram frenes vivendi licentiam, Ecclesiæ viscera majoribus vulneribus ferientem. Non enim

enim multi refert, quantum agri possideamus, sed quam justi, quam pii, quam divinarum rerum studiosi simus, ut denique post tot mala, tot incommoda, tot calamitates, principem Christum audias, Petro posterisque synodum ostendentem, ut unicam omnium malorum medicinam singularem periclitantis naviculæ portum, solam reipublicæ confirmandæ rationem. Luc. 22. *Tu* inquit *Petre aliquando conversus confirma fratres tuos.* Audis Petre, audis Paule? Auditis augustissima semper capita, tutela ac præsidium urbis Romæ? Auditis in quem malorum cumulum, Ecclesia vestro fundata sanguine deducta sit? Videtis acies utrimque profligatas, videtis cædes, videtis clades, videtis campos occisorum acervis opertos, videtis terram hoc anno plus cruoris hausisse, quam pluviæ, minus imbrium bibisse, quam sanguinis. Videtis tantum occubuisse Christiani roboris quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis, nihil nobis nisi exitium, nihil nisi interitum superesse. Ferte opem, juvate, succurrite, & quam de Judæorum & tyrannorum faucibus eruistis Ecclesiam, nunc domesticis cladibus occumbentem erigite. Orat populus, viri, fœminæque, omnis ætas, omnis sexus, omnis orbis, rogant Patres, obsecrat Senatus, obtestatur ipse denique supplex Pontifex, ut se, ut Ecclesiam, ut urbem Ronam, hæc templa, has aras, hæc sacra, hæc vestra ipsorum capita servetis, ac Synodum Lateranensem, hodie ante ora vestra a Julio II. P. M. indictam (quod felix fortunatumque sit nobis, Ecclesiæ vestræ, totique reipublicæ Christianæ) in orbis terræ certissimam salutem sancti Spiritus numine firmetis, curetisque & pacari Christianos principes, & in publicum Christi hostem Mahumetem, nostrorum regum arma converti, atque his fluctibus, his tempestatibus, his aquis non modo non extingui Ecclesiæ charitatem, sed almæ crucis meritis & divini Spiritus ductu, quibus junctim hodie sacra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum splendorem munditiamqne restitui. Dixi.

Habita fuit Oratio in Æde Lateranensi,
quinto Nonas Majas M. D. XII.

Num. VI.

Appellatio universitatis Parisiensis.

Pro sacrarum Electionum & juris communis defensione,
adversus
Concordata Bononiensia. A. 1517.

Non est, ut diffusius, hic, *de Sanctione*, apud Gallos ita dicta *Pragmatica*, de qua in ipso Opere quædam monuimus, differamus, aut in genuinam ejus inquiramus ætatem, atque authorem primum, aut eviscerremus, quæ indè à multis annis Seculo XIII. & XIV. Jam per varios Pontifices, ad eam abrogandam sunt instituta molimina, cum hæc ad aliud forum pertineant. Id monere saltem proderit, in his ipsis, quæ sub *Pragmaticæ Sanctionis* nomine deinceps venerunt, vel ritibus, vel scitis, atque *decretis*, uti Electiones Episcoporum & Abbatum, reliquorumve Ecclesiæ Gallicanæ Prælatorum, manebant liberæ, atque vel à capitulis vel à monachis ipsis dependebant, beneficia autem conferebantur juxta receptas leges, ita, omnes Curiæ a) Romanæ exactiones,

a) Sunt hæc ipsius illius Constitutionis verba, à SARPIO in Tract. de Beneficiis §. XXXV. p. 206. 207. adducta: „ Statuimus & ordinamus „ primò, ut Ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, & beneficiorum „ collatores ordinarii jus suum plenariè habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.... Item promotiones, collationes, provisiones, & „ dispositione prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum Regni nostri, secundum „ dispositionem, ordinationem, & determinationem juris communis, „ Sacrorum Conciliorum, Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum „ Sanctorum Patrum, fieri volumus & Ordinamus. Item exactiones & „ onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri imposita, vel impositas, quibus miserabiliter regnum nostrum depauperatum extitit; sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut „ colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, pia, & „ urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, & de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri. „

nes, omnem in conferendis beneficiis simoniam, omne jus collationis papale, sub amittendi beneficii pœna, Prælatis, qui collationem sibi à Papa fieri paterentur, prohiberi, nihilque adeó, tam fuisse Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque Libertati salutare, aut Monarchiæ Pontificiæ contrarium, quam eandem hanc *Sanctionem*; Sed &, nihil Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque Libertati accidere potuisse magis funestum, quam illam antiquationem, cum qua simul imminens Ecclesiæ ruina, ab iis, qui ad gubernacula sedebant, prospiciebatur, ut, quidquid erat Virorum in Gallia doctorum, iis, inter FRANCISCUM I. & LEONEM X. in *Sanctionis* hujus locum substitutis *Concordatis*, obloqueretur, seseque opponeret: Quæ res, eruditè atque solide ab *Edm.* RICHERIO est exposita in ejus *Hist. Concilior.* L. IV. P. II. Cap. V. p. 52. seqq. Enimverò hæc fuit ratio, quod Ordo Amplissimus *Parisiensis Academiæ*, per hanc, quam hic exhibemus, solennem *Appellationem*, testatum fecerit, quam Tota Universitas huic instituto reclamaret: Hæc vero *Appellatio*, cum publicum deploratissimi status Ecclesiæ Romanæ eorum temporum præbeat testimonium, tum eandem Annalibus his subjungere non dubitavimus, prouti & BOCHELLUS in Decretis Ecclesiæ Gallianæ L. VIII. Tit. XXV. C. VIII. p. 1249. & RICHERIUS l. c. p. 44—51. & V. E. LOESCHERUS in Act. & Document. ad Reformat. spectantibus Tom. I. p. 554. & seqq. eandem nobis exhibuerunt.

Ea ita se habet, retento etiam vetusto, licet vitioso, scribendi genere.

Universis præsentes litteras inspecturis Rector & Universitas magistrorum doctorum & scolarium parisiis studẽn. Salutem in dno. Notum facimus quod nos apud Sctm bernhardum parisiꝰ super infrascriptis & aliis nostris negotiis agendis, per juramentum convocati & congregati, modo & forma contentis in quodam codice papireo. (cujus tenor inferius describitur & inseritur) provocavimus & appellavimus provocamus & appellamus. Cujus quidem codicis papirei tenor sequitur, & est talis: Premissis expresse protestificationibus quod contra unam sanctam catholicam &

Apoſtolicam eccleſiam, quam totius orbis eſſe magiſtram. & obtinere principatum credimus. ſanctæque ſedis Apoſtolice auctoritatem. ac ſanctiſſimi dni noſtri Pape bene conſulti poteſtatem nihil dicere intendimus. Si quid ex lubrico lingue forſan male dictum ſit parati emendare. Sed quoniam is qui vices dei gerit in teris. quem Papam dicimus. quamvis a deo poteſtatem immediate habeat. per hanc poteſtatem non impeccabilis efficitur, nec poteſtatem non peccandi accepit Ita ut ſi quid quod injuſtum eſt faciendum eſſe præceperit pacienter ſuſtinere debeat ſi non fiat, quod ei prava fuerit inſinuatione ſuggeſtum. eique parendum non ſit. ſi quid contra divina precepta ſtatuens decreverit. immo ei reſiſti jure poteſt. quod ſi illi potentum auxilio falſa forſam ſuggeſtione. vel minus ſano conſilio deceptorum adjuto reſiſti non poteſt. Sublataque ſunt reſiſtendi remedia. Unum tamen jure naturali proditum eſt. quod nullus princeps tollere poteſt, appellationis remedium. cum ſit quædam defenſio, que jure divino. naturali. & humano cuique competit. que non poteſt auferri a principe. Ut in Cle. paſtoralis. de ſen. & re judi. & notat ſplendor ille Canoniſtarum. Imo. in c. que in eccleſiarum De conſtitut. Ad hujusmodi ergo appellationis remedium (quo oppreſſi relevantur) confugientes. nos rector & univerſitas ſtudii pariſienſis. Illuſtriſſimi ac Chriſtianiſſimi principis noſtri Francorum regis filia primogenita, antiqua ſtudiorum parens. vice ac nomine nris ſingulorumque Doctorum. Magiſtrorum. Ac ſcolarium pariſien. ſtuden. animoque & intentione provocandi & appellandi. A perſonis. Et gravaminibus infra ſcriptis dicimus. & proponimus. noſque loco & tempore oportunis. & congruis probaturos offerimus que ſequuntur. Imprimis quod cum priſcis illis temporibus hereſes multe pullularent plurimique errores inſurgerent. & chriſti fidelium diſſidia orirentur eccleſiaſticique ſtatus deformatio conſpiceretur. Fuerunt ſacra generalia concilia proinde ſtatuta. in quibus hereſes extirparentur. mores reformarentur. Chriſticolarum diſſidentium adinvicem reconciliationes fierent prout ſacrorum generalium conciliorum incumbit officio. Et precipue ante omnia ſacra Conſtantien. & Baſilien. concilia. que ſucceſſive ac legitime in ſpiri-

ſpiritu ſancto congregata univerſalem Eccleſiam repreſentatia quamplurima circa premiſſa ſtatuerunt. maxima circa ſtatus eccleſiaſtici. tam in capite. quam in membris reformationem. que illis diebus precipue indigere reformatione videbantur. cum deformitates in eccleſia dei excreſcere. & mores corruptos eandem eccleſiam inficere conſpicerent. ut repreſſis deformitatum ſcelerumque regnantium enormitatibus perniciofis. que per criſtianitatem (ſpretis antiquorum Patrum decretis & inſtitutionibus ſalutaribus) multas clades multaque diſcrimina injeciſſe videbantur. divinus honor refloreret in terris. lumen catholice veritatis Chriſto vera luce auxiliante effulgeret. & eccleſiaſtice libertatis conſervatio ſubſiſteret. populusque Chriſtianus ſalubriter regeretur. & ad ſalutem perducerentur eternam. Et inter cetera perpendit ipſum ſacrum Baſilienſe concilium qualiter per ſanctos patres antiquos. ſacri Canones ſalubriaque decreta pro felici regimine jam dicti ſtatus eccleſiaſtici, tam ſuper electioibus. modisque miniſtros eccleſiæ aſſumendi & inſtituendi conditi fuerunt. qui quam diu fuerunt obſervati. eccleſia dei fructus honoris & honeſtatis felici ubertate produxit. diſcipline eccleſiaſtice vigor perſtitit, religio. pietas. charitas. ubertim floruerunt, hominesque inquietudine animi conſtituti. deum auctorem pacis devotiſſime coluerunt Sed poſtquam damnate ambitionis improbitas. & deteſtande cupiditatis inſaciabilitas humanitatis jura violando. ipſa ſanctorum patrum decreta paulatim cepit deſerere. atque contemnere & in vicia ruere. ſubſecute ſunt deformationes ſtatus eccleſiaſtici. atque deculorationes & uſurpationes præſertim per prelaturarum dignitatumque & aliorum beneficiorum reſervationes. & gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum a jure exorbitan. multiplicationes & innumerabiles conceſſiones. & alia graviſſima & importabilia onera. quibus eccleſie eccleſiaſticeque perſone graviter afflicte. & fere ad externam evacuationem & deſtructionem illis diebus ruere conſpiciebantur. Cum beneficiorum eccleſiaſticorum patrimonia & bona indigni occupabant. & ſepe dignitates, ac beneficia notabilia & opulentiora perſonis conferebantur incognitis. & indignis. que in iisdem beneficiis minime reſidebant, & animarum

cura,

cura, que eſt ars artium. neglecta. velut mercenarii ſolum temporale lucrum querebant. ſicque cultus minuebatur divinus. animarum cura negligebatur. eccleſiaſtica jura periebant. ruebant edificia. que magnificentia extruxerat deceſſorum. Et clerici literarum ſcientiis. & virtutibus effulgentes. qui ad Chriſtiane plebis edificationem ſalutarem vacare poſſent. quorum perlucida & ſalutaria documenta predictam illuſtrarent eccleſiam. decorarent virtutibus. & moribus infomarent per quos quaſi per luminoſas ardentesque lucernas ſuper candelabrum in domo domini poſitas (errorum tenebris profugatis) totius corpus eccleſie. tanquam ſydus irradiaret matutinum. eorumque fecunda facundia celeſtis irrigui gratia influente ſcripturarum enigmata reſerarent obſcura dilucidarent. dubiaque declararent. profundisque ac decoris illorum ſermonibus ampla ipſius eccleſie fabrica velut gemmis vernantibus rutilaret. & verborum elegantia ſingulari glorioſius ſublimatata choruſcaret que etiam regnorum. & rerum publicarum conſiliis forent oportuni propter ſpem congrue promotionis eis ablatam divinarum. & humanarum ſcientiarum ſtudia deſerebant. viſu per reſervationum & expectativarum occaſione captande mortis aliene votis ingerebatur. lites ſuſcitabantur. contentiones & rixe inter Chriſti miniſtros oriebantur. ambitio pluralitatis beneficiorum execrabile fovebatur pauperes clerici variis & innumeris perſonarum & rerum diſcriminibus ſubjiciebantur. beneficia quoque eccleſiaſtica, per litium involutiones. & multiplicationes ſepius injuſte occupabantur. & ſine divinis officiis ſepius remanebant. materia injuſtis vexationibus parabatur. abuſus peſtiferi. horrenda & deteſtanda ſpecie labis ſymoniace reſperſi committebantur. juvenibus bone indolis. quam in ſtudioſis & virtuoſis actibus incendere deberent evagandi materia prebebatur & breviter ſtatus eccleſie confundebatur. plurimaque adverſus divina. & humana jura in animarum perniciem. ac eccleſie & regnorum. atque provinciarum (precipue Regni Franciæ & Delphinatus Viennen.) oppreſſionem. & deſtructionem perpetrabantur. quorum quarumque theſauri in extraneas regiones aſportabantur. Ut eo exhauſto ſacerdotioque depreſſo regna ipſa. & ſubditi debiliores in adverſis rede-

derentur. beneficiaque jam non gratis (juxta Euangelicam doctrinam Christique preceptum dicentis. Gratis accepistis. gratis date & contra concilium lateranense &c. unicum. ecclesiastica beneficia.) sed cum summa ambitione & avaritia. aurique & argenti exactione conferebantur. His igitur tam detestabilibus incommodis divine procul dubio displicentibus voluntati, saluberrime providere cupiens concilium Basiliense memoratum, Contra hec saluberrima constituit. & edidit statuta, & decreta, volens. & ordinans. ut tales ecclesie preficerentur Pastores. qui tanquam columne & bases ipsam ecclesiam doctrina & meritis firmiter sustentarent. non quidem per reservationes generales ecclesiarum hujusmodi. sed per electiones. & confimationes canonicas, juxta juris communis dispositionem ecclesiis ipsis metropolitanis, cathedralibus monasteriis collegiatis ecclesiis & dignitatibus electionis vacantibus debite provideretur Reservationes generales hujusmodi reprobando. (certis duntaxat exceptis) certam salutaremque formam antiquis formis a jure introductis adjiciendo. Et insuper ut per singulas ecclesias ministri instituerentur idonei qui scientiis & virtutibus effulgerent ad Christi gloriam. & populi Christiani salutarem edificationem. reprobando multitudinem grārū expectativarum que dignorum ministrorum institutioni. & promotioni obviabat. ac reservationes quascunqe beneficiorum. sive per Papam. sive per legatos reprobans, ac nullas & invalidas declarns. Voluit insuper, & statuit ut per prelatos & eos ad quos beneficiorum collatio & dispositio. spectare dignoscitur. viris studiosis ceterisque qualitatibus specificatis preditis qui per universitates generalium studiorum ejusdem prelatis. & Patronis nominarentur Canonice provideretur. certis modificationibus. & decreto irritante adjectis. preterea ut fraterna charitas in clero. & populo vigeret. & ne quis proximum suum indebitis vexationibus opprimeret. sed justitia ordine debito cuilibet ministraretur. ad obviandum infinitis abusibus & variis incommodis. que inoleverant. statuit ut pro salute & quiete subditorum. Justitia in ptibus cum honestate & facilitate ministraretur. ne studentes, & alii subditi extra regna. & provincias suas ad curiam Romanam traherentur. & citarentur. ne etiam per hoc hujus-

jusmodi regnorum. & provinciarum facultates, exhaurirentur Damnavit insuper hujusmodi sacrum concilium, abusum illum jam damnatum de annatis solvendis salutifere prohibens illarum exactionem. & solutionem. Multaque alia sancta & salubria statuit idem concilium ad divini cultus augmentum ac salutem ac quietem subditorum que omnibus innotescunt. Que quidem statuta serenissimus ille Princeps divini nominis & ecclesiastici honoris exaltator devotissimus & conservator excellens Karolus septimus Francorum Rex in suo celebri concilio ecclesie Gallicane Bituri celebrato recenseri fecit. & ea salutifera. & suo regno ac Delphinatui utilissima, saluti & quieti subditorum consulens inconcusse servari precepit. & per Regnum & Delphinatum promulgari fecit. prout conservata & observata fuerunt ac ex eorum observantia cultus perseveravit divinus. salus advenit subditorum. omniaque in eisdem Regno & Delphinatu prospere successerunt. Sed romani propriis cupiditatibus. & commoditatibus inhiantes, attendentes his mediis aurum & argentum. sicut antea. ex dictis Regno & Delphinatu ad se pro suo voto non deferri. hujusmodi statutis invidentes ea per Romanos Pontifices arrogari facere studuerunt. quod auxiliante domino hactenus prohibitum extitit donec advenit dominus Leo Papa decimus. qui Romanis plus debito favens. in quodam cetu in Romana civitate. que contra nos est. nescimus qualiter, non tamen in spiritu domini congregato. cum quo nihil contra legem divinam & sacra Concilia statui. decerni aut ordinari potest. Opera enim que ego facio ipsa testimonium perhibent de me. premissa tam salutifera statuta abroganda esse, nescimus quo fretus consilio, censuit contra fidem Catholicam. & auctoritatem sacrorum generalium conciliorum veniendo sacrum Basiliense concilium damnavit. In quo inter cetera judicatum est gloriosam virginem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam. nec de illo habet ecclesia aliam decisionem. quedam alia statuta pro libito voluntatis. (cum venia dictum) sit condendo. in Perniciem Regni & Delphinatus predictorum. & subditorum illustrissimi Principis nostri Francie Regis detrimentum. Per hoc enim Canonicas electiones. quibus sancte & salubriter ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus Mona-

Monasteriis. & aliis collegiatis ecclesiis eorundem Regni & Delphinanus providebatur destruxit. Hujusmodi ecclesiarum provisiones cum vacaverint sibi reservando. collocationesque & interpretationes beneficiorum non expresso vero valore irritas esse declaravit. subditorumqne Regni in prima instantia per Cardinales & curiales sedis Apostolice passim vocari. & nominationes universitatum in parte reprobavit & damnavit. ita ut à modo si talia statuta tolerarentur. non hi quibus virtutum merita. & literarum scientia. sed quibus pecuniarum acervi. & potentum favores suffragabuntur ad ipsarum ecclesiarum non dicimus regimen. sed proh dolor perniciem & ruinam assumentur. cum hujusmodi personarum mores ac vicia non perscrutabuntur. & indigni sepius ad regimen assumentur animarum, contra sacri generalis concilii salutiferum statutum. recte judicans nihil esse quod ecclesie dei magis officiat. quam quod indigni assumantur prelati ad regimen animarum. & propterera statuens. ut is ad quem pertinet electionis confirmatio, processum electionis & electi personam diligenter examinet. antequam eidem electio. munus confirmationis impendat penam contra facien. imponens Per hec etiam & alia que idem dominus Leo statuendo decrevit. viris studiosis & literarum scientia pollentibus spem promotionis ademit. Et aptissimum modum. facultates. & substantiam totius Regni & Delphinatus exhaurien. invenit. q̀que etiam hujusmodi Regni & Dephinatus subditi improbis machinationibus ad Curiam Romanam evocentur. Et indebitis vexationibus fatigentur. hujusmodi que sic novis editis statutis jam dictus dominus Leo Papa serenissimum Principem nostrum Franciscum Regem modernum in partibus Italicis agentem in maximo strepitu armorum consensum prebere quorundam suasu cœgit. Et, ne promissionis infractor idem princeps illustris videatur, jam dicti domini Pape monitis obtemperans. hec que dicta sunt de novo edita statuta (que CONCORDATA vocantur) ruinam ecclesie. totiusque Regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque universitate & aliis quorum intererat non vocatis nec auditis publicanda esse imperavit non dijudicans quam ei dictoque Regno & Delphinatui & subditis perniciosa esse viderentur. Ex quibus

bus nos Rector & universitas gravatos lesosque & oppressos esse sentientes, cum per ea ad superius enarrata incommoda sensim deveniri posse prospiciamus. Idcirco a domino nostro Papa non recte consulto, & jamjam dicti sacri Basiliensis concilii ac subsecute & ei adheren. pragmatice sanctionis statutorum abrogatione. novorum statutorum editione, consensus prestatione. ac attentata illorum quadam publicatione & omnibus inde secutis & secuturis tam pro nobis. quam omnibus & singulis suppositis ipsius universitatis. & nobis ac illi adherentibus & adherete volentibus. Ad futurum concilium legitime. ac in loco tuto. Et quem libere. & cum securitate (non eadem universitas vel a nobis. & ab ea deputandi) adire poterimus. Et ad illum vel illos. ad quem seu quos de jure. privelegio consuetudine vel alias nobis provocare licet & appellare. provocavimus & appellavimus. prout in his scriptis provocamus & appellamus. Instanter. instantius. & instantissime protestan. hanc appellationem prosequi per viam nullitatis. abusus. iniquitatis vel injusticie. Et alias prout melius poterimus optione nobis reservata (Astantes in testimonium invocantes) addendi. diminuendi. mutandi. corrigendi & in melius reformandi, omnique alio juris beneficio. nobis ac nostris adherentibus & adherere volentibus semper salvo. Datum & actum Parisiis in nostra congregatione generali apud sanctum Bernhardum solenniter celebrata Anno domini millesimo quingentesimo decimo septimo die vicesima septima mensis Martii ante pascha. Postmodum vero preinserta appellatione sic interjecta die prima Mensis Aprilis, vir venerabilis magister Arnulphus Monart in artibus magister & in jure civili licentiatus, noster procurator generalis & ad hoc specialiter constitutus coram venerabili & circumspecto viro magistro Guillermo Huc, utriusque juris licen. insignis ecclesie Parisien. Decano tanquam coram persona autentica. & in dignitate constituta personaliter comparens. Tum illum seu illos. ad quem seu ad quos appellamus adire non possumus hujusmodi appellationem. & contenta in ea nomine nostro & pro nobis intimavit. insinuavit & notificavit, Apostolosque cum instantia debita sibi dari petiit & requisivit. Qui quidem dominus Decanus cum reverentia & honore de-

debitis eidem appellationi reverenter detulit & Apoſtolos reverentiales & tales quales de jure & conſuetudine vel privilegio dare poterat & debeat. dedit & conceſſit. Acta fuerunt hec ultimo dicta & facta in eccleſia Pariſien. Anno & die predictis. Preſentibus ibidem venerabili & ſcientifico viro Magiſtro Petro de Valle in Theologia doctore Canonico dicte eccleſie Pariſien. & Magiſtro Arturo Alouff, in artibus magiſtro, teſtibus ad premiſſa vocatis & rogatis. Sic ſignatum le. Roux & hubert & ſigillata in duplici cauda & cera rubea, magno ſigillo dicte univerſitatis.

Lapellation de Luniverſite de Paris pour les Recteurs Docteurs Maiſtres Regens Eſtoliers & ſuppoſtz dicelle & leurs adherens des greifz & cy deſſus declarez.

Num. VII.

Indulgentiarum à TEZELIO. & SAMSONIO venditarum quædam Exemplaria.

Non melius nec vividius nefandam illam Indulgentiarum nundinationem poſſe deſcribi, perſuaſi ſumus, quam ſi ipſa quædam hujus modi Bullarum benevolo lectori demus Exempla, ex variis Authoribus, qui Originalia horum exemplorum habuerunt, depromta, quæ id cumprimis evincant, & ampla nimis his nundinatoribus data fuiſſe privilegia, & libertatem juſto diffuſiorem; Quanquam ipſi tamen hi Authores quoque obſervent, nundinatores eos, nequidem intra ſuos limites ſubſtitiſſe, quin potius non ſemel ſui muneris leges transgreſſos eſſe, atque tabulas eam in rem editas longe adhuc liberius extuliſſe, iisdemque plus quam vel fieri ex authoritate Papali debuiſſet, tribuiſſe, quando v. g. impiè affirmant: *Non opus eſſe ut qui has tabulas teneret perpetratis peccatis tantopere doleret, proque iis apud Deum unquam de-*

precaretur, addentes, *eandem iis gratiam, qua cum Deo reconciliari homo queat, contineri* & sim. Quidquid sit, horum exemplorum *primum* debemus, Viro Cl. HERM. von der HARDT, qui illud omnium primus singulari impressum tabula A. 1696. publicavit. Vid. Ej. Facula Philolog. p. 77. & ejusdem Histor. Literar. P. VI. p. 12. Unde Cl. KAPPIUS in *Theatro Nundinationis Tezelianæ* statim in principio operis, illud depromtum nobis exhibuit. *Secundum* exemplar HOEPFNERUS in Saxonia Evangelica p. 121. seq. ex ipso Originali publicavit primus, atque ex eo idem KAPPIUS l. c. p. 26. seq. *Tertium* antehac à *Dan.* CRAMERO in Chronico Pomeraniæ p. 37. editum, itidem suæ collectioni inseruit doctiss. KAPPIUS lib. cit. p. 35. *Quartum* desumsimus ex HOTTINGERI Hist. Eccles. Sec. XVI. Part. III. pag. 164. & seqq.

A.

ALBERTI Moguntini, Diploma
Indulgentiarum Leonis X. Anno 1517.

ALBERTUS Dei & Apostolicæ sedis gratia sanctæ Moguntinensis sedis ac Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Primas & Sacri Romani Imperii in Germania Archi-Cancellarius, Princeps Elector, ac Administrator Halberstattensis, Marchio Brandenburgensis, Stettinensium, Pomeraniæ, Cassuborum, Sclavorumque Dux, Burggravius Nurenbergensis, Rugiæque Princeps, Et Guardianus fratrum ordinis Minorum de observantia Conventus Moguntini, per Sanctissimam Dominum nostrum Leonem Papam decimum, per provincias Moguntinenses ac Magdeburgenses, ac illarum & Halberstattensis civitates & diœceses, nec non terras & loca, illustrissimi & illustrium Principum dominorum Marchionum Brandenburgensium temporali dominio mediate vel immediate subjecta, Nuncii & Commissarii, ad infra scripta specialiter deputati, Universis & singulis præsentes literas inspecturis Salutem in Domino. Notum facimus, quod Sanctissimus Dominus noster Leo, divina providen-

videntia Papa decimus modernus, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, ad reparationem Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum sancti Petri de Urbe juxta ordinationem nostram manus porrigentibus adjutrices, ultra plenissimas indulgentias ac alias gratias & facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt, juxta literarum Apostolicarum desuper confectarum continentiam misericorditer etiam in Domino indulsit atque concessit, ut idoneum possint eligere confessorem presbyterum secularem, vel cujusvis etiam mendicantium ordinis regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis & excessibus, ac peccatis quibuslibet, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam in dictæ sedi reservatis casibus, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicujus instantiam latis, de concensu partium, etiam ratione interdicti incursis, & quorum absolutio esset eidem sedi specialiter reservata, Præterquam machinationis in personam sanctissimi Pontificis, occisionis Episcoporum aut aliorum superiorum prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos aut alios prælatos, falsificationis litterarum apostolicarum, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infideliuum, ac sententiarum & censuarnm, occasione aluminum tulfæ apostolicæ de partibus infidelium, ad fideles contra prohibitionem Apostolicam delatòrum, incursarum, semel in vita & in mortis articulo quotiens ille imminebit, licet mors tunc non subsequatur, Et in non reservatis casibus totiens quotiens id petierit, plenarie absolvere, & eis pœnitentiam salutarem injungere, Nec non semel in vita & in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam, ac remissionem impendere, & eucharistiæ sacramentum (excepto die Paschatis & mortis articulo) quibusvis anni temporibus ministrare, Nec non per eos emissa pro tempore vota quæcunque (ultramarino, visitationis liminum apostolorum & sancti Jacobi in Compostella, religionis & castitatis votis, duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, autoritate apostolica possit & valeat. Indulsit quoque idem sanctissimus Dominus noster, præfatos benefactores, eorumque parentes defunctos, qui cum charitate decesserunt, in

pre-

precibus, suffragiis, elemosynis, jejuniis, orationibus, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus, & ceteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota universali sacrosancta Ecclesia militante, & in omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Et quia devoti, *Meckel relicta Rodts*, *Peters & Adam Rodt*, ad ipsam fabricam & necessariam instaurationem supra dictæ Basilicæ principis Apostolorum, juxta sanctissimi domini nostri Papæ intentionem & nostram ordinationem de bonis suis contribuendo se grat*os* exhibuer*unt* & libera*les*, in cujus rei signum præsentes literas a nobis accepe*runt*, ideo eadem autoritate apostolica nobis commissa & qua fungimur in hac parte, ipsis, quod dictis gratiis & indulgentiis uti & iisdem gaudere possint & valeant, per præsentes concedimus & largimur. Datum *in Göttingen* sub sigillo per nos ad hæc ordinato, die *prima* mensis *Julii*, Anno Domini M. CCCCC. XVII.

Forma absolutionis totiens quotiens in vita.

Misereatur tui &c. Dominus noster JEsus Christus per meritum suæ passionis te absolvat, autoritate cujus & Apostolica mihi in hac parte commissa & tibi concessa, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Forma absolutionis & plenissimæ remissionis, semel in vita & mortis articulo.

Misereatur tui &c. Dominus noster JEsus Christus per meritum suæ passionis te absolvat, & ego autoritate ipsius & Apostolica mihi in hac parte commissa & tibi concessa te absolvo primo ab omni sententia excommunicationis majoris vel minoris, si quam incurristi, deinde, ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi plenissimam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo etiam tibi pœnas purgatorii, in quantum se claves sanctæ matris Ecclesiæ extendunt. In nomine Patris & Filii & SS. Amen.

B.

Diploma Indulgentiarum Arcimboldi, unà cum subscriptione TETZELII ejus Subcommissarii.

JOhannes Angelus Arcimboldus, Juris Utriusque Doctor, Praepositus de Arcisate, Protonotarius & Referendarius Apostolicus, nec non ad Coloniensem, Treverensem, Salzburgensem, Bisuntinensem, Bremensem, ac Upsalensem, provincias illarumque, ac Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, Attrebatensem, Caminensem & Misnensem civitates & dioeceses, super executione plenissimarum indulgentiarum immensae Fabricae basilicae Principis Apostolorum coelorumque Clavigeri de urbe Nuncius & Commissarius, a Sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro, D. Leone Papa X. specialiter deputatus, prout in literis ejusdem sanctissimi Domini nostri Papae sub plumbo editis plenius continetur, Dilecto nobis in Christo *Andreae Hummelshayn* salutem in Domino sempiternam.

Exigente piae devotionis affectu, quem nos erga Deum, & dictam basilicam te habere cognovimus, eo quod pro continuatione tam immensi operis ex pinguedine charitatis juxta Apostolicum indultum manus porrexisti adjutrices. Ideo autoritate Apostolica nobis tradita * te concedimus facultatem eligendi idoneum secularem, vel cujusvis etiam mendicantium ordinis regularem confessorem, qui confessione tua diligenter audita, pro commissis per te excessibus, criminibus, delictis atque peccatis quantumcunque gravibus & enormibus, etiam sedi Apostolicae reservatis, etiamsi talia forent, propter quae sedes ipsa Apostolica esset merito consulenda, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicujus instantiam latis, de consensu partium etiam ratione interdicti incursis, & quorum absolutio dictae sedi esset reservata, praeterquam machinationis in perso-

K nam

* Ita contra Syntaxin habet litera diplomatis, cui, caetera omnia impresso Tetzelius nomen petitoris indulgentiarum, & pronomina applicationis *te*, *tuorum*, *tibi*, *tuis* manu sua inscripsit.

nam summi Pontificis, occisionis Episcoporum & aliorum superiorum Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos & alios Prælatos, Falsificationis bullarum & literarum Apostolicarum, Delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, & sententiarum & censurarum occasione aluminum sanctæ matris Ecclesiæ, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem Apostolicam, delatorum incursarum semel in vita, & in non reservatis casibus toties, quoties id petieris, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam & remissionem impendere, ac pœnitentiam salutarem injungere, nec non Eucharistiæ Sacramentum, præterquam in die Paschæ, & in mortis articulo aliis anni temporibus ministrare, & emissa per te vota quæcunque, ultramarino, ingressus religionis, & castitatis votis duntaxat exceptis, in utilitatem dictæ fabricæ commutare possit. Ita tamen, quod durante tempore præsentis commissionis & publicationis, cum præfato Commissario, vel Subdeputatis ab eo super commutatione dictorum votorum in utilitatem dictæ fabricæ fiat compositio, nec non tibi & parentibus cæterisque defunctis tuis, qui in sinceritate fidei & unitate sanctæ matris Ecclesiæ decesserunt omnium & singularum Missarum, Orationum, divinorum officiorum, jejuniorum, disciplinarum, stationumque, eleemosynarum, suffragiorum, omniumque bonorum Spiritualium, quæ fiunt & fient, in perpetuum in universali Sacrosancta militante Ecclesia, & membris ejus participationem impartimur. In quorum fidem & testimonium præsentes fieri, & sigilli, quo in talibus utimur, fecimus appensione muniri. Datum in Wortzen, Anno M. CCCCCXVI. die 24 Mensis Apr. Pontificatus præfati sanctissimi Domini nostri, Anno 4.

Forma Absolutionis plenariæ, præmissa confessione.

Misereatur tui &c. Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sanctissimæ passionis te absolvat, & ego autoritate ejusdem, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, sanctissimi Domini nostri Papæ tibi concessa, & in hac parte mihi commissa te absolvo: primo ab omnibus censuris Ecclesiasticis per te quomodolibet incursis: Deinde ab omnibus peccatis, delictis & excessibus tuis hacte-

ctenus per te commissis quantumcunque enormibus, etiam sedi Apostolicae reservatis, in quantum claves sanctae matris Ecclesiae se extendunt, remittendo tibi per plenariam indulgentiam omnem poenam in purgatorio pro praemissis tibi debitam, & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiae, & unitati fidelium ac innocentiae & puritati, in qua eras, quando baptizatus fuisti, ita quod tibi decedenti clausae sint portae poenarum, & sint apertae januae Paradisi deliciarum, quod, si non morieris, salva sit ista gratia, quando alias fueris in mortis articulo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

FR. JOHANNES TETZEL
Sub-Commissarius manu propria scripsit.

C.

Diploma Indulgentiarum TETZELII
Generalis subcommissarii
Alberti Electoris Moguntini.

Frater JOHANNES TETZEL, ordinis praedicatorum, Conventus Lipsiensis, sacrae Theologiae Baccalaureus ac haereticae pravitatis Inquisitor a Reverendissimo in Christo Patre & Domino, Domino *ALBERTO*, Sanctarum Magdeburgensium & Moguntinensium Ecclesiarum Archi-episcopo, Primate & Sacri Romani Imperii in Germania Archi-cancellario, Principe Electore & Administratore Halberstadendisi Marchione Brandenburgensi, Stetinensi, Pomeraniae, Cassuborum, Sclavorumque Duce, Burggravio Norinbergensi, ac Rugiae Principe, Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Leonis, divina providentia Papae decimi, ac ejusdem sanctae sedis Apostolicae ad Magdeburgenses & Moguntinenses provincias, ac illarum, & Halberstadenses civitates & Dioeceses, nec non terras & loca Magdeburgensium & Moguntinensium Archi-episcoporum, & Marchionum Brandenburgensium temporali dominio mediate vel immediate, directe vel indirecte subjecta, pro executione sacratissimarum indulgentiarum, pro fabrica Basilicae

 prin-

principis Apostolorum de urbe in forma Jubilæi concessarum nuncio & Commissario, una cum Guardiano fratrum minorum S. Francisci de observantia in civitate Moguntina, in hac parte collega suo, Sub-Commissarius generalis, cum potestate substituendi ad præfatas provincias & diœceses, ac omnia illustrissimorum & illustrium Dominorum Marchionum dominia prædicta deputatus & constitutus, dilecto nobis in Christo *Tilemanno de Kopenik* Brandenburgensis Diœcesis, salutem in Domino sempiternam. Exposuisti nobis, quod volebas suem percutere, in quo casu puer tuus, te non vidente, tibi appropinquavit, quem (percutiendo post suem) contra omnem voluntatem tuam, cum infinita cordis tristitia, tetigisti & occidisti. De quo peccato ex intimo doles. Unde volens saluti animæ tuæ consulere, a nobis de oportuno Absolutionis remedio tibi provideri humiliter postulari fecisti. Quocirca nos, qui salutem quorumlibet quærimus, te, qui nobiscum secundum vires tuas in commodum præfatæ fabricæ compositionem fecisti, autoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, ab homicidio misericorditer absolvimus: Teque eadem autoritate per nos *a dicto homicidio absolutum esse*, per præsentes denunciamus literas. Mandamus etiam omnibus & singulis, ad quos pervenerint, sub sententiis, censuris & pœnis, in literis facultatum nostrarum Apostolicarum contentis, ut fidem hisce tribuant, te plenissime absolutum esse, statuant, hujusque cædis nequaquam te quisquam accuset. Ad fidem & Testimonium, sigillum præfatæ fabricæ. quo ad hujusmodi utimur, impressimus. Datum Berlin, Anno Domini 1517. 5. Octobris, Anno quinto Imperii sanctissimi Domini nostri Papæ &c.

D.

Diploma Indulgentiarum signatum
per F. Bernhardinum SIMSONEM.

LEo Papa X. Universis præsentes literas inspecturis pateat, *qualiter propter eleemosynariam contributionem factam juxta formam Apostolici indulti infra scripti, in subsidium fabricæ Basilicæ, Principis Apo-*

Apostolorum de urbe concessum est, ut Magnificus & Nobilis D. Antonius Spilman cum uxore sua D. Dorothea Rossin, cum filiabus suis, & Ægidio, Patre suo, cum tota familia sua uti, potiri, & gaudere valeant beneficio & indulto Apostolico per literas sub plumbo datas Romæ apud S. Petrum in subsidium & reparationem Basilicæ, Principis Apostolorum de urbe, à S. D. N. Leone Papa X. noviter emanatas, anno incarnationis Dominicæ 1517. 18. Cal. Octobris, Pontificatus verò ejusdem anno quinto: Et facultatis sive Commissionis á præfato S. D. N. in & super eisdem literis concessæ & factæ Reverendissimo in Christo Patri & Domino, D. Christophoro de Forlivio, Tituli S. Mariæ in Ara Cæli Presbytero Cardinali, ac totius ordinis Minorum Ministro Generali super 25. provinciis in Bulla numeratis: Et sub quibus etiam tota Italia, Sicilia, Corsica, Creta, Cyprus, Rhodus usque ad Hierosolymam: Dalmatia, Croatia, Bosnia, Hungaria, Austria, Bohemia, Polonia, ac Insulæ maris mediterranei continentur: & consequenter mihi infra scripto, tanquam ab eo prædicta authoritate Apostolica, deputato & delegato, ac etiam (*hæc in margine*) præfati S. D. N. Papæ Nuncio & Commissario Apostolico Generali in partibus Dominorum Helvetiorum, prout patet in literis Apostolicis datis Romæ in forma Brevis, apud S. Petrum d. 15. Novemb. 1517. quantum ad infra scripta, videlicet, quod præfati possint *idoneum eligere Confessorem*, Presbyterum, secularem vel Regularem, cujuscunque ordinis etiam Mendicantium; qui Confessione eorum diligenter audita, pro commissis hactenus tempore electionis per eos excessibus, delictis, & peccatis quibuscunque, *etiam Sedi Apostolicæ reservatis; & à Censuris Ecclesiasticis, etiam quarum absolutio dictæ Sedi reservata foret:* Etiam de his, quæ in Cœna Domini reservantur (præter quam occasione machinationis in personam summi Pontificis; occisionis Episcoporum, Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos, aut alios Prælatos; falsificationis Bullarum, aut literarum Apostolicarum, delationis armorum, aut aliorum prohibitorum ad partes in fidelium Aluminum Tulphe; ac de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem Apostolicam delatorum inversis, *non tamen sub spe & prætextu præsentis Commissionis*, ac prævia satisfactione dejure competenti) in vita semel, nec non in articulo mortis, & quo-

 tiens

tiens de illo dubitatur; abſolutionem & remiſſionem ac plenariam Indulgentiam impendere: In non reſervatis verò caſibus & Cenſuris, licet aliis, inferioribus Papa, forent reſervati, totiens, quotiens id petierint, abſolutionem impartire, ac pœnitentiam ſalutarem injungere. Ac quæcunque tunc per eos emiſſa vota (ultramarino, ingreſſus religionis, ac caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare: *Omnia inſuper juramenta in quibusvis contractibus, inſtrumentis & obligationibus (præter quam in foro Cameræ) relaxare:* Et ab eisdem, nec non à quocunque perjurio abſolvere valeat. Similiter præfati eligentes, Quadrageſimalibus, *& aliis temporibus prohibitis, ovis, butyro, caſeo, & aliis lacticiniis, ac etiam carnibus de utriusque Medici conſilio*, uti, frui, veſci, liberè, & licitè, & absque conſcientiæ ſcruplo poſſint. Nec non omni tempore anni, etiam in die Paſchatis, & in mortis articulo (ſine tamen Rectoris & proprii Curati præjudicio) Euchariſtiæ ſacramentum ubicunque voluerint, & à quocunque Prêsbytero, ſeculari vel regulari devotè ſuſcipere: *Et ſi perſonæ Nobiles aut Presbyteri extiterint* altare portatile, quod cum debita reverentia & honore retineant, & ſuper quo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis, etiam non ſacris, & Eccleſiaſtico interdicto, generali & ſpeciali, tam Apoſtolica, quam ordinaria authoritate ſuppoſitis (dummodò hujusmodi interdicto cauſam non dederint) habere etiam antequam eluceſcat dies (circa tamen diurnam lucem) in ſua ac ſuorum domeſticorum præſentia, juxta formam capituli, Alma, de ſententia excommunicationis, libro ſexto: Miſſas & alia divina officia per ſe ipſos, qui Presbyteri ſunt, aut pro tempore erunt, celebrare, ſeu per alios ſacerdotes celebrari facere. Tempore quoque interdicti iſtiusmodi divinis intereſſe, & eorum corpora (ſine funerali tamen pompa) Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ. *Ac demum tot & ſimiles Indulgentias & peccatorum remiſſiones, quas ſi ſingulis diebus Quadrageſimalibus & totius anni ſingulas dicta nobis & extra Eccleſias, quæ Chriſti fidelibus propter ſtationes dictæ urbis aſſequendas, viſitare ſolent*, perſonaliter viſitarent, aliquam vel aliquas Eccleſiam vel Eccleſias, juxta ejusdem Nuncii & commiſſarii, ſeu deputandi, vel deputandorum, aut ſubdelegandorum ab eo providam ordinationem ſuper hoc faciendam devotè viſitando, *& in capſis* (NB.) *ad hoc in ſubſidium dictæ fabricæ, pias eleemoſynas effectualiter*

por-

porrigendo consequeretur, auctoritate Apostolica per dictas literas concessa, consequi possint & valeant. (*In margine sua videtur manu Samsonius adscripsisse:* Pro stationibus consequendis conceditur, ut eligant, quamcunque Ecclesiam voluerint, dicendo ter Pater nostri; & totidem Ave Maria.) Conceditur etiam Apostolica authoritate, ut accipiens istud Confessionale, & juxta ordinationem Commissarii, & ab eo deputatorum manus adjutrices ad opus fabricæ porrigens, *omnium spiritualium bonorum, quæ fient in tota universali Sacro-Sancta Ecclesia militante, particeps in perpetuum fiat.* Constitutionibus & ordinationibus, ac literis Apostolicis quorumcunque Prædecessorum Romanorum Pontificum, *præsertim Pauli II. & Sixti IV.* quibus expresse & sufficienter per dictas literas derogatur; cæterisqus aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunq;. Adhæc præfatus S. D, N. per prædictas literas inhibet ordinariis & aliis quibuscunque sub Excommunicationis latæ sententiæ; *& quingentorum Ducatorum auri fabricæ prædicta applicandorum pœnis*, ne post concessionem, confessionem, & absolutionem hujusmodi, de præmissis casibus, se quovis modo intromittere, vel tales contribuentes, quominus hujusmodi facultatibus & gratiis liberè uti, potiri & gaudere valeant, impedire aut molestare. Aut ipsi Commissario, vel delegandis. vel subdelegandis ab eo, aut eorum Ordine regularis observantiæ, *modo aliquo in præmissis, vel eorum occasione detrahere: Aut eosdem, dictas Indulgentias, & facultates* (NB. hæc iterum Institoris manu) *emisse, vel super eis cum aliquo convenisse, & composuisse, præsumant asserere.* Ista tamen Confessionalia se non extendunt *ad commutationes votorum emissorum, sive absolutiones peccatorum commissorum, ante receptionem illorum;* quia tunc de emissis votis, sive commissis peccatis, aliàs reservatis, debent absolvi, sive dispensari à Deputatis: Suffragabuntur autem postea pro futuris. In quorum omnium præmissorum fidem ego *F. Bernhardimus Samson*, de Mediolano, Ordinis Minorum, Regularis observantiæ ad præmissa deputatus, manus propriæ subscriptione, & sigilli impressione munitas præsentes tradidi literas, & consignavi. Dat. Bernæ 1518. d. 15. in Novemb.

Num.

Num. VIII.

MAXIMILIANI Imp. Edicta duo
Indulgentias concernentia.

MAXIMILIANUM I. Imperatorem in ipso Opere jam diximus pag. 85. admodum graviter de corruptionibus Ecclesiæ quas vividè sibi repræsentabat, sæpius esse conquestum, eundemque Nundinationes illas Papales quibus tota ferme opibus exhauriebatur Germania, ægrè tulisse, atque improbasse; Huc certè illud facit, quod Cl. SCHELHORNIUS ex ipso Originali autographo, quod in *Memmingensium* asservatur Bibliotheca, nobis suppeditavit, Edictum ejus, quo *Memmingensibus* severe A. 1515. interdixit, ne à familiæ Dominicanæ monachis Augustanis, indulgentiarum mangonibus, loculos sibi emungi paterentur, quodque ex ipse *Amoenitatibus literariis* Tom. VI. pag. 312, 313. huc retulimus, sub lit. A. Intereà tamen, cum nec ipse Imperator ei tempestati, quæ universum orbem obruebat sedandæ par esset, factum est, ut non solum ipse Imperator, eodem adhuc anno, hoc ipsum edictum revocaret, quam revocationem E. S. CYPRIANUS inseruit Præfationi ad Fr. Myconii Histor Reform. p. 12. sed & ut ipse *Arcimboldus*, tum cum Papales Indulgentias Leonis X. in *Misnia* atque Episcopatu *Camminensi* venundare vellet, ab ipso hoc *Maximiliano* literas obtineret, si non commendatitias, saltem tales, quæ et indulgerent nimium, et huic ipsi perverso negotio faverent, quas itidem literas, ob rei memoriam ex W. E. TENZELII Histor. Reformat cap. II. pag. 102, 103. hic exhibere visum fuit, sub lit. B. bona ut speramus cum Lectorum nostrorum, quotquot hujusmodi monumentis rei antiquariæ delectantur, gratia.

A.

Maximiliani Edictum adversus Indulgentias
A. 1515. d. 7. Martii.

Wir Maximilian von Gots Gnaden Erwelter Romischer Kayser zu allenn zeiten Merer des Reichs Germanien, zu Hungarn, Dalma-

macien, Croacien, &c. Kunig, Erz-Herzog zu Osterreich, Herzog zu Bungundi zu Brabannt und Pfalzgrave, &c. Empieten unnsern und des Reichs liebengetreuen Burgermeister und Rat der Stat Memmingen unser Gnad und alles guet. Lieben Getreuen. Unns ist glaublich angelangt, wie die Brueder Ordens zu Augspurg in verschiener zeit von Bäpstlicher Heiligkeit ain Indulgennz und Ablass zu Bauung irs Closters daselbs zu Augspurg auf Ewr und etlich annder unnser und des Reichs Stat erlangt, und in Chrafft desselben Ablas ain merkliche Summa gelds darauf einpracht haben, und noch für und für einbringen sollen. Dieweildann solchs on unnser als Römischen Kaysers wissen und verhengnus beschehen ist, und die vom heiligen Geist in Saxea zu Rom (a) auch solch Indulgenz und Ablas erworben, die wir dann denselben vom heiligen Geist, in betrachtung, das solch Gelt allain zu underhaltung der Armen dürfftigen um Goz willen und zu Goz diensten und kain ander sachen angelegt wirdet, auf ir bete, auf Ewr und etlich annder unnser des Reichs Stet zuvor zuegelassen haben. Demnach und damit durch solch der Prediger oder annderer Ablas unnser und dess Reichs unnderthannen nit erschöpft, und die vom heiligen Geist mit Irer Indulgenz verhindert werden, so empfehlen wir Euch bey vermeydung unnser sweren ungnad und straff ernstlich gepietend und wollen, das Ir alles das Gelt, so die benannten

(a) Ordinis S. Spiritus institutum est, miseros, valetudine & ætate infirmos, pauperes, orphanos & expofititios fuscipere. Ejus igitur curæ demandata sunt Nosocomia & Xenodochia, inter quæ caput effert magnum illud & amplissimum hospitale Romanum, cui adjacet templum S. Spiritus in Saxia, ita vocatum a Saxonibus exulibus, qui Caroli M. ævo Romam venisse, ac in ea regione templum, B. Virgini Mariæ consecratum, ædificasse dicuntur, prout refert Maximilianus Misson in Itinerario Part. II. p. 736. edit. Lipf. 1713. Hunc ordinem seculo a Christo nato duodecimo instituit Guido ex Comitibus Montis pessulanis, de cujus primatu jam a longo tempore disceptant Romani & Montis pessulani. Qui illis cum tribuunt, etiam extari, se nominant fratres Ordinis S. Spiritus Romæ in Saxia, quale Monasterium hodienum floret. vid. Petri Saulnier Galli, Romanæ domus Professi Diss. de capite Sacri Ordinis S. Spiritus, in qua ortus, progressusque ordinis totius, ac speciatim Romanæ domus amplitudo, prærogativum jus, & œconomia differuntur, edit. Lugd. 1694. in 4. & alia scripta, quæ est observatio Cl. SCHELHORNII, in notis ad h. l.

ten Prediger oder yemands annder aufferhalb der vom heiligen Geist in Saxen also erlangt, in Arrest und verpot leget, und das bis auf weiter unsern bevelch nyemands volgen, auch hinfüro solchen Ablas unnd Indulgenz der Prediger Munich, noch yemands anndern, sonder unnsers wissen, in Ewr Stat weiter nit publiciren, ausgeben anschlahen noch verkunden lasset, sonnder unns dieselben zueschiket, und dawider ganz kayn annders thuet, damit wir nit geursacht werden, in annder weg gegen Euch zu handlen. Daran thuet Ir unnser gefallen, und Maynung. Geben in unnser Stat Ynsprugg am sybenden tag des Monats Marcy, nach Cristi Geburt funffzehenhundert und im funffzehenden, unnser Reiche des Romischen im dreyssigsten und des Hungarischen imfünff und zwainzigsten Jaren, &c.

B.

Maximiliani Edictum in favorem Arcimboldi A. 1516. d. 27. Augusti.

WIr Maximilian von Gottes gnaden erwehlter Romischer Keyser zu allen zeiten Mehrer des reichs, in Germanien, zu Hungarien &c. bekennen, das wir den Ehrsamen unseren lieben andachtigen Johannsen Arcimboldo Bäbstlichen legaten, zugelassen und erlaubt haben, wissentlich mit den brief, alzo das er die päbstliche Indulgentz in den Stifften Meissen und Camyn publicieren und gebrauchen, und alles geld, so davon gefallen, haben und nehmen mag, von männiglich unverhindert: und entfelen darauff unsern fursten den Bischoffen zu Meissen und Camyn, ernstlich und wollen, dass sie den genannten Pästlichen Legaten solch Jubel-geld ohn irrung folgen lassen: das ist unsere ernstlyke meyning: Geben in unserm Schloss Ernberg am 27 tag des Monats Augusti anno 1516. unsers reichs im 31 Jahre.

Ad mandatum Domini Imperatoris proprium.
Auscultata et collationata est præsens copia per me Johannem Helbigk de Friberga Clericum Lipsiensis dioeces. publicum, sacris Apostolica et Imperiali authoritatibus Notarium, et concordat cum suo vero originali, quod attestor manu mea propria.

Num. IX.

Num. IX.

ALBERTI Moguntini
Summaria Instructio Sub-commissariorum in causa Indulgentiaria.

HOc documentum ad *Historiam Reformationis* spectans, longè rarissimum, ex Bibliotheca Amplissimi *Senatus Lipsiensis*, omnium primus denuò publicavit Cl. KAPPIUS in Theatro Indulgentiarum Tetzelianarum Num. VI. pag. 117--185. tantique illud æstimavit, ut non detrectaverit laborem, illud in Germanicam simul linguam convertendi: Judicavimus itaque opportunum, idem illud inde repetere, illudque nostris hisce, ad illustrandum illud negotium Indulgentiarium, Monumentis inserere.

Instructio summaria ad Sub-commissarios: Penitentiarios & Confessores pro executione gratie plenissimarum indulgentiarum ac aliarum amplissimarum facultatum, in favorem fabrice ecclesia seu Basilice principis apostolorum de urbe: per Sanctissimum dominum nostrom Papam Leonem decimum modernum in forma Jubilei largissime concessarum subdeputandos & ordinandos.

ALBERTUS Dei & Apostolice sedis gratia, sanctarum Magdeburgensis ecclesie ac Moguntinensis sedis Archiepiscopus, Primas & sacri Romani imperii in Germania Archicancellarius, Princeps elector ac Admi-nistrator Halberstadensium ecclesiarum. Marchio Brandenburgensis, Stetinensis, Pommeranie, Cassuborum, Sclavorumque Dux, Burggravius Nurenbergensis & Rugie Princeps, & Guardianus fratrum ordinis minorum de observantia conuentus Moguntini, prefatarum gratie plenissime indulgentie aliarumque apostolicarum facultatum, specialiter conjunctim & in solidum Com-

mis-

missarii apostolici deputati. Cunctis viris ecclesiasticis secularibus & quorumcunque ordinum, etiam mendicantium regularibus pro executione negotii plenissimarum indulgentiarum: aliarumque facultatum &c. In favorem fabrice Basilice principis apostolorum de urbe per sanctissimum dominum nostrum Leonem Papam decimum nuper in forma jubilei gratiose concessarum sub deputandis & eligendis Salutem in domino sempiternam. Mittimus circumspectioni vestre processum summarium in executione negotii indulgentiarum hujusmodi observandum. Quem vos omnes & singuli diligenter & fideliter omni dolo & fraude cessantibus: & in quantum humana fragilitas permittet. sub juramento: quod propterea expresse tenebimini in manibus nostris: aut officialium nostrorum: seu eorum quos ad hoc ipsum specialiter deputaturi sumus servare ac sequi debetis.

1 Confessores tenentur jurare fidelitatem.

Volumus insuper quod si aliquis ex vobis hujusmodi nostrum summarium processum ac infra scripta mandata, inhibitiones, instructiones, informationesque. scienter frivole & in fraudem dicti nostri negotii transgredi presumpserit: quod eo ipso censuris sententiis & penis in literis apostolicis contentis & fulminatis sit innodatus. Et quod ab hujusmodi censuris sententiis & penis sic incursis non nisi a sanctissimo domino nostro Papa, aut nobis. seu eis quibus quod ad hoc mandatum speciale dabimus absolvi possit.

2 Transgressores hujus summarii sunt ipso facto innodati sententiis in bulla latis.

3

Item primo ordinamus quod nostri Subcommissarii deputandi & penitentiarii ac confessores. per nos aut eos eligendi. ante omnia querere debeant honorem omnipotentis dei. Salutem animarum: ac sancte sedis Apostolice reverentiam, predicteque fabrice profectum & utilitatem. Si vero quod absit. aliquis predictorum: huic nostro statuto frivole & in fraudem dicti negotii contravenire cogitaret vel disponeret. Iste sciat quamprimum hujusmodi cogitare efficaciter ceperit se privatum esse auctoritate penitentiarii: & audiendi confessiones. Et si contumaciter pre-

Confessores per quid privantur auctoritate concessa.

Confessores quomodo

presumpserit: sic privatus & absolutus audire confessiones: tunc ipso facto pro tunc prout ex nunc ipsum censemus esse innodatum censuris, sententiis & penis in Bulla Apostolica fulminatis, a quibus absolui non debet: nisi a sanctissimo domino nostro Papa: aut nobis vel aliis quibus quoad hoc mandatum speciale dabimus.

incidunt penas latas.

Volumus insuper, quod Subcommissarii per nos deputandi: ac Penitentiarii & Confessores, per nos aut dictos nostros Subcommissarios eligendi. In locis commissionis nostre honeste ac probe quoad vitam & conversationem se habeant: tabernas suspectaque loca omnino devitando & simpliciter abstinere debeant a sumptuosis & inutilibus expensis. ne ipsorum exercitia contemnantur: quorum vita despicitur. Nos insuper in talibus notorie culpabiles & convictos gravissime puniemus: quam etiam animadversionem nobis absentibus. nostris Subcommissariis per presentes committimus.

4 Subcommissarii & Confessores honeste vivere debent.

Item Ordinamus & statuimus quod dicti nostri Subcommissarii ac per nos aut eos eligendi Confessores, studeant pro summa virili Penitentiarios apostolicos Rome constitutos cum omni decentia representare. & propterea prefati Penitentiarii & Confessores. Sedes pro confessionum audientia sibi assignatas: debent per suprapositionem unius de armis summi pontificis insignire. Adjuncto etiam titulo nominis & cognominis sui in grossa & magna scriptura.

5 Confessores representant penitentiarios urbis tempore Jubilei.

Quibus etiam inhibemus ne sub sermonibus & crucis stationibus in locis publicis: & etiam nimis secretis aut obscuris, prefatam confessionum audientiam exerceant: quominus videantur populum a fructu divini verbi retrahere, vel scelerum latibula delegisse.

6 Sub sermonibus non debent audiri confessiones nec in obscuris locis.

Precipimus etiam eis sub censuris sententiis & penis in Bulla apostolica fulminatis, ne aliquo pacto frivole se intromittant de absolutionibus, dispensationibus, commutationibus, compositionibusque casuum per Bullam Apostolicam nostram aperte & plane non concessis, aut per-

7 7 f g h Confessores de non concessis non se intromittant

permissis. Nec se intromittant ad faciendas absolutiones censurarum per ordinarios & alios judices latarum: nisi forte de consensu partium hoc fiat. Veruntamen poterunt dicti nostri Subcommissarii ac Penitentiarii innodatos sententiis est censuris per ordinarios & alios judices latis absolvere in foro conscientie: & ad effectum dictas indulgentias consequendi duntaxat: premisso quod a sic absolvendis prius accipiant idoneam mediante juramento cautionem: quod infra terminum competentem parti lese si nondum fecerunt & poterunt: satisfaciant. Ac insuper excommunicatori se presentare velint, suis mandatis pro viribus parituri. A sententiis autem & censuris per Canonem latis: & etiam non ad alicujus instantiam, nostri Subcommissarii & penitentiarii confitentes sibi simpliciter absolvere poterunt: non solum vigore gratie plenissime remissionis, octennio nostre commissionis durante: sed etiam auctoritate confessionalis redimendi post dictum Bulle nostre nostrumque octennium finitum.

Confessores absolvunt a sententiis judicum ad effectum consequendum indulgentias & quomodo.

Item absolvunt a sententiis & censuris juris & non ad instantiam partis latis simpliciter.

8 Modus celebrandi stationes omni die.

Item statuimus quod in singulis locis in quibus cruces erigentur, pro predictis indulgentiis quam diu crux erecta permanserit: quotidie seu quotiens nobis seu Subcommissariis nostris visum fuerit post vesperas & completorium; seu ante Salue: aut alio tempore laudes crucis per clerum & penitentiarios cum baculis albis, & Subcommissarium in fine & medio eorum stantem, debita cum solennitate & devotione coram cruce exolvantur: & stationibus hujusmodi peractis, Subcommissarii cum penitentiariis & confessoribus in Sacristia pro dubietatum, difficultatumque emergentium resolutione conveniant. In qua conventione confessores non fictorum & impertinentium casuum: sed duntaxat vere pro tunc occurrentium eis, dubia si qua habent proponere debent.

a Conventio confessorum pro casibus resolvendis.

9 Ubi confessiones audiri debent.

Item ordinamus, quod penitentiarii & confessores nequaquam audiant confessiones: preterquam in ecclesia in qua crux erecta fuerit: nisi impeditarum personarum utpote infirmorum, senum, mulierum impregnatarum, ac si-

ſimilium aliorum. Et etiam magnorum nobiliumque virorum, niſi ex aliqua cauſa magna videatur dictis Subcommiſſariis noſtris concedendum eſſe, aliquibus confeſſoribus aliquas perſonas vel caſus extra dictam eccleſiam: & in aliis locis ad id aptis, in confeſſione audiendi, quod dictorum noſtrorum Subcommiſſariorum diſcretioni committimus.

y 10

Item ordinamus quod in qualibet civitate & loco. In quibus predicte facultates & indulgentie fuerint publicate, quam diu crux erecta permanſerit, per totum tempus illud, tres ſaltem fiant ſermones in hebdomada: videlicet die dominica aliiſque feſtivis diebus per hebdomadam: vel ſi non ſint feſta: quarta & ſextis feriis.

In locis erectionis crucis ſingulis hebdomadis tres ad minus ſermones fiant.

Tempore autem Adventus & Quadrageſime quottidie hora congrua fiat unus ſermo: & in diebus feſtivis duo: in eccleſia in qua crux erecta fuerit. Volumus etiam quod ſub eiſdem horis alibi non predicetur etjam per quoſcunque, niſi forte de licentia generalis Subcommiſſarii ſpeciali obtenta.

In adventu & quadrageſima ſingulis diebus predicabitur.

11

Volumus etiam quod domini predicatores in ſuis ſermonibus Bullam cum ſuis articulis omnibus, per primam octavam, erectionem crucis immediate ſequentem populo ad integrum declarare debeant, referendo inter predicandum maximam ſummi Pontificis & vicarii Dei auctoritatem, hujuſmodi gratiam & facultates dare potentem, & quam neceſſaria ipſa ſit omni homini vitam perhennem habere volenti. Et omnino non negligant per dictam primam octavam: ac in omnibus ſuis depoſt futuris ſermonibus, populo immenſum illum & inappreciabilem dictarum indulgentiarum & facultatum apoſtolicarum fructum, aperire & manifeſtare, quam dicto octennio durante, & pro ſe, ac animabus fidelibus defunctis ex hujuſmodi indulgentiis aſſequi poſſunt.

In prima hebdomada poſt erectionem crucis Bulla totaliter debet declarari in ambone.

12

Volumus etiam quod dicti predicatores ſolum textualiter procedendo exponere debeant caſus, qui vigore Bulle & confeſſionalis abſolvi poſſint: atque in & ſuper qui-

Bulla debet textualiter declarari.

quibus casibus auctoritate dicte Bulle dispensatio, commutatio ac compositio fieri possint, peregrinis & impertinentibus questionibus simpliciter obmissis. Verba enim Bulle ex quo profunda & sublimia sunt: satis arduam & abundantem materiam: exclusis omnibus subtilitatibus requirunt: & revera ex mediis sacre Theologie jurisque canonici fontibus depromptam.

13 Indulgentie prelatorum debent intimari.

Prefati etiam predicatores populo insinuare debent indulgentias, quas domini prelati diocesium provinciarum nostrarum de thesauro sibi credito in majorem dicti negotii accumulationem pie erogarunt. Etjam eas quas nos ad hoc ipsum dedimus nostra auctoritate ordinarii.

14 In singulis sermonibus populus dicat unum pater noster.

Adhortari etiam debent predicatores in singulis suis sermonibus populum ad orandum unam orationem dominicam cum salutatione angelica pro felicitate domini nostri Pape, sancteque sedis apostolice: atque totius militantis ecclesie. proq; conversione peccatorum obduratorum & istud negotium frivole oppugnantium, eo quod impossibile est devotorum multitudinem non exaudiri.

15 Post primam octavam Predicatores debent in suis sermonibus quattuor vel tria puncta ex Bulla declarare.

Finitis itaque prime octave post crucis erectionem sermonibus, dicti predicatores debent de post & constanter in omnibus suis sermonibus ad minus tria vel quattour puncta summarii ex Bulla populo resumere: & ad plenum in quantum eis possibile fuerit interpretari: ac magnificare: ne per oblivionem tantarum concessionum populus indulgentiarum nauseam patiatur, & beneficium facultatum apostolicarum in despectum veniat.

C D 16 Populus debet invitari in singulis sermonibus ad promerendas stationes & redimen-

Predicatores etiam in singulis suis sermonibus populum monere debent: quatenus stationes ecclesiarum aut altarium diligenter visitent: ad consequendas dictarum stationum indulgentias. Et ut in redimendis animabus negligentes non inveniantur. Persuadeant etiam fidelibus Christi, quo pro summa virili studeant consequi participationem omnium bonorum totius ecclesie militantis. Que participatio hominum utilior est ad acquirendam gratiam ipsamque conservandam: ac ad vincendas potesta-

testatum tenebrarum temptationes, quam si in statu peccati mortalis per se, omnium bonorum hominum opera faceret. Dicantque Predicatores quod homines hujusmodi participationem possunt consequi ex litterarum confessionalium redemptione.

Item volumus insuper simpliciter quod Predicatores sequentia tria puncta populo in omnibus suis sermonibus intelligibili voce insinuare debent.

Primum quod Christi fideles indulgentias hujusmodi consequi volentes ex honestate seu devotione poterunt pro die confessionis sue jejunare. & statim altera die sequenti per manus sui pastoris curati: aut alterius idonei sacerdotis, in ecclesiis suis parrochialibus. vel ubi sibi magis placuerit venerabile sacramentum Eucharistie recipere.

Secundum Predicatores in singulis sermonibus debent suspensionem omnium indulgentiarum, dicto octennio durante factam, ac prohibitionem omnium questarum fiendarum: similiter dicto octennio durante, demandatam, populo efficaciter insinuare & intimare: ne pretextu indulgentiarum prius concessarum ac questarum (a) apud eos fieri solitarum. presentes nostras indulgentias ac inauditas apostolicas facultates negligat vel contemnat.

Tertium Predicatores non obmittant in omnibus suis sermonibus censuras, sententias & penas contra directe vel indirecte, inobedientes, rebelles & impeditores latas fidelibus efficaciter intimare. ipsosque avisare ne eas incurrant & incidant: eo quod ab eis non nisi a domino nostro Papa. aut nobis vel nostris Subcommissariis absolvi possunt.

. Item statuimus quod Predicatores in suis sermonibus. & penitentiarii in confessionum audientia. fidelibus diligentissime exponere debent. Predicatores in primis octo sermonibus continue: & in post futuris sepius. Confessores autem semper ad singulos sibi confitentes. causam necessariam: qua sanctissimus dominus noster motus est

dum animas. Valor maximus participationis bonorum operum exprimitur.

17 Nota quod predicatores sequentia tria puncta in singulis sermonibus declarabunt & insinuabunt.

3

18 a Causa concessionis hujus gratie.

 ta-

(a) *Questa*, dicitur tributum, quod exigitur, quæritur, petitur.

tales maximam gratiam & facultates prout in principio Bulle habetur dare & concedere: videlicet quoniam ecclesia beatorum Petri & Pauli que est caput omnium ecclesiarum mundi: per pie memorie Julium Papam usque ad fundamenta destructa sit. animo & intentione. construendi aliam novam, que prout decet parem in mundo habere non debet: eo quod aliarum est caput. Et apud eam Pape vicarii dei: qui etiam cum Christo unum possidet tribunal: sit residentia. & in ea varia maxime dictorum beatorum apostolorum Petri & Pauli & innumerabilium martyrum & aliorum sanctorum corpora sita sint: que corpora propter talem ruinam pluviis & grandinibus continue dehonestantur Quibus attentis sine magna ignominia sanctitatis sue: & totius Christiane reipublice. non posset diutius truncus ille informis & pluvialis remanere. Verum cum ecclesia ipsa sit tanto sumptu incepta. quod ad ejus perfectionem totius Romane ecclesie redditus non sufficerent.. Ideo ad Christi fidelium suffragia necesse fuit sanctitati sue devenire. quos ad ea facienda. his indulgentiis. que sunt proprius thesaurus sancti Petri deo ipsum instigante provocare voluit. Non erit ergo indignum fideles christi ad hujusmodi fabricam sancti Petri contribuere: ex quo idem beatus Apostolus ad hujusmodi contributionem recompensandam contribuentibus. thesaurum hunc suum & regnum celorum aperit & promittit.

Sequuntur quattuor principales gratie per Bullam apostolicam concesse. quarum quelibet per se sine alia potest obtineri. Circa predictas quattuor facultates predicatores summam suam diligentiam impendere & facere debent. singulas fidelibus efficacissime insinuando & in quantum eis possibile fuerit interpretentur.

19 e
Prima gratia principales & quomodo quecunque

Prima gratia est plenaria remissio omnium peccatorum qua quidem gratia nihil majus dici potest eo quod homo peccator & divina gratia privatus: per illam perfectam remissionem & dei gratiam denuo consequitur. Per

quam

quam etiam peccatorum remissionem sibi pene in purgatorio propter offensam divine Majestatis luende plenissime remittuntur atque dicti purgatorii pene omnino delentur. Et licet ad tantam gratiam promerendam nihil satis dignum possit retribui. eo quod donum dei & gratia estimationem non habet. tamen ut Christi fideles ad illam consequendam facilius invitentur, sequentem modum observandum statuimus videlicet.

persone eam consequi possunt.

20

Primo unusquisque corde contritus & ore confessus: vel saltem habens animum & intentionem ad confessionem faciendam tempore debito. Visitet saltem septem ecclesias ad hoc deputatas: videlicet in quibus affixa sunt arma Pape. & in qualibet ecclesia dicat devote quinque Pater noster, & quinque Ave Maria, ad honorem quinque vulnerum domini nostri Jesu Christi: per quem fuit facta redemptio nostra. Aut unum Miserere, qui psalmus ad veniam peccatorum impetrandam plurimum convenit.

21

Infirme persone quomodo facient.

Infirme autem & impedite persone visitabunt septem altária: per Commissarios seu Subcommissarios in ecclesia in qua crux erit deputanda. quibus similiter affixa erunt arma Pape, cum eadem devotione & orationibus ut supra.

22

Et si persone adeo infirme sint, quod ad talem ecclesiam commode venire non possent: tunc confessor suus seu penitentiarius deputabit aliquod altare ad locum idoneum secundum ejus discretionem. Quem visitando & ad vel ante altare orando indulgentias promereantur. ac si septem ecclesias visitarent.

23

Decumbentes in lecto quid facere debent.

His vero qui lecto incumbunt poterit deputari aliqua devota imago: coram qua vel ad quam aliquas orationes secundum Penitentiarii arbitrium dicant: quibus similiter pro visitatione ecclesiarum septem satis ecisse debent.

24

Non valentes ecclesias

Si vero aliqui vel aliqua visitationem ecclesiarum aut altarium predictorum aliqua ratione vel causa sibi pete-

 rent

vel altaria visitare quomodo compensabunt. rent remitti. tunc Penitentiarii audita ratione vel causa id facere poterunt. visitationem tamen predictam faciant majori contributione compensari.

25 c d

Modus contribuendi in cistam. Quo vero ad contributionem ad capsam pro dicte fabrice principis apostolorum constructione. In primis quidem debent Penitentiarii & confessores post expositam confitentibus hujusmodi plenarie remissionis & facultatum magnitudinem eos interrogare: pro quanta contributione vel pecunia aut aliis bonis temporalibus vellent secundum suam conscientiam dicta plenissima remissione & facultatibus carere. Et hoc ideo, ut postea possint ipsos facilius ad contribuendum inducere. Et quoniam nimis varie & diverse sunt hominum conditiones: quas considerare non valemus. & sic certas taxas imponere. Ideo visum nobis est communi cursu hujusmodi taxas ita posse distingui.

26. Contributio magnarum personarum.

Reges & Regine eorumque filii, Archiepiscopi & Episcopi, ac alii magni principes ad loca in quibus crux erecta est confluentes: aut alias in eis existentes solvant saltem florenos aureos Rhenenses viginti quinque. Abbates & ecclesiarum Cathedralium Prelati majores, Comites & Barones, ac alii nobiles potentiores & eorum uxores pro quolibet solvant florenos similes decem. Alii prelati & nobiles minores, ac Rectores insignium locorum. Omnesque alii, qui vel ex redditibus stabilibus vel mercibus aut alias communiter percipiunt in anno florenos similes quingentos, solvant florenos similes sex. Alii cives & mercatores qui percipiunt communiter florenos ducentos solvant florenos similes tres Alii cives & mercatores mechanici proprios redditus & familiam habentes florenum unum similem. Alii minores medietatem floreni similis. Et ubi premissa forma non posset ita perfecte teneri. Declaramus quod prefati Reges, Episcopi, Duces, Abbates, Prepositi, Comites, Barones, Nobiles magni & prefecti, aliique omnes qui supra juxta dictamen recte rationis, secundum magnificentiam &

Contributio mediocrium personarum.

Omnes persone tenentur imponere juxta consilium & de-

& liberalitatem suas Vicecommissariorum ac penitentiariorum & suorum confessorum audito consilio & decreto imponere debent, seu imponi curare, quo hujusmodi gratiam & facultates plene consequantur. Reliqui vero omnes arbitrio confessorum & penitentiariorum relinquuntur, qui semper agendo meliorem Fabrice conditionem hujusmodi sibi confitentes ad plus dandum inducere debent, neminemque gratia vacuum omnino dimittant, quia hic non minus salus Christi fidelium, quam fabrice utilitas queritur. Et qui pecunias non habent precibus jejuniis suam contributionem suppleant. Regnum enim celorum non plus divitibus quam pauperibus patere debet.

cretum sui confessoris aut subcommissarii.

27 De contributione uxoris & filiorum familias & vide quomodo imponere possunt.

Et licet uxor de bonis mariti eo invito disponere nequeat, tamen e propriis suis bonis dotalibus seu parafernalibus aut aliunde justo sibi modo provenientibus inuito marito, in hoc casu poterit contribuere. Si autem nihil habuerit: seu a viro impedita fuerit hujusmodi contributionem precibus suppleat. Quod etiam intelligendum esse volumus de filiis familias.

28 Uxores & filii familias pauperes debent contributionem petere ab aliis.

Si vero prefati pauperes mulieres & filii familias ab aliis divitibus devotisque personis hujusmodi taxas & contributiones mendicare: aut alias sibi procurare possent: tales sic acquisitas contributiones in cistas ponere debent. Ubi vero nulla via eis patet hujusmodi contributiones acquirendi: tunc precibus & orationibus tam pro seipsis quam defunctis prefatas gratias consequi possunt.

29 Circa impositiones & contributiones vicecommissarii & confessores moderationem facere habent secundum deum & conscientiam.

In premissis omnibus vicecommissariorum & confessorum moderatio locum habere debet: qui secundum deum & conscientiam oculum & respectum habere debent quatenus quieti conscientiarum & indemnitati personarum omnium predictarum feliciter consulatur.

30
Secunda gratia principalis continet signanter septem magna privilegia.

Secunda gratia principalis est confessionale plenum maximis & relevantissimis & prius inauditis facultatibus: quod etiam nostre Bulle octennio expirante semper vigorem vimque habebit. Cum textus Bulle dicat. *Nunc & imperpetuum participes fiant.* Cujus continentiam ac tenorem Predicatores & Confessores summis viribus explanare ac extollere debent. Conceditur enim in confessionali ipsum redimentibus: Primo facultas eligendi confessorem idoneum etiam mendicantium ordinum regularem: qui in primis eos a quibuscunque censuris etiam ab homine latis de consensu partium absolvat. Secundo a quibuscunque gravissimis delictis: etiam sedi apostolice reservatis: semel in vita & in mortis articulo. Tertio in casibus non reservatis sedi apostolice totiens quotiens. Quarto qui semel in vita & in mortis articulo quotiens ille imminebit licet mors tunc non subsequatur indulgentiam plenariam omnium peccatorum possit impendere. Quinto qui vota quecunque (ultramarino: visitationis liminum apostolorum: & sancti Jacobi in Compostella: Religionis & castitatis: votis sollenniter emissis, duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit. Sexto qui Eucharistie sacramentum omni tempore anni preterquam in die pasche: & in mortis articulo eis ministrare possit.

31
Confessionale redimitur pro quarta parte floreni Rhenensis. Collegia & monasteria debent componere cum generali subcommissario pro habendo

Statuimus autem quod unum ex hujusmodi Confessionalibus quatenus pauperes a gratiis in eo contentis non excludantur: pro quarta parte aurei floreni Rhenensis dari & distribui debet: nisi fortassis nobiles & ditiores ex eorum devotione & liberalitate aliquid plus dare voluerint. Quod quidem plus ultra taxam ordinariam, in capsa indulgentiarum imponi debet. Si vero collegia aut monasteria tam virorum quam feminarum tale confessionale peterent: tunc attendi debent numerus & facultates eorum per Subcommissarios: cum quibus etiam cum taxa componere debent. Qui etiam Subcommissarii scribendas literas confessionalis sigillare & eas manu pro-

propria subscribere debent cum annotatione taxe pro confessionali date.

confessionale.

Volumus etiam quod in Confessionalibus unus tantum inscribatur. nisi fuerint maritus & uxor qui sunt duo in carne una: quibus etiam addi poterunt filii & filie in eorum patria potestate existentes: propriumque peculium non habentes. Et quatenus predicti omnes ac pauperes: aliique mediocriter habentes hujusmodi confessionalia consequi valeant. Damus per presentes facultatem nostris generalibus Subcommissariis: taxandi numerum personarum inscribendarum: secundum quod viderint fabrice predicte propensius expedire.

32 Numerus personarum & quot earum in unus literis scribi debent.

Volumus etiam quod nomina singulorum comparantium confessionalia aut alias aliqua ex causa gratis ea obtinentium per distributores in speciali libro scribantur. Quodque iidem distributores sese singulis literis confessionalibus subscribant: ne in posterum ratio de eis reddenda deficiat: seu fraudulentus error occultetur.

33 Nomina comparantium confessionalia debent in registro scribi.

Volumus insuper quod dicte litere Confessionalis in omnibus nostre Commissionis locis in quibus etiam crux non est erecta, durante octennio per habentes a nobis vel nostris generalibus Subcommissariis in scriptis commissionem autenticam distribui possint.

34 In quibus locis hujusmodi confessionalia possunt distribui etiam gratia in eis non intronisata.

Tertia principalis gratia est participatio omnium bonorum ecclesie universalis, que in hoc stat, quod contribuentes pro dicta fabrica ac eorum parentes defuncti qui in charitate decesserunt. nunc & imperpetuum participabunt in omnibus precibus, suffragiis, elemosynis, jejuniis, orationibus, peregrinationibus quibuscunque: etiam ad terram sanctam. Stationibusque in urbe: missis, horis canonicis, disciplinis: & ceteris omnibus spiritualibus bonis: que fiunt & fieri poterunt in universali sacrosancta ecclesia militante: & omnibus ejus membris. Quam participationem fideles tunc consequuntur: quando literas confessionales redimunt. Circa quam facultatem Predicatores & Confessores summope-

35 Tertia principalis gratia est participatio omnium bonorum vide que & qualis sit.

pe-

pere insistere debent. fidelibus persuadendo ne ipsam & confessionale redimere negligant.

36 Ad redimenda confessionalia & consequendum participationem hujusmodi non requiruntur contritio & confessio.

Declaramus etiam quod pro dictis duabus gratiis principalibus consequendis non est opus confiteri: seu ecclesias aut altaria visitare, sed duntaxat confessionale redimere. Quamuis etiam aliqui de confessionalibus priorum gratiarum sunt provisi. Nihilominus tamen inducendi sunt: ad hec nostra etiam redimenda. Attento quod in nostris confessionalibus tres gratie magne conceduntur, que in aliis prioribus concesse non sunt. videlicet absolutio a censuris etiam ab homine latis. Insuper ab homine latis ad nullius tamen instantiam: & sacramenti Eucharistie per eligendum confessorem administratio. Atque votorum ultramarini, visitationis liminum apostolorum: & sancti Jacobi in Compostella: castitatis & religionis non solenniter emissorum atque omnium aliorum in alia bona opera commutatio. Que tamen commutatio durante nostro octennio pro fabrica sancti Petri fieri debet.

37 C Anime redimuntur per hujusmodi gratiam de purgatorio & quomodo.

Quarta principalis gratia est pro animabus in purgatorio existentibus: plenaria omnium peccatorum remissio: quam remissionem Papa dictis animabus in purgatorio existentibus: per modum suffragii largitur & concedit. Ita videlicet quod pro eis in capsam contributio per viventes fiat. qualem unus dare aut facere pro se haberet. Volumus tamen quod nostrorum Subcommissariorum moderatio in hujusmodi contributione pro defunctis facienda locum habere debet. atque eorum quibus ipsi eandem moderationem specialiter dare curaverint. Nec opus est quod contribuentes pro animabus in capsam sint corde contriti & ore confessi. cum talis gratia charitati in qua defunctus decessit: & contributioni viventis duntaxat innitatur: prout ex textu Bulle claret. Circa istam gratiam efficacissime declarandam Predicatores diligentissimi esse debent. eo quod animabus defunctis per hanc certissime subvenitur. Et negotio

gotio fabrice sancti Petri fructuosissime accumulatissimeque consulitur.

38 Sequuntur alie gratie preter priores.

Alie gratie & facultates Apostolice quattuor priores principales nunc sequuntur. Quas Domini Confessores & Predicatores non perfunctorie sed digestissime legere & ruminare debent. eo quod concessio ipsarum pene omnibus hominibus saltem ratione utentibus: & si non singulis in toto: tamen in parte aut partibus ad salutem necessaria est. Ipsarum etiam consecutio negotio fabrice sancti Petri propensiorem utilitatem affert. *ex quo ab antea tam largissime dispensationes, commutationes & compositiones a sede Apostolica non emanarunt.*

39 e d

Sciendum tamen quod eisdem facultatibus indigentes pro ipsis specialiter in usum presentis negotii ad Capsas positas imponere debent per se vel alias fide dignas personas si possunt: quantum alias pro ipsarum consecutione exponere haberent: videlicet versus urbem Romanam: aut ad sanctum Jacobum: vel alibi locorum: eundo: stando & redeundo ac desuper literas expediendo. Nisi domini Subcommissarii generales super hoc a nobis specialem commissionem habentes personarum & causarum meritis exigentibus duxerint taxam hujusmodi limitare.

k 40 Commutatio omnium votorum quomodo fiat.

Prima igitur est votorum omnium (exceptis votis visitationis liminum apostolorum & sancti Jacobi in Compostella: castitatis: religionis: & Hierosolimitani dumtaxat solenniter emissis) in usum dicte fabrice commutatio. Que commutatio dupliciter pro nunc fieri potest videlicet vigore plenissime remissionis & Jubilei ac confessionalis.

k 41

Volumus etiam quod nostri generales Subcommissarii non passim & indifferenter quibuscunque penitentiariis & confessoribus: atque aliis particularibus comissariis per nos seu eos deputatis, facultatem concedant vota quecunque commutandi Sed committant talibus ex eis quibus committendum esse perspexerint: & etiam

 quan-

quantum voluerint: & pro negotio expedire cognoverint: quod maxime obſervandum eſſe ſtatuimus circa vota majora. In minoribus autem in quibus expenſe eundi & redeundi cum oblationibus: aut onera voto incumbentia valorem decem florenorum auri Rhenenſis non excederent: poterunt particulares ſubcommiſſarii & Penitentiarii omnes compoſitionem facere, augendo ſemper dicte fabrice meliorem conditionem.

42 Diſpenſatio cum ſimoniacis quibuscunque & irregularibus.

Secunda facultas eſt diſpenſatio & compoſitio cum ſimoniacis & irregularibus: tam ſuper beneficiis quam ſuper indebite perceptis fructibus in utroque foro. Quam facultatem quantum ad ſimoniacos. ad vitandum ſecularium ſcandalum. Predicatores parce & cum modeſtia ac in genere explicare debent.

43 Subvencio ſimoniacorum ratione fructuum.

Quo vero ad eos qui indebite percepiſſent fructus beneficiorum Predicatores expresſius loqui poſſunt: eo quod conſcientie quo ad hoc multipliciter gravantur: videlicet ratione obmisſionis divinorum officiorum propter quam ad reſtitutionem fructuum perceptorum ex beneficiis ad ratam temporis in quo hore canonice obmisſe ſunt: tenentur & obligantur: quod etiam procedit in diſtributionibus quotidianis que canonicis reſidentibus dare conſueverunt. Nam ſi debite non reſiderunt: aut debitis horis aut aliis divinis officiis non interfuerunt ecce ſecundus modus. Vel aliquo modo ſtatutis eccleſie ſue fraudem fecerunt: qui eſt tertius modus conſcientiam gravandi: ad reſtitutionem diſtributionum ſic indebite perceptarum in foro conſcientie tenentur.

44 Generales ſubcommiſſarii habent in iſta facultate liberum arbitrium & quomodo. Simoniaci quando non

Circa iſtam facultatem particulares Subcommiſſarii & penitentiarii ac confeſſores omnes ſe habere debent prout generales Subcommiſſarii: aut unus generalis: quatenus unus tantum eſſet. eis committere & concedere decreverint aut decreverit: eo quod taliter ſimoniacus non habet beneficium: & ſic vacat. Unde per talem facultatem eidem providetur de beneficio in utroque foro. Pro qua gratia ad capſam ſolvat fructus unius anni be-

beneficii per ſimoniam obtenti: ſuper quibus generales Subcommiſſarii ſingularem reſpectum habere debent.

habent beneficia.

45 l o
Quid ſimoniaci & irregulares ad capſam dare debent.

Idem dicitur de his qui commiſerunt irregularitatem, ut ſolvant fructus unius anni: ex quo cum eis in utroque foro diſpenſatur. Advertendi etiam ſunt fructus beneficiorum & prebendarum. Si enim beneficium vel prebenda in corpore tenuis eſſet: ſed oblationes vel diſtributiones & alia extraordinaria eſſent pinguia: tunc ſecundum illa debet imponi gravior taxa: attento etiam iſto, quod cum talibus diſpenſatur quo ad ordines ſuſceptos & ſuſcipiendos: & ut in eis de poſt posſint miniſtrare.

46 l

Quo vero ad perceptos fructus beneficiorum per ſimoniam vel alias indebite. poſſeſſores eorum induci debent ſemper ad plus contribuendum: videlicet ut medietatem aut tertiam vel quartam partem & etiam minus quando qualitas indebite occupationis non eſſet gravis: aut eſſet aliquo modo excuſabilis.

47
Statutum de ſimoniacis & irregularibus non habentibus beneficia.

Si vero Simoniaci aut irregulares nulla haberent beneficia: tunc modus commiſſe Simonie aut contracte irregularitatis ponderari debet: & ſecundum quod magis vel minus gravis fuerit: ſecundum hoc gravior vel minor taxa eis imponi debet. Circa iſtam totam facultatem Subcommiſſariorum generalium moderamen ſalvum eſſe debet: quibus injungimus quod quo ad iſta nihil in fraudem negotii faciant, ſub cenſuris ipſo facto incurrendis in Bulla latis.

m 48
Compoſitio ſuper male ablatis incertis & etiam certis.
Compoſitio ſuper inventis.
Compoſitio

Tertia facultas eſt componendi ſuper male ablatis incertis. vel etiam certis in aliquibus caſibus videlicet infra ſcriptis. Quando foenerator deberet foeneratori: & ipſe requiſitus recuſaret uſuras reſtituere vel ſi privatis eccleſiis deberetur, in quibus Romana Eccleſia ſuccedere deberet aut poſſet de jure. Item in his que ad aliquorum manus quocunque modo pervenerint: ſed quibus reſtituenda ſint ignorent vel dubitent. Item in his que relicta fuerint: & que relinqui ac legari conti-

 ge-

super relictis pauperibus vel ecclesiis in genere.

gerit in futurum dicto octennio durante: pauperibus Christi in genere: vel alicui ecclesie sine determinatione. Istos omnes casus, debent Predicatores populo explicare: & super eis insistere ut bene intelligantur. Presertim in primo casu super male ablatis incertis: quoniam in hoc multi sunt illaqueati precipue mercatores, qui aliquos incognitos aliquo modo decipiunt plus vendendo quam merces valent. vel vendendo malum pro bono: vel accipiendo aliquid plus in precio ex eo, quia solutionem precii per tempus expectant: vel aliquibus aliis modis qui infiniti sunt.

m 49 In his casibus restitutio fieri debet & quomodo.

In his enim omnibus casibus restitutio fieri deberet: & nescitur cui. Unde examinent conscientiam suam in quam summam possent habere male ablata. & componendo ab omni male ablatorum restitutione liberabuntur. Similiter explanentur omnes alii casus de bonis certis: maxime quando aliquis deberet solvere aliquam summam piis locis aut pauperibus in genere: & forte non habeat commoditatem solvendi totam summam: tunc enim potest cum Subcommissariis componere in aliqua honesta portione & liberatur ab omnimoda solutione.

50 Confessores quomodo circa hanc facultatem se habere debent.

Ad illam facultatem Penitentiarii & Confessores se non intromittant: nisi circa eos qui haberent conscientiam lesam a viginti florenis Rhenensibus. Si vero conscientia in majori gravata esset: tunc Subcommissariis insinuare debent: & cum eis de debita taxa concludere. Veruntamen generales Subcommissarii in hujusmodi omnibus liberum habebunt judicium & moderamen. Ita tamen quod in fraudem negotii sub censuris & penis ut & quibus supra, nihil agant.

51 n Dispensatio cum ordinatis ante legitimam etatem.

Quarta facultas est dispensandi cum eis qui ante etatem legitimam sine dispensatione ad ordines sacros sunt promoti super irregularitate: & ut possint in susceptis ordinibus ministrare. Ista etiam facultas per Predicatores populo publicabitur: & inhibetur Confessoribus ne eos absolvant: sed communicent cum generalibus Sub-

Subcommiſſariis: aut quibus hoc commiſerint: qui cum talibus procedere debent ſicut in ſecunda facultate. De aliis irregularibus dictum eſt. Sed ſi non habent beneficia mitius cum eis agant.

52 n o

Quinta facultas eſt diſpenſandi cum his qui in gradu prohibito conſanguinitatis & affinitatis contraxerunt, ſcienter vel ignoranter. ſimiliter cum his qui contraxerunt impediti in aliqua ſpecie cognationis ſpiritualis. Seu cum his qui alias quomodolibet impediti contraxerunt.

53 o

In gradibus prohibitis lege divina non diſpenſatur.

Diſpenſatur in primo & ſecundo gradu affinitatis per copulam fornicariam contracto: & quomodo queat in foro conſcientie dumtaxat.

Si talis affinitas publicata. tunc poſſunt dirimi.

Pro quo ſciendum quod cum impeditis in gradibus divina lege prohibitis nullatenus diſpenſamus hujus gratie vigore. Sed in gradibus lege pontificia prohibitis diſpenſandum committimus ſic videlicet. Quod impediti in primo & ſecundo gradu affinitatis per copulam fornicariam contracto: & non publicam: ſi contraxerunt & matrimonium carnaliter conſumaverunt tunc ſic diſpenſamus cum eis quod primo eos a ſententia excommunicationis incurſa abſolvimus: ſecundo a peccatis. tertio proles ſuſceptas & ſuſcipiendas legitimas declaramus: damusque eis licentiam ut a novo contrahant vel ut in ſic contracto permaneant. Et hec omnia facimus in foro conſcientie dumtaxat. Si vero affinitas iſta contrahentium eſſet ex copula publica: ita quod ſciretur affinitas inter eos exiſtens. Aut hujusmodi impedimentum in judicium deductum fuerit: tunc propter ſcandalum publicum vitandum: cum talibus non volumus eſſe diſpenſandum. Bulla enim apoſtolica hujusmodi diſpenſationem non intendit. Si autem predicta affinitas perpetuo ſecreta manebit: tunc ſic contrahentes etiam perpetuo in matrimonio ſic contracto cohabitare: & proles in bonis eorum ſuccedere poterunt. Si vero in lucem talis copula fornicaria veniret: tunc per judicium contentioſum dirimi poterit.

o 54

In tertio & quarto gradu affinitatis

In tertio autem & quarto gradibus tam affinitatis quam conſanguinitatis in utroque foro tam conſcientie quam contentioſo diſpenſandum committimus. ut matri-

& consanguinitatis dispensatur in utroque foro super contracto sed non contrahendo.

trimonium de novo contrahatur: vel ut in contracto permaneant: & ut proles suscepte ac suscipiende legitime declarentur. Quod sic intelligi volumus, quod si aliqui contraherent, & matrimonium per copulam carnalem consumarent: qui in tertio vel quarto gradibus affinitatis seu consanguinitatis conjuncti essent, cum illis dispensandum esse committimus: sed minime cum volentibus contrahere de futuro.

n 55 Dispensatur cum omnibus impeditis cognatione spirituali excepto levante & levato in utroque foro.

Qui autem contraxerunt matrimonium & impediti sunt: per cognationem spiritualem, illos absolvimus omnes a peccatis. cum eis similiter in utroque foro dispensamus: ut in sic contracto matrimonio licite permanere valeant. Proles ut supra legitimas decernendo.

Si vero levans & levatus contraherent: cum his dumtaxat dispensari non potest: ut in contracto matrimonio permaneant.

56 57 Quomodo generales subcommissarii circa prefatas dispensationes se habere debent.

Volumus autem quatenus generales nostri Subcommissarii circa dispensationes sic impeditorum omnium, diligenter invigilent: & eas faciendas dumtaxat committant his: quos ad hoc idoneos esse cognoverint. Non autem passim omnibus & indifferenter: eo quod super hujusmodi dispensationibus in foro contentioso prefati nostri Subcommissarii patentes & autenticas litteras dare debebunt. Nostri etiam generales Subcommissarii hoc ordinare debent: quod indigentes hujusmodi dispensationibus tantum contribuere debent ad cistam, quantum pro ipsarum consecutione eundo scilicet ad urbem & redeundo atque etiam litteras desuper ibidem expediendo: respective exponere haberent. Poterunt tamen prefati nostri generales Subcommissarii & alii quibus hoc committent hujusmodi contributionem causarum meritis exigentibus limitare.

c d Quantum hujusmodi dispensationibus indigentes contribuere debent.

58 p Compositio cum detentoribus ho-

Sexta facultas est componendi cum injuste occupantibus bona ecclesiarum vel monasteriorum: qui judicialiter ad illorum restitutionem compelli non possunt: quia hi quibus restitutio fieri deberet non habent instrumenta & pro-

& probationes necessarias. Nam ita possidentes etiam si haberent penes se tales probationes, possunt componere: & facta solutione compositionis ad capsam, ab ulteriori restitutione dictis ecclesis liberabuntur: & quod in posterum libere retinere possint conceditur in utroque foro.

norum ecclesiarum & monasteriorum.

Volumus etiam quod predicatores sepissime hunc punctum in ambone efficacissime publicent. Dicendo quod hi qui saltem dubitarent: an hujusmodi bona haberent aut occuparent. quamuis hoc pro certo non scirent: facere deberent compositionem: eo quod in dubiis conscientiam concernentibus artior via semper eligenda est. Cum tamen sic dubitantibus an prefata bona occuparent: mitius agendum erit.

59 m Dubitantes se hujusmodi bona habere quocomodo componere debent.

Ad illam facultatem dumtaxat generales Subcommissarii nostri manum apponere debent. & pauci alii quibus hujusmodi committenda esse perspexerint. Verum tamen si hujusmodi compositio valorem viginti florenorum non excederet: poterunt Penitentiarii & Confessores se intromittere. Ita tamen quod sub penis quibus & ut supra, nihil in fraudem negotii: sed & semper meliorem negotii conditionem agant. Sic autem hujusmodi bona occupantes componere habebunt: quod medietatem valoris bonorum vel quantum generales Subcommissarii admiserint ad cistam ponant.

m 60 Prefata compositio generalibus Subcommissariis dumtaxat committitur

Septima facultas est apprehendendi & de jure assequendi ad usum dicte fabrice omnia bona, res & pecunias que hactenus relicta sunt & durante dicto octennio relinquentur pro male ablatorum restitutione in quacunque ultima voluntate: quibuscunque incertis ecclesiis aut piis locis & personis. Similiter & certis vel absentibus de quibus noticia haberi non possit. Quia illa sanctissimus dominus noster Papa dicte fabrice applicavit. Et advertatur quod differentia est inter istam facultatem & tertiam suprapositam: quia ibi non sunt relicta pro male ablatis. Et sic Papa non applicat fabrice sancti Petri

m p 61 Relicta pro male ablatorum restitutione:in quacunque ultima voluntate quomodo fabrice applicantur. Relicta certis vel absentibus perso-

nis incogni- tis fabrice applicantur.

tri: sed solum dat facultatem quod illi qui deberent illa dare incertis ecclesiis, piis locis, & pauperibus in genere, possunt si volunt non incertis ecclesiis vel pauperibus solvere: sed cum agentibus pro fabrica super illis componere. In isto autem presenti casu quia sunt relicta pro male ablatis dicte fabrice omnino applicantur. & sic possunt per agentes pro fabrica apprehendi.

P 62 Bona injuste detenta.

Similiter applicat Papa dicte fabrice omnia bona que per aliquos injuste detinentur. Sed illi quibus illa bona restituenda essent aliqua ratione non possunt illa repetere.

P 63 Bona relicta pro captivorum liberatione.

Item omnia bona que pro redemptione captivorum exponi deberent, & que ad dictam redemptionem: per quoscunque relicta sunt vel fuerint durante dicto octennio.

64 P Bona consumenda ex voto in conviviis.

Item omnia bona que ex voto, statuto vel consuetudine in conviviis vel aliis celebritatibus expendi deberent.

65 y Prefatos casus omnes predicatores & confessores intimare debent fideliter.

Item mandamus Predicatoribus sub penis & censuris in Bulla contentis ut supra: ut populo omnes dictos casus & maxime de relictis super male ablatorum restitutione bene notificent declarent & intiment. Atque quod omnes qui aliquo modo noticiam habent de dictis casibus ut sunt Notarii qui de dictis ultimis voluntatibus sunt rogati: ac testes: & quilibet alii, sub eisdem penis in Bulla contentis ut supra, obligati sint dominis Subcommissariis illa respective infra octo dies, dictam intimationem sequentes notificare & significare: quo per prefatos Subcommissarios ipsa bona apprehendi possint. A quibus censuris & penis hujusmodi noticiam habentes & intimare negligentes: non nisi previa dicta notificatione absolvi possunt. Sed caveant Confessores ad dictam facultatem manum apponere nisi valor compositionis infra viginti florenos Rhenenses existeret. Generales tamen Subcommissarii in his omnimodam facultatem cessante frau-

fraude & dolo habere debent. Sub tamen conditionibus prius positis circa alias & priores compositiones.

66 *Qui censentur impediti.*

Et quoniam antecedenter de impeditis dictum est declaramus per presentes impeditos esse captivos omnes, ac vinculis detentos personas partui vicinas aut proles nutriendas quibus abesse non possunt habentes. Item eos qui propter inimicitias, Bannum, vel alias timore mortis aut periculi magni, locum indulgentiarum nec valent aut audent accedere.

Item mulieres conjugatas quibus sine consensu viri, & filios ac filias familias quibus absque voluntate parentum abire non licet: Senes valetudinarios, divinis aut humanis servitiis implicatos: & universaliter omnes quibus de jure vel facto peregrinari non licet. Cum prefatis omnibus dispensari potest per Subcommissarios & Penitentiarios ne ad ecclesiarum aut altarium visitationem obligentur.

67 *Impositio per manus mandatariorum.*

Si vero prefati omnes per se ipsos contributiones suas in cistas ordinatas pro dicta fabrica sancti Petri imponere non possunt: tunc per alias personas fide dignas eas faciant imponi: Ita tamen quod mandatarii hujusmodi in fraudem negotii talem impositionem non differant: sub censuris: sententiis & penis in literis apostolicis latis: quas sic differentes sine urgentissimis causis: ipso facto incurrere volumus: a quibus etiam non nisi per sanctissimum dominum nostrum Papam: aut nos vel nostros generales Subcommissarios absolvi poterunt.

pena mandatariorum.

b 68 *Quomodo religiosi indulgentias possunt consequi.*

Item declaramus & statuimus quod Religiosi utriusque sexus omnes tam mendicantes quam non mendicantes in casu quo ipsorum superiores contempserint aut neglexerint, istas indulgentias & facultates nobis commissas: pro se ac subditis suis redimere vel procurare: quatenus eis in Conventibus seu monasteriis perfruantur: possint si quid justum habuerint contribuere. Et si nihil habuerint tale tunc poterunt a quibuscunque secularibus vel spiritualibus personis proprias pecunias habentibus ele-

Religiosi possunt contributionem mendicare.

mosynam petere, & efficere: quatenus dictam elemosynam dantes eandem pro ipsis religiosis in cistam ponant.

69 Subcommissarii possunt religiosis confessores dare etiam contra statuta ordinum eorum.

Si autem nihil ab aliis impetrare possent unde imponant: tunc precibus & jejuniis vel aliis piis operibus contributionem suam compensabunt: Declaramus etiam quod si Prelati religiosorum predictorum: noluerint dare licentiam subditis suis eundi ad loca: in quibus crux erecta & indulgentie solenniter intronisate sunt: tunc eorum subditi libere & licite auctoritate apostolica & nostra poterunt confiteri confessoribus: quos nostri Subcommissarii eis deputaverint: aut ipsi sibi deputari & dari ab eis petierint minime obstantibus eorum ordinum privilegiis & constitutionibus: etiam auctoritate apostolica concessis & confirmatis. De confitendo illis confessoribus dumtaxat qui fuerint ipsis per suos superiores deputati & assignati. Ne tamen per hujusmodi nostram declarationem videamur dictis religiosis utriusque sexus plus justo indulsisse: & propterea monasticam observantiam evacuare. Volumus quatenus ipsi religiosi propter dictam nostram concessionem dumtaxat a preteritis culpis: excessibus ac criminibus suis, non solum eorum superioribus: sed etiam sanctissimo domino nostro Pape reservatis, absolvi possint: dictis etiam suis superioribus invitis & contradicentibus. Quibus etiam sub pena excommunicationis late sententie auctoritate apostolica mandamus ne hujusmodi impediant pro ista vice dumtaxat. qua eorum privilegia & constitutiones sunt suspense.

Religiosi absolvuntur a casibus preteritis.

70 Pauperes quicensentur.

Item declaramus quod in proposito pauperes intelligantur non solum religiosi prefati: sed etiam omnes qui victum mendicant: & illi qui de laboribus suis vivere habent: & tamen victum quottidianum dumtaxat. ex hujusmodi laboribus acquirentes: ad futuros dies nihil sibi ex hujusmodi laboribus reponere possunt. Horum pauperum & aliorum quorumlibet qualitates nostri Subcommissarii & Penitentiarii diligenter examinare debent:

&

& cognita veritate eorum saluti & indemnitati misericorditer consulere.

Item declaramus quod semel expediti pro nostre plenarie remissionis consecutione recidivantes : dummodo ex confidentia istarum indulgentiarum nihil illicitum com miserint. seu obmissorum vel oblitorum recordati fuerint : possint de novo in locis ubi publicatur gratia, confiteri, imponere. Et hujusmodi indulgentias promereri : nec eis opus erit ad priorem confessorem ire : nisi hoc meritorie facere voluerint. Sub qua nostra declaratione omnes comprehendi volumus : qui presentem gratiam consecuti sunt vel consequentur.

71 Statutum pro recidivantibus.

Item declaramus quod penitentiam publicam acturi : quorum occasione tota vicinia scandalisata fuerit : aut locus in quo excesserunt si secularium severitas legum non timeatur. sic se habere debent. In primis denudentur & discalcientur femoralibus dumtaxat seu camisiis retentis. in Capella aut sacristia idonea. De post gestabunt virgam in una : & candelam in alia manibus, in modum crucis ante pectus cancellatis, processionemque euntem ad stationem precedent : seque ante crucem erectam genuflexi reponant : quousque cantus ibidem cum versiculo & Collecta sit totaliter finitus. Deinde facto silentio & Commissario psalmo *Miserere mei.* incipiente, statim ducantur a suis Confessoribus per medium stationis. Primo ad Commissarium : qui accepta virga de manu penitentis : ipsum modeste ter in dorsum verberabit dicendo, *Parcat tibi deus & dimittat delicta tua*, singulis penitentiariis & confessoribus sic ex ordine ulterius facientibus, dicto itaque psalmo *Miserere mei deus* alternatim cum *gloria patri*. Incipiat Commissarius *Kiryeleison Pater noster. Et ne nos. Salvos fac domine servos tuos. Deus &c. Mitte eis auxilium de sancto &c Domine exaudi orationem meam &c. Dominus vobiscum &c. Oremus. Deus cui proprium &c.* Et postea confessor penitentem ipsum sic ante crucem constitutum absolvat, per absolu-

72 Modus agendi publicam penitentiam.

lutionem apostolicam competentem, & sic communioni fidelium restitutum declaret. Clericis autem & juvenibus publica penitentia facile non imponatur. Mulieres etiam propter sexus honorem saltem discalcientur.

73 Publice penitentes quid facere tenentur.

Debent etiam sic penitentes ante absolutionem impendendam cautionem juratoriam facere, quod velint stare mandatis absolventis & juxta proprias facultates amendam lesis prestare, atque excommunicatoris mandatis parere.

74 Statutum de negato salvo conducto.

Ubi vero salvus conductus volentibus sic penitere negabitur aut alia pericula timentur, tunc nostri Generales subcommissarii facultatem habebunt hujusmodi absolvendi, & absolvi facere, a penitentiariis, prout saluti & indemnitati penitentium viderint expedire, Isto adjecto quod penalitatem majoris discipline, contributionis gratia compensabunt.

Forma absolutionis universalis.

g 75 Forma absolutionis generalis.

MIsereatur tui &c. *Dominus noster Jesus Christus per meritum sue passionis te absolvat: Et ego auctoritate apostolica, mihi in hac parte commissa & tibi concessa, te absolvo, ab omnibus censuris sententiis & penis ecclesiasticis, quibus quomodolibet ligatus existis. Deinde a commissis per te excessibus, delictis, criminibus, & peccatis quibuslibet, quantumcunque etiam gravibus & enormibus, & ex quavis causa specialiter vel generaliter sanctissimo domino nostro Pape ac sedi apostolice reservatis. Etiam in litteris. que in cena domini singulis annis publicantur contentis. ac etiam a talibus de quibus nunc specialem oporteret fieri mentionem. Omnem inhabilitatis & infamie maculam sive notam. per te premissorum occasione contractam abolendo: remittendoque tibi penas purgatorii: & restituendo te illi innocentie in qua eras quando baptisatus fuisti: in quantum claves sancte matris ecclesie se extendunt. Et restituo te sacramentis ecclesie & unioni fidelium in nomine patris & filii & spiritus sancti Amen.*

Scien-

Sciendum autem eſt quod excommunicati & aliis eccleſiaſticis cenſuris ligati ad inſtantiam alicujus partis. Ita abſolvi poſſunt. parte etiam adverſa diſſentiente. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat: & ego auctoritate Apoſtolica in hac parte mihi commiſſa: & tibi conceſſa te abſolvo ab omnibus cenſuris, ſententiis, & penis eccleſiaſticis quibus quomodolibet ligatus exiſtis. Etiam a cenſuris & ſententiis quibus ad inſtantiam partium innodatus exiſtis. Et hoc quantum ad effectum hujusmodi indulgentiarum conſequendum dumtaxat. Ita quod parti leſe ſi poteris ſatisfacias teque excommunicatori tuo mandatis ſuis pro viribus pariturus preſentes. Deinde a commiſſis per te exceſſibus.* & ſic conſequenter tota legatur abſolutio.

76 g Abſolutio excommunicatorum ad inſtantiam partium & quomodo fieri debet.

Commiſſarii etiam noſtri & Penitentiarii antequam ſic excommunicatos & cenſuris innodatos ad inſtantiam partium abſolvant: debent ab eis juramentum exigere: quod velint partibus leſis ſi poterunt ſatisfacere: & excommunicatori ſuo elapſo termino eis prefixo pro conſecutione gratie ſe preſentare ſuisque mandatis parere, prout antecedenter per nos ſtatutum eſt.

77 g Juramentum excommunicatorum ad inſtantiam partium.

Predicta etiam forma abſolutionis generalis juxta qualitatem exceſſuum confitentium & facultatum petitarum in Bulla conceſſarum exigentiam reſpective extendi poteſt & debet.

78

Exempli gratia.

FActa compoſitione ſuper non reſtituendo addendum eſt. *Et eadem auctoritate indulgeo atque concedo: ut ſoluta parte tali vel tali ſumma pro hoc ſancto opere: a reliquorum injuſte poſſeſſorum ulteriori reſtitutione abſolutus exiſtas: & ultra minime reſtituere tenearis. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti Amen.*

79 n Forma abſolutionis ſupra non reſtituendo.

In commutatione votorum addendum eſt. *Et eadem auctoritate tale vel tale votum in opus indulgentiarum hujusmodi commuto. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.*

k 80 Commutatio votorum in abſolutione.

l o 81 Dispensatio in absolutione cum irregularibus & simoniacis.

Quoad irregulares & simoniacos addendum est. *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate contracta; & super simonia in assecutione ordinum vel beneficiorum commissa: & concedo tibi ut ad omnes etiam presbyteratus ordines possis promoveri. Et in susceptis per te ordinibus ministrare ac sic acquisita beneficia ecclesiastica retinere. & alia quecunque beneficia tibi alias canonice conferenda recipere. In nomine patris & filii & spiritus sancti, Amen.*

l 82 Nova collatio beneficiorum simoniacorum.

Ubi beneficia simoniace adepta de novo conferuntur addendum erit. *Et confero tibi de novo quecunque, quotcunque & qualiacunque beneficia ecclesiastica: cum cura & sine cura per te illicite acquisita: cum omnibus juribus & pertinentiis suis: & eadem auctoritate te in realem & corporalem possessionem illorum de novo immitto & induco. In nomine patris & filii & spiritus sancti Amen.*

n o 83 Dispensatio cum quomodolibet illicite conjugatis.

Simili modo agendum est cum his qui prohibita contraxerunt matrimonia & consummarunt: eos primum absolvendo juxta formam universalis absolutionis. *Deinde cum eis dispensando quod non obstante impedimento hujusmodi in sic contracto per eos matrimonio in simul possint licite remanere. Vel aliud de novo contrahere. prolem legitimam decernendo* prout clare in Bulla habetur. Premissa omnia intelligantur fieri in foro tam conscientie quam contentioso.

f g h 84 A quibus peccatis & casibus confessiores absolvere possunt.

Item declaramus quod Confessores & Penitentiarii possunt absolvere ab omnibus peccatis quantumcunque gravibus & sedi apostolice reservatis. Exceptis his que superius specificata sunt. Veruntamen in casibus reservatis summo pontifici ac presulibus de jure. Bonum est si persona delinquentis sit magni status & magnarum facultatum: verbum facere cum Subcommissariis: & tacitis nomine & cognomine: solum expressis qualitate delicti. aut delinquentis facultatibus: de taxa cum eis deliberare ac aliis eis imponendis penitentiis.

85 b In foro contentioso con-

Item Penitentiarii & Confessores non faciant absolutiones a vinculis excommunicationis: & aliarum censurarum

rum in foro contentioso: sed hujusmodi remittant ad Subcommissarios.

Item mandamus etiam prefatis penitentiariis & confessoribus quod quotiescunque per nos aut nostros Subcommissarios vocati fuerint: comparere debeant. & si quid in prejudicium indulgentiarum factum esse intellexerint, illud nobis aut nostris Subcommissariis insinuare debent.

Mandamus etiam prefatis Penitentiariis & confessoribus sub censuris: sententiis: & penis ut supra latis: ne a sibi confitentibus accipiant contributionem & elemosynas in manus suas: sed per Christi fideles in capsis manibus propriis, & ut prefertur reponi faciant.

Mandamus etiam prefatis confessoribus quod sibi confitentibus ultra taxam imponendam: & ecclesiarum visitationem: nullam aliam penitentiam imponant sub censuris & penis quibus supra: nisi forte modicas orationes & per breve tempus ad restringendum recidivationem.

Volumus etiam quod a sibi confitentibus nihil exigant mercedis. ratione confessionis, quia simoniacus esset: sed gratis oblata dumtaxat recipiant sub censuris & penis quibus supra.

Item predicatoribus dicti nostri negotii precipimus sub omnibus censuris & penis quibus supra. Quatenus non negligant ad minus in dominicis & festis diebus populis intimare: ne contributiones suas quis propter gratiam & facultates consequendas: aut animas redimendas imponere debent: offerant seu dent ad manus subcommissariorum & penitentiariorum: sed per se aut alias fide dignas personas imponant: seu imponi faciant. Dicant etiam eis quod si hujusmodi facere contempserint: tunc sciant se indulgentias non promeruisse: nec facultates consequutos esse: nec animas redemisse. Volumus etiam quod Confessores & Penitentiarii circa singulos sibi

fessores non absolvant a censuris.

86 Confessores vocati parere debent.

87 Confessores non recipiant contributiones fidelium ad manus suas.

88 Confessores nihil imponant preter taxam & visitationem.

89 Confessores nihil exigent a confitentibus.

90 Predicatores quibus diebus debent dicere ne contribuentes pecunias dent subcommissariis & confessoribus pro taxa.

con-

confitentes, sub similibus penis quibus supra facere debent ut predicatores.

91 Subcommissarii non debent ad manus suas recipere contributiones.

Statuimus insuper quod nostri generales. Subcommissàrii similiter contributiones fidelium sub prefatis penis quibus supra ad manus suas accipere non debent: quinimo omni conatu suo elaborabunt: quo omnia & singula suprascripta, realiter & effectualiter ad debitum effectum perducantur: atque per Predicatores & Confessores prout singulos respective concernunt ad unguem observentur.

92 Pecuniam confessionalium generalis Commissarius recipere potest.

Admittimus autem quod nostri generales Subcommissarii pecunias confessionalium in quibus certa taxa facta est, ad suas recipiant manus, atque de receptis nobis: aut his quibus ad hoc commissionem faciemus specialem rationem legalem reddant.

93 Confessionalia non debent imprimi per aliquem specialiter non deputatum.

Mandamus etiam sub pena excommunicationis late sententie, & mille ducatorum dicte fabrice applicandorum. ne prefata confessionalia aliquis imprimere presumat: nisi per eos aut nostros generales Subcommissàrios deputatus fuerit. Volumus etiam quod in singulis locis in quibus crux erecta fuerit, unus solus sit confessionalium distributor, qui comparantium nomina & cognomina inscribere debet, etiam aliorum qui gratis confessionalia habebunt: quique etiam singulis confessionalibus manu propria se subscribere debent.

c d 94 Modus agendi cum cista seris & ejus apertione.

Mandamus insuper ut fraudis & negligentie suspicio omnis tollatur: quod ad quascunque capsas que pro predictis indulgentiis deputabuntur. saltem tres claves apponantur: quarum una maneat penes Subcommissarium. Alia penes Thesaurarium, cui ad hujusmodi mandatum dabimus speciale: aut apud eum quem dictus thesaurarius deputabit. Alia penes potestatem spiritualem aut secularem loci prout Subcommissàriis melius visum fuerit. Volumus etiam quando tempus dictas capsas aperiendi advenerit. quod in presentia omnium qui claves habebunt. Atque Notarii publici & testium idoneorum

ad

ad hoc vocatorum aperiantur. & pecunie non prius per quempiam attingantur, quam fuerint in presentia dictorum numerate: & per peritos estimate: ac ad valorem florenorum auri Rhenensis reducte. Supra qua etiam summa, instrumentum per Notarium legalem fieri debet. In quo prenominatorum presentia describatur & maxime Thesaurarii aut per eum deputati. Qui de pecunia ordinabit & faciet: prout sibi in mandatis dabimus.

De instrumento faciendo super summa extracta qualibet vice.

Reliqua Subcommissariorum predicatorum & penitentiariorum discretio ac sollicitudo suppleant: qui a domino & deo nostro, atque beatis Apostolis Petro, & Paulo premia pro tam felici opere: recipient eterna.

Num. X.

Facultatis Parisiensis
Decretum adversus Indulgentias.

Hujus Decreti prorsus memorabilis, cum in ipso hoc Opere Historico mentionem injecerimus, tum idem hoc, nobis exhibitum à Doctissimo *Carolo du Plessis* D'ARGENTRE' Episcopo Tutelenti & Doctore Sorbonico in ejus Opere, sive *Collectione de novis Erroribus* Tom. I. Part. II. fol. 355. 356. atque ex ipso Originali excerptum, Lectori nostro communicare voluimus; Illud ita se habet.

Anno 1518.

Qualificatio duarum propositionum ad indulgentias Cruciatæ pertinentium, Parisiis definita

Anno Domini Millesimo, quingentesimo, decimo octavo, die Jovis, sexta mensis Maji, congregata Theologorum Sacratissima facultas apud Sanctum Mathurinum Parisius, Missa ejusdem ibi-

ibidem celebrata, ſubſequentes duas propoſitiones per Magiſtros & Deputatos, modo & forma ſubſcriptis qualificavit, easque ſic eſſe qualificandas voluit, dixit, & determinavit.

I. Propoſitio. *Quiconque met au tronc de la Croiſade ung teſton au la valeur, pour une ame eſtant en purgatoire, il delivre la dicte ame incontinent, et s'en va infalliblement la dicte ame auſſi-toſt en Paradis. Itaque, en baillant, dix teſtons pour dix ames, voire mille teſtons pour mille ames, elles s'en vont incontinent et ſans doubte en Paradis.*

Qualificatio Facultatis. „ Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloloſa, ſuffragiorum pro defunctis ſubſtractiva, tenorem Bullæ „ *Cruciatæ* excedens, & ſi fuit prædicata, fuit temerarie aſſerta „ & pro conſcientiarum quietatione revocanda. "

II. Propoſitio prædictæ contraria. *Il n'eſt point certain, que infalliblement toutes ames indifferemment eſtant en purgatoire, pour chacune deſquelles on met au tronc de la Croyſade dix ſols Tournois, ſ'en voyent incontinent et ſans doubte en Paradis. Mais ſ'en fault raporter a Dieu, qui accepte ainſy qu'il luy plaiſt, le treſor de l'Egliſe, appliquè aux dictes ames.*

„ Hæc propoſitio eſt vera, Doctoribus Divini & Humani Juris „ conſona, pietatem fovens fidelium, & tenori Bullæ *Cruciatæ* „ non adverſa "

E primo Regiſtro MS. Cenſurarum ſacræ facultatis Pariſienſis fol. 171.

Num. XI.

D. MARTINI LUTHERI
Theſes
adverſus INDULGENTIAS.

Sanè, ſi unquam ex parvis principiis ingens extructa eſt moles, & ſi unquam vivido exemplo comprobatum eſt, quod parvarum rerum dies negligendus non ſit, tum dici debet, id harum Theſium occaſione factum eſſe, quas nec eo animo, nec eo præſagio ediderat LUTHERUS, ut eæ deinceps tantum Opus, cui perficiendo certe nec ap-

aptæ nec pares hæ videri poterant, vel sisterent vel perficerent: Quænam ejus prima fuerit intentio, ex iis quæ in ipso Opere enarravimus, collucescit, &c, nisi tantos tum tumultus excitasset improba Papicolarum progenies, in propriam perniciem furibunda, credibile est, nunquam Reformationis negotium tam brevi tempore tanta capere potuisse incrementa, quanta tamen quod per Dei Providentiam ceperit, est manifestum; Intereà tamen, & utile & necessarium esse, nemo diffitebitur, ut, quo modo Fundamenta Reformationis sint jacta, cognoscatur ab unoquovis. Cum enim ipsæ hæ *Indulgentiæ*, & Reipublicæ & Ecclesiæ permultum nocuerint, sicque verè ac merito cum Reformationi Evangelicæ, tum Schismati in Occidente enato causam atque occasionem suppeditarint, quod singulari opera Vir Celeb. HENRICUS MUHLIUS, Kiloniensis Academiæ dum in vivis erat Theologus Eximius, probatum dedit: Tum, qua ratione illis ipsis obviam itum fuerit, nec clam, nec vi, nec fallaciis, sed aperte, rationaliter, ac sincere, ex his ipsis Thesibus apparebit, quæ, si non omnes omne tunc veritatis punctum tulerint, tamen vel ideò aspernari jure non possunt, quod notum est, LUTHERUM, *non per Enthusiasmum* quendam, fanaticumque spiritum veritatem fuisse edoctum, quin potius, studio, industria atque labore, veritatem indagasse, in veritate profecisse, atque *successu temporis*, in eadem magis magisque corroboratum esse: (*a*) Id verò sedula mente tenendum est, quod ceteroquin mirum videri posset, his Thesibus jacta esse Reformationis fundamenta, cum eæ, tamen ipsi *Papæ* adhuc summam adscribere videantur *Authoritatem*, quippe, cui Th. 9. *Spiritus S.* adscribitur tanquam *in ipso* habitans, cui *remissionem pœnarum* quarundam adtribuit *plenariam* Th. 20. 22. imò cui *potestatem in ipsum Purgatorium* adjudicat Th. 25. uti Class. III. Th. 11. dicit *Clarum esse quod ad remissionem pœnarum & casuum sola sufficiat potestas Papæ*; Porrò, cum in iis *Purgatorium* adhuc stabiliatur §. 10. 17. 18. 19. 22. 25. &c.

P 2 Ve-

(*a*) Atque id ipse LUTHERUS, post annos ab harum thesium publicatione viginti octo, & paulo ante mortem, in præfatione Operum publicè est professus. *Hæc ideò narro, optime Lector, ut, si lecturus es opuscula mea, memento, me unum fuisse ex illis, qui, ut Augustinus de se scribit, scribendo & docendo profecerim, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi.*

Veluti nec in genere *Indulgentias* rejicit *Papales*, quippe quas admodum reverenter *Apostolicas venias* appellat, Class. III. Th. 21. dicendo: *Contra veniarum Apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema & maledictus.* item Th. 23. *Sicut Papa juste fulminat, eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur* &c. &c.

Id verò tamen hic negligi non debebat, haud paucos deinceps ex ipsis Pontificiis per harum Thesium, quam eæ leves videantur ac exiguæ, lectionem fuisse conversos ad Veritatem Evangelicam, quæ res à G. H. GÖTZIO in schediasmate *de Conversione Pontificiorum ex lectione librorum Lutheranorum* est exposita. Cæterum, has ipsas Theses, uti eas ex H. v. d. HARDT Histor. Reform. literar. publicavit primò LOESCHERUS, in Docum Hist. Ref. Tom. I. p. 438 & sq. Deinceps JO. ERH. KAPPIUS in Theatro Nundinationis Indulgentiariæ Tezelianæ p. 73 & sq. publicamus, sequentes eam quoque quam Kappius observavit, in certas classes divisionem.

Disputatio D. MARTINI LUTHERI
Theologi, pro declaratione virtutis Indulgentiarum.

AMore & studio elucidandæ veritatis hæc subscripta disputabuntur Wittenbergæ, Præsidente R. P. Martino Luther, Artium & S. Theologiæ Magistro, ejusdemque ibidem lectore ordinario. Quare petit, ut qui non possunt verbis præsentes nobiscum disceptare, agant id literis absentes. In nomine domini nostri Jesu Christi, Amen.

I. Dominus & Magister noster Jesus Christus, dicendo, Pœnitentiam agite &c. omnem vitam fidelium, pœnitentiam esse voluit.

II. Quod verbum pœnitentiæ de pœnitentia sacramentali (i. confessionis & satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio celebratur) non potest intelligi.

III. Non tamen solam intendit interiorem: Imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

IV. Manet itaque pœna donec manet odium sui (i. pœnitentia vera intus) scilicet usque ad introitum regni cœlorum.

V. Pa-

V. Papa nec vult nec poteſt ullas pœnas remittere præter eas, quas arbitrio vel ſuo vel canonum impoſuit.

VI. Papa non poteſt remittere ullam culpam, niſi declarando aut approbando remiſſam a Deo. Aut certe remittendo caſus reſervatos ſibi, quibus contemptis culpa prorſus remaneret.

VII. Nulli prorſus remittit Deus culpam, quin ſimul eum ſubjiciat humiliatum in omnibus ſacerdoti ſuo vicario.

VIII. Canones pœnitentiales ſolum viventibus ſunt impoſiti: nihilq; morituris ſecundum eosdem debet imponi.

IX. Inde bene nobis facit *Spiritus ſanctus in Papa*, excipiendo in ſuis decretis ſemper articulum mortis & neceſſitatis.

X. Indocte & male faciunt ſacerdotes ii, qui morituris pœnitentias canonicas in *purgatorium* reſervant.

XI. Zizania illa de mutanda pœna canonica in pœnam purgatorii, videntur certe dormientibus Epiſcopis ſeminata.

XII. Olim pœnæ canonicæ, non poſt, ſed ante abſolutionem imponebantur, tanquam tentamenta veræ contritionis.

XIII. Morituri, per mortem omnia ſolvunt, & legibus canonum mortui jam ſunt, habentes jure earum relaxationem.

XIV. Imperfecta ſanitas ſeu charitas morituri, neceſſario ſecum fert magnum timorem tantoque majorem quanto minor fuerit ipſa.

XV. Hic timor & horror, ſatis eſt, ſe ſolo, (ut alia taceam) facere pœnam purgatorii, cum ſit proximus deſperationis horrori.

XVI. Videntur infernus, purgatorium, cœlum differre, ſicut deſperatio, prope deſperatio, ſecuritas differunt.

XVII. Neceſſarium videtur animabus in *purgatorio* ſicut minui horrorem, ita augeri charitatem.

XVIII. Nec probatum videtur illis, aut rationibus aut ſcripturis, quod ſint extra ſtatum meriti ſeu augendæ charitatis.

XIX. Nec hoc probatum eſſe videtur, quod ſint de ſua beatitudine certæ & ſecuræ, ſaltem omnes, licet nos certiſſimi ſumus.

XX. Igitur *Papa per remisſionem plenariam omnium pœnarum*, non ſimpliciter omnium intelligit, ſed a ſeipſo tantummodo impoſitarum.

XXI. Errant itaque indulgentiarum prædicatores ii, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna ſolvi & ſalvari.

XXII. Quin nullam *remittit* animabus *in purgatorio*, quam in hac vita debuissent secundum Canones solvere.

XXIII. Si remissio ulla omnium omnino pœnarum potest alicui dari: certum est, eam nonnisi perfectissimis i. paucissimis dari.

XXIV. Falli ob id necesse est majorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœnæ solutæ promissionem.

XXV. Qualem *potestatem habet Papa in purgatorium* generaliter, talem habet quilibet Episcopus & curatus in sua diœcesi & parochia specialiter.

I. Optime facit Papa, quod non potestate clavis (quam nullam habet) sed per modum suffragii, dat animabus remissionem.

II. Hominem prædicant, qui statim ut jactus nummus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam.

III. Certum est nummo in cista tinniente, augeri quæstum & avaritiam posse: Suffragium autem Ecclesiæ est in arbitrio Dei solius.

IV. Quis scit, si omnes animæ in purgatorio velint redimi, sicut de sancto Severino & Paschali factum narratur.

V. Nullus securus est de veritate suæ contritionis: multo minus de consecutione plenariæ remissionis.

VI. Quam rarus est vere pœnitens, tam rarus est vere indulgentias redimens, i. rarissimus.

VII. Damnabuntur in æternum cum suis magistris, qui per literas veniarum securos sese credunt de salute.

VIII. Cavendi sunt nimis, qui dicunt, venias illas Papæ, donum esse illud Dei inæstimabile, quo reconciliatur homo Dei.

IX. Gratiæ enim illæ veniales tantum respiciunt pœnas satisfactionis sacramentalis ab homine constitutas.

X. Non Christiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas, vel confessionalia non sit necessaria contritio.

XI. Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a pœna & culpa, etiam sine literis veniarum, sibi debitam.

XII. Quilibet verus Christianus, sive vivus sive mortuus, habet participationem omnium bonorum, Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis veniarum, a Deo sibi datam.

XIII. Remissio tamen & participatio Papæ nullo modo est contemnenda, quia (ut dixi) est declaratio remissionis divinæ.

XIV.

XIV. Difficillimum eſt etiam acutiſſimis Theologis, ſimul extollere veniarum largitatem, & contritionis veritatem coram populo.

XV. Contritionis veritas pœnas quærit & amat. Veniarum autem largitas relaxat, & odiſſe facit. ſaltem occaſione.

XVI. Caute ſunt veniæ Apoſtolicæ prædicandæ, ne populus falſe intelligat, præferri ceteris bonis operibus charitatis.

XVII. Docendi ſunt Chriſtiani, quod Papæ mens non eſt, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam eſſe operibus miſericordiæ.

XVIII. Decendi ſunt Chriſtiani, quod dans pauperi, aut mutuans egenti melius facit, quam ſi venias redimeret.

XIX. Quia per opus charitatis creſcit charitas, & fit homo melior: Sed per venias non fit melior, ſed tantummodo a pœna liberior.

XX. Docendi ſunt Chriſtiani, quod qui videt egenum, & neglecto eo dat pro veniis, non indulgentias Papæ, ſed indignationem Dei ſibi vendicat.

XXI. Docendi ſunt Chriſtiani, quod niſi ſuperfluis abundent, neceſſaria tenentur domi ſuæ retinere, & nequaquam propter venias effundere.

XXII. Docendi ſunt Chriſtiani, quod redemptio veniarum eſt libera, non præcepta.

XXIII. Docendi ſunt Chriſtiani, quod Papa ſicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro ſe devotam orationem, quam promptam pecuniam.

XXIV. Docendi ſunt Chriſtiani, quod veniæ Papæ ſunt utiles, ſi non in eas confidant, ſed nocentiſſimæ, ſi timorem Dei per eas amittant.

XXV. Docendi ſunt Chriſtiani, quod ſi Papa noſſet exactiones venialium Prædicatorum, mallet Baſilicam S. Petri in cineres ire, quam ædificare cute, carne & oſſibus ovium ſuarum.

I. Docendi ſunt Chriſtiani, quod Papa ſicut debet, ita vellet; etiam vendita, ſi opus ſit, Baſilica S. Petri, de ſuis pecuniis dare illis, a quorum plurimis quidam concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

II. Vana eſt fiducia ſalutis per literas veniarum, etiamſi Commiſſarius, ima Papa ipſe ſuam animam pro illis impignoraret.

III.

III. Hoftes Chrifti & Papæ funt ii, qui propter venias prædicandas verbum Dei in aliis Ecclefiis penitus filere jubent.

IV. Injuria fit verbo Dei, dum in eodem fermone æquale vel longius tempus impenditur veniis quam verbis evangelicis.

V. Mens Papæ neceffario eft, quod fi veniæ (quod minimum eft) una campana unis pompis & cærimoniis celebrantur, Evangelium (quod maximum eft) centum campanis, centum pompis, centum cærimoniis prædicetur.

VI. Thefauri Ecclefiæ, unde Papa dat indulgentias, neque fatis nominati funt neque cogniti apud populum Chrifti.

VII. Temporales certe non effe patet, quod non tam facile eos profundunt: fed tantummodo colligunt multi concionatorum.

VIII. Nec funt merita Chrifti & fanctorum: Quia hæc femper fine Papa operantur gratiam hominis interioris, crucem, mortem infernumque exterioris.

IX. Thefauros Ecclefiæ S. Laurentius dixit effe pauperes Ecclefiæ, fed locutus eft ufu vocabuli fuo tempore.

X. Sine temeritate dicimus, claves Ecclefiæ (merito Chrifti donatas) effe thefaurum iftum.

XI. Clarum eft enim, quod *ad remiffionem pœnarum & cafuum fola fufficit poteftas Papæ,*

XII. Verus thefaurus Ecclefiæ eft facro fanctum Evangelium gloriæ & gratiæ Dei.

XIII. Hic autem eft merito odiofiffimus, quia ex primis facit noviffimos.

XIV. Thefaurus autem indulgentiarum merito eft gratiffimus, quia ex noviffimis facit primos.

XV. Igitur thefauri Evangelici retia funt, quibus olim pifcabantur viros divitiarum.

XVI. Thefauri indulgentiarum retia funt, quibus nunc pifcantur divitias virorum.

XVII. Indulgentiæ, quas concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales quoad quæftum promovendum.

XVIII. Sunt tamen revera minimæ ad gratiam Dei & crucis pietatem comparatæ.

XIX. Tenentur Epifcopi & Curati veniarum Apoftolicarum Commiffarios cum omni reverentia admittere.

XX.

XX. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro commiſſione Papæ ſua illi ſomnia prædicent.

XXI. Contra *veniarum Apoſtolicarum veritatem* qui loquitur, *ſit ille anathema & maledictus.*

XXII. Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, ſit ille benedictus.

XXIII. Sicut Papa juſte fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur.

XXIV. Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem ſanctæ charitatis & veritatis machinantur.

XXV. Opinari, venias papales tantas eſſe, ut ſolvere posſint hominem, *etiamſi quis per impoſſibile Dei genitricem violaſſet*, eſt inſanire.

I. Dicimus contra, quod veniæ papales nec minimum venialium peccatorum tollere posſint quoad culpam.

II. Quod dicitur, nec ſi S. Petrus modo Papa eſſet, majores gratias donare poſſet, eſt blaſphemia in S. Petrum & Papam.

III. Dicimus contra, quod etiam iſte & *quilibet Papa* majores habet, ſcilicet Evangelium, virtutes, *gratias curationum* &c. 1 Cor. XII.

IV. Dicere crucem armis papalibus inſigniter erectam, cruci Chriſti æquivalere, blaſphemia eſt.

V. Rationem reddent Epiſcopi, Curati & Theologi, qui tales ſermones in populum ſpargi ſinunt.

VI. Facit hæc licentioſa veniarum prædicatio, ut nec reverentiam Papæ facile ſit etiam doctis viris redimere a calumniis, aut certe argutis quæſtionibus laicorum.

VII. Scilicet, cur Papa non evacuat purgatorium, propter ſanctisſimam charitatem, & ſummam animarum necesſitatem, ut cauſam omnium juſtisſimam cum tamen infinitas animas redimit propter funeſtisſimam pecuniam ad ſtructuram Baſilicæ, quæ eſt cauſa levisſima?

VIII. Item, cur permanent exequiæ & anniverſaria defunctorum, & non reddit aut recipi permittit beneficia pro illis inſtituta, cum jam ſit injuria pro redemptis orare.

IX. Item, quæ illa nova pietas Dei & Papæ, quod impio & inimico

mico

mico propter pecuniam concedunt, animam piam & amicam Dei redimere: Et tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate?

X. Item, cur canones pœnitentiales, re ipsa & non usu, jam diu in semet abrogati & mortui: Adhuc tamen pecuniis redimuntur per concessionem indulgentiarum tanquam vivacissimi?

XI. Item, cur Papa, cujus opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis quam pauperum fidelium struit unam tantummodo Basilicam S. Petri?

XII. Item, quid remittit aut participat Papa iis, qui per contritionem perfectam jus habent plenariæ remissionis & participationis?

XIII. Item, quid adderetur Ecclesiæ boni majoris, si Papa sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones & participationes tribueret?

XIV. Ex quo Papa salutem quærit animarum per venias, magis quam pecunias, cur suspendit literas & venias jam olim concessas, cum sint æque efficaces.

XV. Hæc scrupulosissima laicorum argumenta, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere, & infelices Christianos facere.

XVI. Si ergo veniæ secundum spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile illa omnia solverentur, imo non essent.

XVII. Valeant itaque omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi, pax, pax, & non est pax.

XVIII. Bene agant omnes illi prophetæ, qui dicunt populo Christi, crux, crux, & non est crux.

XIX. Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per pœnas, mortes, infernosque sequi studeant.

XX. Ac sic magis per multas tribulationes intrare cœlum, quam per securitatem pacis confidant.

MDXVII.

Num.

Num. XII.

Wolfg. Fabricii Capitonis
Epiftola ad
Criftoph. Utenhemium
Epifcopum Bafileenfem.

De fufcipienda ac maturanda Ecclefiæ Reformatione.

Eft hæc Epiftola, digniffima quæ legatur, præfixa *Johannis* CLICHTOVÆI, Viri Doctiffimi, *Elucidatorio Ecclefiaftico*, quod Bafileæ prodiit A. 1517. menfe Augufto, ut ipfe habet libri titulus: Eam, Autographis *Lutheri* aliorumque celebrium Virorum, inferuit *Hermannus* van der HARDT, Vir Doctiffimus, Tom. I. pag. 43. fq.

Per biennium, quo fum officio Concionatoris in ornatisfimo templo Bafileenfi functus, cui tu, Reverende Pater, merentiffime præfides, diu multumque dubitavi, quonam fonte tantum vitiorum omnium agmen in clerum femel invaferit. Occurrebat primum eorum incuria, qui fidei gubernaculis asfident, ut qui ad quamlibet impia conniventes, licentiam atque delinquendi confuetudinem alunt, extirpandam utique facili operâ, modo ipfi, quia nolunt ex animo, vel levi articulo fe fingant faltem repugnare, nihil arrideant, impudentiæ multitudinis neutiquam faveant, ne in familias convictumque fuum recipiant præfractos illos nebulones. Excufabiles tamen fortasfis ideo cenfentur, quod eam nolunt morum redintegrationem experiri, quam fe, vel omnibus nervis incumbentes, affequi poffe diffidunt. Quandoquidem robuftiora funt per ætatem vitia, radicesque altius demiferunt, quam quod ligone prælatorum affiduaque correctoris diligentia erui exftirparique valeant. Etiamfi mihi videatur nihilo fecius annitendum, isque curfus, quem in emendandis erroribus poffunt, perpetuo tenendus. Quicunque enim ad viam omnia moliuntur reducere, nunquam fpe tota fruftrantur. Quin imò con-

consequentur multo ampliora, quam si vana desperatione debilitati, και εξυπνιαζοντες manuum neglexissent admovere. Etenim si non ex animo, certe, ne in mulctam incidant, ex officio ferme solent respondere. Φευγουσι γαρ. το σχοινιον μεμιλτωμενον. Usque adeo bonis moribus severum præstat exemplum. Atqui res sit utcunque, non impedio, nonnullos tamen hoc seculo invenire est vere Episcopos, in quorum numero Tua quoque dignitas habetur, qui sunt pietatis ac religionis maximi cultores, quos angit injuria Christi, qui vesanæ multitudinis crimina, maxime Sacerdotum, dolore prosequuntur. Summam itaque illorum integritatem, in accusatione hac perseverans, videri possum non satis grato animo interpretari. Quamobrem ejus mali rationem alteram comminiscar, nempe inscitiam, & sacrorum supinam ignorantiam, quibus nos, qui dicimur Levitæ, quotidie operantes cum filiis Cath, onera mysteriorum involuta humeris portamus. Sine intellectu, και παιδοθεν αστοργοι, horarias preculas cursim perstrepimus, nihil de ratione sacrificii, nihil de ritu cantus Ecclesiastici nobis constat. Quo fit, ut officii nostri male memores, in scelera proni prolabamur, quovis lenone (sit venia verbo) turpiores. Cujusmodi pessimum malum Jodocus *Clichtoveus*, celebris Parisiorum Theologus, eliminari cupiens, iis quatuor libris, quibus ab argumento titulum fecit Elucidatorium Ecclesiasticum, Ecclesiæ officium exposuit, non minus simpliciter quam apposite, etiam ad vocabulorum vires interim descendens. Præterea flosculis eos amœnissimis ex areolis scripturæ passim adornans, quis sensus, quo loco sit ex Bibliis mutuatus, identidem ostendit. Idque verbis non omnino mutis, neque indoctis plane. Quos tibi, Reverende Pater, dedico, nuncupoque, munusculum, si usum idoneum spectas, profecto dignum episcopali nomine. Nam celebre est Hebræis adagium טוב ארחת ירק, h. e. in tempore præbitum suave est opiparumque prandium, olus & herbulæ virentes. Atque nostris his Commentariis nihil est uspiam tempestivius, nihil uspiam æque proficiens, & ad intellectum, & ad affectus sinceritatem. Sacra enim verba quæ tam sedulo dicimus, dum intelliguntur, amplectitur memoriæ stomachus, adeoque decoquit, absumitque in naturam & imitationem virtutis. Ergo tuum erit, hoc munus Commentariorum benigniter susceptum, Advigilantissime Præsul, Mystis curæ

tuæ

tuæ commiſſis, quo myſteria probe pernoſcant, quoquo modo potes, emendum injungere. Ea quidem induſtria tum ad clerum redituræ poſt longa exilia pietati aditum pandens, tum ipſam videberis terram ſubjicere quaſi Antei pedibus. Nemo medius fidius legendis iſtis religionem Chriſti non efficiet in ſe pleniorem, ut interim de intelligentia, quæ inde ſubnaſcitur, taceam. Nemini non inſpirabunt animos ad ſalutem. Neminem in ſpem bonam bonæ frugis non excitabunt. Niſi quis adeo modis omnibus deſertus ſicut Pharao à Deo, prorſus in ſaxum obduruerit, ſimiliſque Grillo fuerit illi, quem in ſuem à Circe incantatum, nullis rationibus Ulyſſes apud Plutarchum adducere potuit, ut in hominem velit redire. Nondum audeo equidem την ολων μετανοιαν noſtro ſperare ſeculo. Proh pudor etiamnum ſunt inveterati quidam dierum malorum, quos inter Veneris pudorem, ſordes Simoniacas, faſtum, luxuriam omnem, emori pertinaciter juvat. A quorum ſanguine tunc demum liberi erimus, dum inſtamus, dum increpamus, opportune, importune. Noſtro quidem penſo taliter perſoluto, ſcelerum vindicem, dicentem jus extremum, quaſi noſtris partibus probe perfuncti, perquam ſecuri feremus. Vale in Chriſto Jeſu, Reverendiſſime Præſul, quem ille pietati, moribusque ſanis inſtaurandis, diu ſervet incolumem. Baſileæ. III. Idus Auguſti. Anno M. D. XVII.

Num. XIII.

Leonis X. Pontif. Ro.

Diplomata ad Cajetanum duo.

A.

Prius eſt depromtum ex HOTTINGERI Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. Tom. III. pag. 180. atque ita ſe habet:

LEO *Epiſcopus ſervus Servorum perdilecto filio Thomæ, titul. S. Sixti Presbytero Cardinali, ad Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Maximilianum, in Imperatorem electum, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem*, & Apoſtolicam benedictionem. Cum, poſtquam

 cir-

circumſpectio Tua ad Germaniam applicuit, ad aures noſtras perveniſſet, quod nonulla religioſi, etiam ad Evangelizandum verbum Dei deputati, ſuper Indulgentiis, à nobis, & Romanis Pontificibus, Prædeceſſoribus noſtris, immemorabili tempore citra, concedi ſolitis, publice prædicando, multorum cordibus imprimerent errores, idque nimis grave & moleſtum eſſet, alias noſtris literis, eidem circumſpectioni tuæ, de qua propter ejus ſingularem doctrinam, & in rebus agendis experientiam, ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, commiſimus, ut auctoritate noſtra approbatione digna approbare, ea vero, *quæ minus recte dicta eſſent etiam per eos, qui Romanæ Eccleſiæ doctrinam ſe ſequi paratos aſſererent, reprobare & damnare curares.* Et ne de cætero quiſquam ignorantiam allegare, aut hujuſmodi ignorantiæ prætextu ſe excuſare, aut proteſtatione conficta ſe juvare, ſed ut ipſi *de notorio mendacio, ut culpabiles convinci, & merito damnari poſſint, per præſentes tibi ſignificandum duximus, Romanam Eccleſiam, quam reliquæ tanquam Matrem ſequi tenentur, tradidiſſe Romanum Pontificem Petri Clavigeri ſucceſſorem, & Jeſu Chriſti in terris Vicarium, poteſtate clavium, quarum eſt aperire tollendo illius in Chriſti fidelibus impedimenta, culpam ſcilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam; Culpam quidem mediante Sacramento pœnitentiæ; pœnam vero pro actualibus peccatis ſecundum divinam juſtitiam debitam, mediante Eccleſiaſtica Indulgentia, poſſe pro rationabilibus cauſis concedere eis de Chriſti fidelibus, qui charitate vigente membra ſunt Chriſti, ſive in hac vita ſint, ſive in Purgatorio Indulgentias ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & ſanctorum, & tam pro vivis, quam defunctis Apoſtolica authoritate Indulgentiam concedendo theſaurum meritorum Chriſti & Sanctorum diſpenſare, per modum tamen abſolutionis aut ſuffragii,* ac propterea omnes, tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſecuti fuerint, à tanta temporali pœna, ſecundum divinam juſtitiam, pro peccatis ſuis actualibus, debita, liberari, quanta conceſſæ & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet; *& ita ab omnibus teneri, & prædicari debere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua illam incurrentes ab alio, quam Romano Pontifice, niſi in mortis articulo nequeant abſolutionis beneficium obtinere, auctoritate Apoſtolica earundem tenore præſentium decernimus:* Et, ne quiſpiam de præmiſſis valeat ignorantiam allegare,

cir-

circumſpectioni tuæ mandamus, quatenus univerſos & ſingulos Germaniæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Locorum ordinarios, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſuſpenſionis à divinis pœna moneas, eisque diſtricte præcipiendo mandes, ut præſentes literas, ſive earum tranſumtum auctenticum infra tempus per circumſpectionem tuam eis præfigendum, in eorum Eccleſiis, dum inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicare, circa Indulgentias prædictas, ſub ſimili excommunicationis latæ ſententiæ pœna tenere & prædicare debeant, & nullius contra ea, quovis modo directe vel indirecte venire præſumat, tibi nihilo minus contra præſumentes & inobedientes procedenti, illosque debitis pœnis, quibus tibi videbitur, puniendi, plenam & liberam etiam per præſentes concedimus facultatem, in contrarium non obſtantibus quibuscunque. Et quia difficile foret easdem præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, illorum tranſſumtis manu publica Notarii inde rogati ſubſcriptis & ſigillo alicujus Prælati; ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munitis, vel curiæ Eccleſiaſticæ, ea prorſus in judicio & extra, ac alias, ubilibet fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi fuiſſent exhibitæ vel oſtenſæ. *Dat. Romæ apud S. Petrum, a. D.* 1518. *Cal. Jan. Pontificatus noſtri a.* 6.

B.

Poſterius eſt depromtum ex *Odorici* RAYNALDI Annalibus ad Ann. 1518. n. 53. atque ita ſe habet:

Dilecto filio Thomæ tit. S. Sixti presbytero Cardinali ad chariſſimos in Chriſto filios noſtros Maximilianum in Imperatorem electum, & Chriſtiernum Daciæ, Sueciæ & Norwegiæ Regem Illuſtrem, ac univerſa eorum regna, omneſque & ſingulas illorum provincias, terras atque loca illis ſubjecta & alia eis adjacentia, noſtro & Apoſtolicæ ſedis legato.

Cum hodie circumſpectionem tuam pro ſanctiſſimæ & pernecesſariæ contra Chriſti nominis hoſtes expeditionis negotio, ad cha-

chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Maximilianum in Imperatorem electum, & Chriſtiernum Daciæ, Sueciæ & Norwegiæ Regem illuſtrem, ac univerſa ejus regna & loca eis ſubjecta noſtrum & Apoſtolicæ ſedis legatum de latere, tanquam pacis angelum, de fratrum noſtrorum conſilio per alias noſtras literas duxerimus deſtinandum, prout in illis plenius continetur; nos igitur matura conſideratione intra noſtræ mentis arcana revolventes, plurimum expedire pro hujusmodi ſancta expeditione, ut Bohemiæ regnum, quod olim catholicum in quoscunque errores a pluribus annis & hæreticam labem, inimico humani generis operante, lapſum fuit, ad obedientiam ſanctæ matris militantis Eccleſiæ reducatur, cogitantesque, quod circumſpectio tua pro ſingulari tua doctrina & prudentia, magnitudine animi, & conſiliis, dicti regni barones, nobiles, militares, ac univerſitates, & primates civitatum, præſides & juratos aliarumque terrarum & oppidorum officiales, ac alios quoscunque ſive cives, ſive populares, cujuscunque gradus, ordinis, & præeminentiæ exiſtant, eorumque complices & ſequaces ad veram Chriſti fidem reducere, & in rectam ſemitam revocare poteris, eodem Maximiliano in Imperatorem electo auxilium præſtante; ac de tua circumſpectione, prudentia, uſu rerum, nobis in arduis eximia probitate & fide cognitis & perſpectis ſumentes in Domino fiduciam, quodque ſcies & poteris fluctuantes errorum turbines diſcutere & ſedare, & regnum ipſum in formam priſtini decoris reſtituere; confidentes etiam in Domino, quod cum regnum etiam ipſum ad obedientiam ſanctæ Romanæ militantis eccleſiæ redierit, cum bellicoſum ſemper habitum ſit, non tam pro mundana gloria, quam etiam adverſus infideles pugnando ſibi peperit; quam pro fidei Catholicæ defenſione contra Turcas communes hoſtes prævio invictæ crucis vexillo cum cæteris Chriſti fidelibus inſurget, tibi cum omnibus & ſingulis dicti regni & partium adjacentium, cujuscunque gradus & conditionis exiſtant, ad veræ fidei lumen redire, & hujusmodi errores deſerere & obviare volentibus, eos recepta ab eis abjuratione hæreſis & errorum hujusmodi facienda, præſtandoque per eos juramento, quod talia per ſe deinceps non committent, vel aliis talia committentibus conſilium, auxilium, favorem per ſe non præſtabunt, & alias in forma eccleſiæ conſueta abſolvendi, & ad noſtrum & ejusdem Eccle-

clesiæ gremium, nec non gratiam & benedictonem prædictæ sedis restituendi & recipiendi, nec non eis nostro & Apostolicæ sedis nominibus tractandi, componendi, ac sub illis capitulis, pactis, conditionibus, formis, poenarum adjectionibus, obligationum renunciationibus, commissionibus, cautelis, clausulis, & solemnitatibus, atque modo, quibus amplius commodius & melius poteris concordare, seu componere, agendi, transigendi, firmandi, roborandi, ac firmata hinc inde sub excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque censuris, & poenis inviolabiliter servari mandandi, *& infra*, concedimus facultatem, auctoritatem, & potestatem.

Igitur onus tibi per nos injunctum ad honorem Dei & animarum salutem, & Christianæ fidei exaltationem sic suscipias, sicque studeas & efficaciter & diligenter illud adimplere diligentia, studio, opera, & auctoritate tua ex eo regno locisque aliis convicinis, quæ longo quasi contagio infecta sunt, omnes errores & hæreticæ pravitatis labes expurgetur, evellatur, & penitus deleatur, ut vinea Domini Sabaoth fructus ferat, sublatis pestiferis palmitibus, & noxiis catholicæ puritatis; tuque ex ea re & profecto tam sancto opere & laudabili palmam æternæ gloriæ non solum consequi merearis, verum etiam apud nos & hanc sedem sanctam prædictam de exacta diligentia, fide & integritate valeas plurimum commendari. *Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MDXVIII. III. non. Maji, pontificatus nostri anno VI.*

Num. XIV.

LEONIS X. Pontificis R.

Bulla

Contra errores M. LUTHERI & sequacium

Hæc illa est, quam ad XVII. Kalendas Julii 1520. edidit Leo decimus, adversus LUTHERUM Bulla, cujus breve prius argumentum, ex SLEIDANO Lib. II. Historiar. fol. 27 b & 28 subjungimus, atque deinceps ipsam hic exhibemus formulam, ex BZOVIO, qui in Annalibus ad A. C. 1520. fol. 367-371. eandem refert: Breve

ejus argumentum ita nobis SLEIDANUS l. c. delineat: „ Primum, „ adductis aliquot scripturæ locis, & ad suum propositum accom„ modatis, Leo pontifex, Christum, deinde Petrum, Paulum, re„ liquosq; divos implorans, ut impendens ecclesiæ periculum aver„ tant, gravissime queritur, nunc demum exoriri doctrinam, quæ „ & damnatas jam olim hæreses ac novos etiam errores & meram „ contineat impietatem: hoc eo sibi dolere vehementius, quod ea „ pestis ortum habeat in Germania, quæ non solum magna semper „ observantia fuerit in ecclesiam Romanam: verum pro hujus quoque „ dignitate vitam aliquando profuderit, & acerrimas susceperit dimi„ cationes: in recenti adhuc esse memoria, quantis animis & quo ar„ dore Bohemos oppugnarint & Hussitas: nuper etiam academias „ aliquot pristinæ virtutis atque roboris præclarum edidisse docu„ mentum: quia vero sibi suæque curæ sit à Christo demandata to„ tius orbis Christiani multitudo, non se posse diutius ad tantam rem „ connivere: post, recitatis Lutheri dogmatis, adversari ea dicit „ charitati Christianæ, et reverentiæ, quam omnes ecclesiæ Romanæ „ debeant; itaque congregationem fecisse cardinalium senatus & ali„ orum, qui quidem a multa disceptatione pronunciarint, ea minime „ recipi oportere, quod & conciliis & patribus & ecclesiæ fidem de„ rogent: de illorum ergo consensu ac voluntate doctrinam hanc „ omnem damnat, & pro ea, quam habere se dicit, potestate, mandat „ omnibus, ut eam defugiant, gravi constituta pœna singulis, pro „ sua cuique dignitate & ordine ac vitæ genere: mandat etiam ma„ gistratui, præsertim Germano, nequid ejus doctrinæ comprobent „ aut defendant: libros quoque Lutheri, quibus ista continentur, „ jubet exhiberi atque incendi, commemorat deinde, quam egerit „ amanter atque paterne, ut illum ad sanitatem revocaret, quomodo „ per legatos eum sit adhortatus, quo modo Romam evocarit, quo„ modo de profectione caverit, & viaticum promiserit: illum vero „ contempta citatione, ad concilium à se provocasse, contra Pii & „ Julii II. decretum, quo sit cautum, ut qui sic provocant, pœnam „ subeant hæreticis constitutam: ideoque sibi tunc integrum fuisse „ quidem, adversus illum agere pro ipsius merito, sed tamen pro „ sua mansuetudine longius quoddam tempus atque moram indul„ sisse, si forte, tanquam filius prodigus, calamitate sua melior

 effec-

„ effectus, ad gremium ecclesiæ redire vellet: ejus etiam animi erga
„ illum adhuc quidem esse: vehementer itaque per omnia sacra ro-
„ gare tam ipsum, quam socios, ut desinant perturbare ecclesiam: id
„ si faciant, multam eis benevolentiam pollicetur. Luthero tamen
„ mandat interim, ut à docendi munere discedat: deinde dies 60
„ præfinit, intra quos ad sanitatem redeat, & suos ipse libros abo-
„ leat, & doctrinam suam publice detestetur: nisi pareat, damnat
„ & proscribit, ut hæreticum, & pœnam legibus constitutam jubet
„ irrogari, & sacris interdicit, & mandat omnibus, ut aditum ip-
„ sius atque sermonem defugiant, nec ullam rem cum eo communi-
„ cent: qui secus fecerint, iisdem legibus pœnisque subiicit, & de-
„ cretum hoc omnibus in templis ac populi conventibus, certis die-
„ bus recitari jubet.

Ipsa autem Bullæ formula ita se habet:

LEO Episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exsurge Domine, & judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die: Inclina aures tuas ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cujus tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad patrem, ejus curam, regimen, & administrationem Petro tanquam capiti, & tuo Vicario, ejusque successoribus, instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de sylva, & singularis ferus depascitur eam. Exsurge Petre, & pro pastorali cura præfata, tibi, (ut præfertur divinitus demandata,) intende in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarum, ac fidei magistræ, quam tu, jubente Deo, tuo sanguine consecrasti: contra quam, sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt Magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes; quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero; qui zelum amarum habentes & contentiones in cordibus suis, gloriantur, & mendaces sunt adversus veritatem. Exsurge tu quoque, quæsumus Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminasti atque illustrasti. Jam enim surgit novus Por-

phynus: quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos injuſte momordit; ita hic ſanctos Pontifices prædeceſſores noſtros contra tuam doctrinam eos non obſecrando, ſed increpando, mordere, lacerare, ac ubi cauſæ ſuæ diffidit, ad convicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (ut inquit Hieronymus) ultimum præſidium eſt, ut cum conſpiciant cauſas ſuas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere; & cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe, ad exercitationem fidelium, tu dixeris oportere; eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu, te intercedente & adjuvante, extingui neceſſe eſt. Exsurgat denique omnis ſanctorum ac reliqua univerſalis Eccleſia, cujus vera Sacrarum litterarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum inſtituto, apud ſemetipſos ſapientes, Scripturas easdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa, teſte Apoſtolo, interpretantur, imo vero torquent & adulterant; ita ut juxta Hieronymum, jam non ſit Euangelium Chriſti, ſed hominis, aut quod pejus eſt, diaboli. Exſurgat, inquam, præfata Eccleſia ſancta Dei, ut una cum Beatiſſimis Apoſtolis præfatis, apud Deum Omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium ſuarum erroribus, eliminatisque à fidelium finibus hæreſibus univerſis, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacem & unitatem conſervare dignetur.

Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia & mœrore exprimere vix poſſumus, fide dignorum relatis ac fama publica referente, ad noſtrum pervenit auditum, imo vero, proh dolor, oculis noſtris vidimus, ac legimus, multos & varios errores, quosdam videlicet jam per Concilia ac prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, hæreſim etiam Græcorum & Bohemicam expreſſe continentes; alios vero reſpective vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, à falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt, quam oporteat; quorum garrulitas (ut inquit Hieronymus) ſine ſcripturarum authoritate non haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam etiam divinis teſtimoniis, male tamen interpretatis roborare.

A

A quorum oculis timor Dei recessit, humani generis hoste suggerente, noviter suscitatos, & nuper apud quosdam leviores in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi evenisse, quod eandem nationem, & nos, & prædecessores nostri, in visceribus semper gessimus charitatis. Nam post translatum ex Græcis à Romana Ecclesia in eosdem Germanos imperium, iidem prædecessores nostri, & nos, ejusdem Ecclesiæ Advocatos, defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos Catholicæ veritatis vere germanos, constat hæresium acerrimos oppugnatores semper fuisse; cujus rei testes sunt laudabiles illæ constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ, proque expellendis exterminandisque ex omni Germania hæreticis, sub gravissimis pœnis, etiam amissionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes, olim editæ, & à nostris prædecessoribus confirmatæ; quæ si hodie servarentur, & nos & ipsi utique de hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Wicclefistarum, nec non Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum, seu multorum ex eis per Colonienses & Lovanienses Universitates, ut pote agri Dominici pisssimas religiosissimasque cultrices, non minus docta quam vera ac sancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quæ ne historiam texere videamur, prætermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officii divina gratia nobis injuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ religionis nota, atque Orthodoxæ fidei injuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur & est talis.

I. Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

II. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

III. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli.

IV. Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum ti-

 mo-

morem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum regni.

V. Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem & satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.

VI. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

VII. Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cætero non facere, summa pœnitentia; optima pœnitentia, nova vita.

VIII. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

IX. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

X. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

XI. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, *Quodcumque solveris* &c. Hic inquam confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem; & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione.

XII. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

XIII. In Sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.

Nul-

XIV. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

XV. Magnus est error eorum qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria; omnes illi ad judicium sibi manducant & bibunt: sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

XVI. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie, sunt hæretici, sed schismatici.

XVII. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

XVIII. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum; & sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

XIX. Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

XX. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles.

XXI. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

XXII. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles; videlicet mortuis seu morituris infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

XXIII. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

XXIV. Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

XXV. Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

XXVI. Verbum Christi ad Petrum, *Quodcunque solveris super terram* &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

Cer-

XXVII. Certum eſt, in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum, ſeu bonorum operum.

XXVIII. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret; adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

XXIX. Via nobis facta eſt enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum à quocumque Concilio.

XXX. Aliqui articuli Joannis Husz condemnati in Concilio Conſtantienſi, ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec Univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

XXXI. In omni opere bono juſtus peccat.

XXXII. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

XXXIII. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem Spiritus.

XXXIV. Præliari adverſus Turcas eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

XXXV. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

XXXVI. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

XXXVII. Purgatorium non poteſt probari ex Sacra Scriptura, quæ ſit in Canone.

XXXVIII. Animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute, ſaltem omnes; nec probatum eſt ullis aut rationibus aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

XXXIX. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermisſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium, minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

XLI. Prælati Eccleſiaſtici & Principes ſeculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores, reſpective, quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductivi, quam denique ſint contra omnem charitatem, ac S. R. E ma-

matris omnium fidelium, & Magistræ fidei reverentiam, atque nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile unusquisque infidelis esse convincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, utpote gravissimis, propensius (ut decet) procedere, nec non hujusmodi pesti, morboque canceroso, ne in agro Dominico tanquam vepris nociva ulterius serpat, viam præcludere cupientes, habita super prædictis erroribus & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis, ac sæpius ventilatis cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus seu ministris Generalibus, pluribusque aliis Sacræ Theologiæ, nec non utriusque Juris professoribus, sive magistris, & quidem peritissimis; reperimus eosdem errores, respective (ut præfertur) aut articulos non esse Catholicos: nec tamquam tales, esse dogmatizandos, sed contra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam sive traditionem, atque adeo veram divinarum scripturarum receptam interpretationem, cujus auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus, ut dixerit se Euangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ intervenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus palam sequitur, eandem Ecclesiam quæ Spiritu sancto regitur, errare & semper errasse. Quod est utique contra illud, quod Christus discipulis suis in Ascensione sua, ut in sancto Euangelio Matthæi legitur, promisit, dicens; *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque & summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones; quibus non obtemperasse, omnium hæresium & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit. De eorumdem itaque Venerabilium fratrum nostrorum concilio & assensu, ac omnium & singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatos omnes & singulos articulos, seu errores, tanquam (ut præmittitur) respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reji-

cimus, ac pro damnatis, reprobatis, & rejectis, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, harum serie decernimus & declaramus; Inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub majoris excommunicationis latæ sententiæ; nec non quoad Ecclesiasticas & Regulares personas, Episcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum quoque & Prioratuum etiam Conventualium, & quarumcunque dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, privationis, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda; quo vero ad Conventus, Capitula, seu Domos, aut pia loca secularium, vel Regularium, etiam Mendicantium, nec non Universitatis etiam studiorum Generalium, quorumcumque privilegiorum indultorum à sede Apostolica, vel ejus Legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cujuscumque tenoris existant; nec non nominis & potestatis studium Generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: Prædicationis quoque officii, ac amissionis studii Generalis, & omnium privilegiorum ejusdem. Quo vero ad seculares ejusdem excommunicationis, nec non amissionis cujuscumque; emphyteusis, seu quorumcumque feudorum, tam à Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Nec non quoad omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis, & criminis læsæ majestatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in jure expressis pœnis, eo ipso & absque ulteriori declaratione per omnes & singulos supradictos, si (quod absit) contra fecerint, incurrendis. A quibus vigore cujuscumque facultatis, & clausularum, etiam in confessionalibus quibusuis personis, sub quibusuis verborum formis contentarum, nisi à Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absoluti nequeant. Omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, tam Laicis quam Clericis, secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus & aliis quibuscumque personis, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque

que Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel ministris Generalibus vel particularibus, Fratribus seu Religiosis, exemptis & non exemptis; studiorum quoque Universitatibus secularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium Regularibus, nec non Regibus, Imperatoris Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusque Officialibus, judicibus, Notariis, Ecclesiasticis & secularibus, Communitatibus, Universitatibus, potentatibus, Civitatibus, castris, terris & locis, seu eorum vel earum civibus, habitatoribus & incolis, ac quibusvis aliis personis Ecclesiasticis vel Regularibus (ut præfertur) per universum Orbem, ubicumque, præsertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, perversamque doctrinam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte, quovis quæsito ingenio, vel colore, tacite vel expresse favere præsumant.

Insuper, quia errores præfati, & plures alii, continentur in libellis, seu scriptis cujusdam *Martini Lutheri*, dictos libellos & omnia dicti *Martini* scripta, seu prædicationes, in Latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continetur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus; & pro omnino damnatis, reprobatis, ac rejectis (ut præfertur) haberi volumus: mandamtes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare sive defendere, per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquo modo præsumant: quin imo illa statim

post harum publicationem, ubicumque fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publice & solenniter in præsentia Cleri & populi, sub omnibus & singulis supradictis pœnis, comburant.

Quod vero ad ipsum *Martinum* attinet, bone Deus, quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, ut eum ab hujusmodi erroribus revocaremus? Postquam enim ipsum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus, atque tam per diversos tractatus, cum Legato nostro habitos, quam per litteras nostras hortati fuimus, ut à prædictis erroribus discederet, aut ad nos, oblato etiam salvo conductu, & pecunia ad iter necessaria, sine metu seu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere debuit, veniret, ac Salvatoris nostri Apostolique Pauli exemplo, non in occulto, sed palam & in facie loqueretur. Quod si fecisset, pro certo (ut arbitramur) ad cor reversus, errores suos cognovisset: nec in Romana Curia, quam tantopere, vanis malevolorum rumoribus plusquam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperisset errata: docuissemusque eum luce clarius, Sanctos Romanos Pontifices, prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam injuriose lacerat, in suis Canonibus, seu Constitutionibus, quas mordere nititur, numquam errasse: quia juxta prophetam, *nec in Galaad resina*, *nec medicus deest*. Sed obaudivit semper, & prædicta citatione, omnibusque & singulis supradictis spretis venire contempsit, ac usque in præsentem diem contumax, atque animo indurato, censuras, ultra annum sustinuit; & quod deterius est, addens mala malis, de citatione hujusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit, ad futurum Concilium, contra Constitutionem Pii II. ac Julii II. prædecessorum, nostrorum, qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos, Frustra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi se non credere palam profitetur: ita ut contra ipsum, tamquam de fide notorie suspectum, imo vere hæreticum, absque ulteriori citatione vel mora, ad condemnationem & damnationem ejus, tamquam hæretici, ac ad omnium & singularum suprascriptarum pœnarum & censurarum severitatem procedere possemus. Nihilominus de eorundem Fratrum nostrorum consilio, Omnipotentis Dei imitantes

tes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat; omnium injuriarum hactenus nobis & Apostolicæ sedi illatarum obliti, omni qua possumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis est agere, ut proposita mansuetudinis via ad cor revertatur, & à prædictis recedat erroribus; ut ipsum tamquam filium illum prodigum ad gremium Ecclesiæ revertentem, benigne recipiamus. Ipsum igitur *Martinum, & quoscunque ei adhærentes*, ejusque receptatores & fautores, per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quo & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem, veritatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad patrem, turbare desistant, & à prædictis tam perniciosis erroribus, prorsus abstineant: inventuri apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta, nos certificaverint, paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem *Martino*, exnunc, ut interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat. Alioquin, ut ipsum *Martinum*, si forte justitiæ & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat disciplinæ, eundem *Martinum*, ejusque adhærentes, complices, fautores, & receptatores tenore præsentium requirimus & monemus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro secundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infrascriptis, immediate sequentes numerandos, ipse *Martinus*, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti, à præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione & assertione, defensione quoque, & librorum seu scripturarum editione super eisdem, sive eorum aliquo omnino desistant, librosque ac scripturas omnes & singulas, præfatos errores, seu eorum aliquos quomodolibet continentes comburant, vel comburi faciant. Ipse etiam *Martinus* errores & assertiones hujusmodi omnino revocet, ac de re-

vocatione hujusmodi per publica documenta in forma juris valida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies transmittenda, vel per ipsummet (si ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato plenissimo salvo conductu, quem extunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis scrupulus valeat remanere. Alias, si (quod absit) *Martinus* præfatus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti secus egerint, seu promissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, post primam & secundam correptionem vitandum docuit, exnunc prout extunc, & è converso, eundem *Martinum*, complices, *adhærentes*, fautores, & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam, Catholicæ fidei inimicam, sive scandalosam, seu damnatam, in non modicam offensam divinæ majestatis, ac universalis Ecclesiæ, & fidei Catholicæ detrimentum & scandalum dogmatizantes & prædicantes, Claves quoque Ecclesiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos eadem authoritate fuisse & esse declarantes, eosdem ut tales, harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus supradictis volumus & mandamus, eosque omnes & singulos omnibus supradictis & aliis contra tales à jure inflictis pœnis, præsentium tenore subjicimus, & eisdem irretitos fuisse & esse decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea sub omnibus & singulis præmissis pœnis, eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christi fidelibus superius nominatis, ne scripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem *Martino* quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, seu eorum aliqua, tamquam ab homine Orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer suspecta, & ut ejus memoria omnino deleatur de Christi fidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudari, imprimere, publicare sive defendere, per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, seu in domibus suis, sive aliis locis publicis vel privatis, tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa comburant, ut præfertur. Monemus insuper omnes & singulos Christi fideles supradictos, sub eadem

dem excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut hæreticos prædi-ctos declaratos & condemnatos, mandatis nostris non obtemperantes, post lapsum termini supradicti evitent, & quantum in eis est, evitari faciant, nec cum eisdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam conversationem, seu communionem habeant, nec eis necessaria ministrent. Ad majorem præterea dicti *Martini*, suorumque complicum, fautorum & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, sic post lapsum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum confusionem, universis & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium (præsertim ejus Congregationis, cujus dictus Martinus est professus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus, exemptis & non exemptis, nec non universis & singulis Principibus, quacumque Ecclesiastica vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, terris, castris & locis, seu eorum habitatoribus, civibus & incolis, omnibusque & aliis supradictis, per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, Mandamus, quatenus sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum *Martinum*, complices, adhærentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant: Reportaturi pro tam bono opere à nobis & sede Apostolica remunerationem, præmiumque condignum; vel saltem eos, & eorum quemlibet, de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis & aliis Ecclesiis, domibus, Monasteriis, Conventibus, Civitatibus, dominiis, universitatibus, Communitatibus, castris, terris ac locis respective, tam Clerici & Regulares, quam laici omnes & singuli supradicti, omnino expellant. Civitates vero, dominia, terras, castra, villas, comitatus, fortalitia, oppida & loca quæcumque ubilibet consistentia eorum & earum respective Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus,

Con-

Conventus, & loca religiosa vel pia, cujuscumque Ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum *Martinum*, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanserint, & triduo post recessum, Ecclesiastico subjicimus interdicto.

Et ut præmissa omnibus innotescant, mandamus insuper universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, ac Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum supradictorum regularibus, fratribus, religiosis, monachis, exemptis & non exemptis supradictis, ubilibet, præsertim in Alemania constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet, sub similibus censuris & pœnis eo ipso incurrendis, *Martinum* omnesque & singulos supradictos, qui elapso termino hujusmodi mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis & aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad divina convenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publicè nuncient, faciantque & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari: Nec non omnibus Christi fidelibus, ut eos evitent, pari modo sub prædictis censuris & pœnis: & præsentes litteras vel eorum transsumptum sub forma infrascripta factum, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, domibus, conventibus & aliis locis, legi, publicari & affigi facianr. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos, cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui, quominus præsentes litteræ, vel earum transsumpta, copiæ seu exemplaria, in suis terris & dominiis, legi, affigi & publicari possint, fecerint; vel quoquo modo procuraverint per se vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremo, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, in quibus necessarium foret; volumus & Apostolica authoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici notarii confectis & subscriptis, vel in alma Urbe impressis, & sigillo alicujus Ecclesiastici Prælati munitis, ubique stetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus litteris staretur, & adhiberetur, si forent adhibitæ vel ostensæ. Et, ne præfatus *Martinus*, omnesque alii supradicti, quos præsentes litteræ quomodolibet concernent, ignoran-

tiam

tiam earundem litterarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere valeant, literas ipsas in Basilicæ Principis Apostolotum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non Cathedralium Ecclesiarum Brandenburgen. Misnen. & Merspurgen. valvis affigi & publicari debere volumus; decernentes, quod earundem literarum publicatio sic facta, supradictum *Martinum*, omnesque alios singulos prænominatos, quos litteræ hujusmodi quoquomodo concernunt, perinde, arctent, ac si literæ ipsæ die affixionis, & publicationis hujusmodi, eis personaliter lectæ & intimatæ forent; cum non sit verisimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Nam obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui, aut quibusuis aliis a sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quavis forma etiam Confessionali, & cum quibusuis etiam fertissimis clausulis, aut ex quavis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto hujusmodi mentionem, ejusdem indulti tenores, causas, & formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollantur præsentibus, pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, condemnationis, subjectionis, excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo Vicesimo, decimoseptimo Calendas Julii, Pontificatus nostri anno octavo. Visa. R. Milanesius Albergatus.

Num. XV.

Num. XV.

Valentini à TETELEBEN
Epistola ad Albertum Episcopum & Electorem Moguntinum.

De *Valentino à* TETELEBEN jam non uberiora proferimus, praeter ea quae de eo observavimus in Miscellaneis Groninganis Tom. II. quando Ejusdem alias quasdam Epistolas ad *Albertum Moguntinum* datas recensebamus. Tota haec, de *Hieronymi* ALEANDRI in Germaniam legatione cum potissimum agat, tum, ut *Aleandri* quandam nobis formemus imaginem, non erit injucundum: Fuit is insequentibus temporibus purpura Cardinalitia ornatus, atque a Pallavicino miris encomiis evehitur; SECKENDORFIUS interea, longe ab his diversa de eodem nobis retulit. Histor. Lutheranism. Lib. I. §. LXXXI. n. 3. 4. fol. 125. ubi & Lutheri verbis, in Tomis Jenens T. I. fol. 496. eundem ita describit: *Venit his diebus Hieronymus Aleander, vir, sua opinione longe maximus, non solum propter linguas, quas eximie callet, siquidem Hebraea illi vernacula est, Graeca à puero illi coaluit, Latinam autem didicit diutina professione, sed etiam mirabilis sibi videtur ob antiquitatem generis. Nam Judaeus natus est, quae gens immodice gloriatur, de Abraham vetustissimo se Originem ducere. An vero baptisatus sit, nescitur. Certum est eum non esse Pharisaeum, quia non credit resurrectionem mortuorum, quoniam vivit perinde atque cum corpore sit totus periturus, adeo nullum à se pravum affectum abstinens. Usque ad insaniam iracundus est, quavis occasione furens. Impotentis arrogantiae, avaritiae inexplebilis, nefandae libidinis & immodicae, summum gloriae mancipium, quanquam mollior, quam qui possit elaborato stylo gloriam parare, & pejor, quam qui vel conetur in argumento honesto. At ne nesciamus cessit felicissime simulata defectio ad Christianos. Nactus enim sic est ansam illustrandi Mosis sui, & obscurandi Christi gloriam, quae hoc seculo coepit reflorescere, flaccescente superstitione & pestiferis hominum traditiunculis.*

lis. Itaque instructus literis pontificiis nuper venit, perditurus (quantum potest) optima quaque.

Reverendissime & Illustrissime in Christo Pater ac Domine, Domine observandissime, humillimam commendationem. Clarissimus Vir Dominus *Hieronymus Aleander*, natione Italus, patria teruisatus, Moderni Leodiensis Episcopi olim, & nunc Rmi. & Illmi Dni Cardinalis de Medices Secretarius, ac Summi Pontificis Bibliothecarius, Hebraice, Græce, Latinè apprime doctus, qui Rmæ & Illmæ Dignitati vestras has literas reddit, sedis Apostolicæ per Pontificem ad Sacram Cæsaream & Catholicam Majestatem nuntius mittitur: Eum, tum, quod mihi semper fuerit cognitus, tum quod nomine Pontificis apud Rmam & Illmam D. V. de plerisque negotiis, ut ab ipso factus sum certior, acturus esset, vacuum meis literis abire non sum arbitratus: Habet multa de Fratris *Martini Lutters* novitate, & *Ulrici Hutten* temeritate, ob editos in publicum in sedem Apostolicam & personam Pontificis famosos libellos, cum Rma & Illma D. V. commentari, præsertim quod familiaritas *Hutteni* qui Rmæ & Illmæ D. V. semper curiam dicitur secutus, & locus, in quo libelli impressioni dati fuerunt, civitas scilicet *Moguntina*, nonnullis in Urbe non levem contra Rmam & Illmam D. V. suspitionem pepererint. Apud eundem Dominum *Hieronymum*, in excusationem Rmæ & Illmæ D. V. multis verbis egi, primum, quod *Huttenus* curiam Rmæ & Illmæ D. V. non sequeretur, neque pro familiari ab eadem habitus fuerit: Deinde: quod libellus ille Moguntiæ præter voluntatem seu scientiam Rmæ & Illmæ D. V. formis expressus fuerit, vel eo maxime conjici possit, quod Rma & Illma D. V. in tota Germania, unicus semper sedis Apostolicæ clypeus fuerit, ejusque libertatem, dignitatem, honorem, atque commodum, fortiter & constantissime semper asseruerit, tutataque fuerit, &, ut mihi videbatur, satis sibi excusatio ejusmodi probabilis & rationabilis pro Rma & Illma D. V. videbatur: Quamobrem operæ pretium fore sum ratus, postea quam tempore aliquo ipse apud Rmam & Illmam D. V. fuerit commoratus, ut etiam ad Pontificem pro uberiori Sanctitatis suæ satisfactione & mitigatione & Rmæ & Illmæ D. V. excusatione, literas perscribat. De qua re Rmam

&. Illmam D. V. admonuiſſe ſat erit, cui me humillime & officioſiſſime commendo. Dat. Rome, die quinta menſis Julii, Anno 1520.

E. Rmæ & Illmæ

D. V.
humilis
Capellanus

Valentinus de Teteleben Doctor.

Rmo in Xpo patri & Illmo principi & Dno Dno Alberto H' Sancti Griſogoni S. Ro. Ecl'. Presbro. Cardinali Germaniæ Primati & Sacri Rom. Imperii Principi Electori & Domino meo obſervandiſſimo.

Num. XVI.

Jo. Oecolampadii Epiſtola ad Caſp. Hedionem Reſponſoria:

Quod expediat Epiſtolæ & Evangelii lectionem in Miſſa, vernaculo ſermone plebi promulgari.

Quum ipſa, quæ ad hoc negotium ſpectant originaria exemplaria, quibus & Hiſtoria Vitæ OECOLAMPADII pariter atque etiam *Franciſci von* SICKINGEN, ex cujus Arce Ebernburgo, hæc ab *Oecolampadio* perſcribebantur, illuſtratur, ad me ex Bibliotheca *Jo. Alb.* FABRICII Viri ſummi, pervenerint, tum eadem benevolo Lectori ut communicaremus, quanquam ipſa etiam res ea quæ deinceps demum evolventur tempora concernat, æquum judicavimus, atque opportunum.

Præmittimus verò ipſius *Hedionis* ad *Oecolampadium* Epiſtolam, quæ ita ſe habet.

GASPAR HEDIO, JO. OECOLAMPADIO
Theologo. S. D.

Conſtans hic fuit fama, optime Oecolampadi, at quam vera, ignoro: te novo quodam & ſingulari ordine habere ſacrum. Nam quæ

quæ latine hactenus in templo, patrum consensu lecta sunt, horum tu quædam dicebaris alemannica lingua legere: quædam omittere prorsus, tanquam nihil ad rem facientia: ut temporis jactura tibi semper visa est periculosissima. Epistolam, Euangeliumque dicebant te vulgariter tantum proferre. Canonem, quem vocant, Missæ, à te non audiri, aut certe quam brevissimis verbis perstringi. Præterea ceremoniis hisce, quibus libenter & cum fructu in utraque, hoc est, vivorum & mortuorum memoria utuntur quidam, te nequaquam uti. Hujusmodi sane non mediocrem alicui injicere possent de te admirationem, quisnam te spiritus huc adegerit. Adeo magni quidam, hæc quæ scribo & quæ non scribo, asseverabant. Quare per Christum te oro, cui tua studia, mores, & tota vita semper sudant, ut quam primum me per epistolam certiorem reddas, de toto negocio, & quidnam mutaris, quid omiseris. Sunt enim, apud quos retulerit, certa & vera posse respondere. Et sunt rursus, qui quidvis etiam utcunque pium, parum pie interpretantur. Scio pectus tuum tam vere Christianum, ut abhorreat à seditiosa novitate, & ab his quæ sunt citra salutem animarum, finem fidei nostræ, ut Apostolus Petrus inquit: Pacificos esse oportet, ut filii Dei vocemur. Scio quoque, quod tu Majorum decretis, æquissimis inquam, nullo non tempore obtemperasti: neque nunc, arbitror, aliud in mentem tibi venit. Vellem & ego Christi doctrinam saluberrimam non modo in urbibus, sed & in castris, pure, clare, atque concordia magna doceri. Faxit (oro) Christus ut in suam gloriam dirigantur omnia. Bene Vale, Moguntiæ. M. D. XXII. Kal. Junii.

JO. OECOLAMPADIUS CASPARI HEDIONI *Concionatori Moguntino.* S. D.

Equidem, mi Hedio, cum res pie & inculpate gestas, quæ in gloriam Dei, utilitatemque proximi cedunt, timide ac verecunde celare, perinde vitiosum & indecens arbitrer, atque tumentibus buccis prædicare. Nam ut arrogantia, boni exempli proventus perit: ita exemplis bonis ignoratis, ad æmulationem nullus provocatur. Tenebras ament filii tenebrarum, lucem filii lucis: Regum arcana celentur, Dei gloria prædicetur. Videantur, ait Christus, vestra opera

 bona,

bona, ut glorificent patrem vestrum in cœlis, eapropter, quod quidam parum fideles testes de me significarunt, quibus & fama, ut scribis, constans subscripsit, *me novo quodam & singulari ordine habere sacrum:* non debuisset ingratum esse, nec fuisset, si non ut fieri solet vana pro veris, ambigua pro certis, sed rem sicut acta est, fideliter narrassent. Neque enim aliquid gessimus, vel attentavimus impium, vel ad ædificationem proximi inutile, vel Apostolicæ doctrinæ adversum, cujus nos pudeat, vel quod occultum optemus, vel cujus rationem reddere detrectemus, non modo tibi aut tam amice expostulanti, aut tam officiose percontanti, sed & omnibus, atque his maxime, qui nunc latrant, ubi nulli fures, queruntur, ubi nullum damnum, impingunt, ubi nullum offendiculum, impietatis & arrogantiæ accusant, ubi charitatis ac pietatis prima ratio habita est. Sed quid mirum, si factum nostrum etiam digna fide annuntiatum, *minus probent*, male interpretentur, condemnent? Quid non reiicit ægrotorum stomachus? quid non arrodunt catuli? Itaque tibi, siquidem per Christum oras, imò adiuras, rem ipsam certius aperiam: confidens tenui patrocinio me non modo ab omni impietate, sed & à temeritate, & omni reatu, te & optimis quibusque arbitris absolutum iri. Nam quantum ad illos attinet, etiam si justa eis oratione respondere adnitar, vel etiam si tu eos meo nomine demulcere voles, vereor parum proficiemus. Quam gratiam enim, vel quem locum apud eos inveniant veritas & pietas, tute ipse non dubito experiris, cum illorum putida ulcera tangis vel extremo digito, teneris adhuc impendio parcens. Sed tu vide sis, an Euangelici sermonis libertati ad amussim hæc tua respondeat modestia. Fortassis hinc novam calumniandi ansam arripient, quasi Camarinam denuo moveam, sed ferendum, quicquid illi adversus nos loquantur, modo nobis bene conscii simus. Non est nostrum, ut studeamus placere hominibus, alioquin, quo pacto erimus servi Christi? *Quantum ex nobis est, pax quidem habenda cum omnibus: spectandum tamen, ne dum eam sectamur immodice, Christum ipsum amittamus:* qui non pacem, sed gladium veniens misit, & per Prophetam maledicit, prohibentem manum à sanguine, ne dum pro terrena pace servanda loquimur & tacemus, adulamur & carpimus, facimus & patimur, simulamus & dissimulamus omnia: cœlestem illam, quam mundus dare non potest,

test, tandem desideremus. En offerimus pacem, sed non illi vicissim. Vellent nos sibi parêre in pravis, sed nolunt ipsi nobis obsecundare in rectis. Vellent nos secum per suarum traditionum præcipitia trahere, nolunt autem nobiscum ambulare in securis mandatorum Dei itineribus. Vellent nos seculi contagionibus pollui, & nolunt ipsi verbo Dei purificari. Utri dignius cedunt? utri justius aliis succensent? sed ad rem pergimus. Fateor, mi Hedio, *egi aliquid præter morem vulgi:* sed aliquid illud, non est aliud, quam quod in liturgia *Epistolam & Euangelium* vernaculo nostro, non latino sermone, popello hujus arcis promulgavi. Alia quæ de me feruntur, vana sunt: tantum Euangelium & epistolam germanico, & non latino sermone, legi. Fateor, hæc legi, ut tibi relatum: sed ea modestia, gravitate, & reverentia, qua decet sacrosancta Dei verba annuntiare: nihil alioquin insolitum admittens, nihil ex consuetis ceremoniis prætermittens, nihil ex hactenus observato ordine invertens. Tantum idioma mutavi, in utilitatem auditorum: idque mea opinione non infeliciter. Et hoccine tantum flagitii? Qui latine ita corrupte & misere legunt, ut nec ipsi legentes, nec audientes inde sensum aliquem haurire possint, veniam merentur. Qui lectionem ita silenter secum mussitant, ut nemo eos legere credat, innoxii habentur. Qui cachinnis, lasciviis, incompositisque moribus interstrepunt: vix facti admonentur. Unam ego rem facio, neque ingratam Christo, qui, ut non est personarum acceptor, ab omnibus linguis prædicari & laudari debet, neque inutilem fratribus; maleque audio apud eos, quorum erat gratulari, & factum comprobare. Habentne hic, quod male interpretentur? habentne, quod pro flagitio ducant? Ducunt plane pro flagitio, & ideo stomachantur, zelant, carpunt, traducunt: & quibus nominibus, haud ignoro. Nam licet tu modeste, ut soles, insinuas, quod rem piam male interpretentur: nuntiatum tamen per alios, quo modo Acarnani illi in conviviis sui similes sint. Verum illorum licentiosæ dicacitati satisfacere nolo, tuis literis respondere decrevi: quæ, cum eas penitius excutio, ita mitius mecum expostulare videntur. Ignosce autem, si ad severiorem trutinam eas expendero, quam verborum suavitas doceat. Tu me tangere durius noluisti: ego lectis ipsis adulari mihi non debeo. Tendunt tamen in hanc, ni fallor, sententiam. *Cum*

adeò

adeò sancta atque reverenda leges omnes sint, ut sine illis concentus rerum, & ordo omnis turbetur ac solvatur: maxime tamen reverenda, quæ ad religionem & ad aras spectant. Nam hæ non modo ad pacem reipublicæ faciunt, sed & Deo nos quodam modo conciliant. Unde qui in rebus sacris, à præscriptis patrum consuetudinibus, quæ legum & canonum vice sunt, desciscunt, tumidi primum & rebellis animi arguuntur, dein aliquid *autoritati Ecclesiasticæ derogant*, ad hæc seditiosæ novitati serviunt, unde minus in admiratione sacra mysteria, despicabilior cleri dignitas, importunior vulgi licentia. Et quid postea tutum? quid tranquillum? quid religiosum? Me igitur suspicantur quendam legum & consuetudinum temeratorem, ac sacrorum prophanatorem, quod mihi permiserim, id quod a multis seculis sua autoritate vel prælatus, vel episcopus attentarit nullus. Apparere rem magnam, alioqui non tantam, novitas facit. Unde hoc humilitati dabit nemo, sed arrogantiæ omnes. Nemo pacis, sed omnes seditionis studio ascribent, quandoquidem in his tumultibus, nihil tam periculosum, quam moliri quippiam quod vel speciem novitatis præ se ferat, præsertim cum populus non tam salutaria, quam nova audire cupiat, atque totus pruriat. Nemo hoc prudentiæ, sed omnes vecordiæ tribuent: nemo menti piæ, sed omnes menti maligno spiritu agitatæ, & in summa, nemo bonitati, sed desperatæ malitiæ omnes acceptum ferent. In hunc modum per epistolam tuam, non tu, sed ipse me accuso. Non desunt tamen, qui factum hoc similiter istic interpretantur, apud quos, ut habeas, quod pro me respondere possis, si forte audient, patienter lege, quæ pro me, ut reus, affero. Rem per se honestam, honestiorem dices, si quibus causis, quibusque modis acta sit, cognoveris. Quæ mox subjunxissem, ni tu commemorares consensum patrum, consuetudinem ceremoniarum, & decreta majorum: quæ tamen nihil me urgent, nisi quod alicubi cavent, ut metropolitanæ, cathedralisve ecclesiæ ritus, ecclesiæ inferiores imitentur. Quamvis autem haud operæ precium crediderim, tecum, utpote homine theologo, & in his jam exercitato, multis agere, agendum tamen aliqualiter, fortassis hinc potissimum justificabor. Igitur legibus honorem suum salvum, atque inviolabilem esse autoritatem, optavi quidem semper, atque nunc maximopere velim: sed cogitare oportet, quæ legum dignitas,

& quan-

& quantum jus. Non enim illæ supra homines: neque homines propter leges, sed leges propter homines. Leges, quomodocunque illas appelles, sive decreta, sive ritus, sive aliis nominibus, ut pharmaca sunt, quæ sanis supervacanea, ægris vero cum male habent, si accommodentur probe, in summo sunt precio. Legum usus est, ut magis mens legum quam verba spectentur, neque peccat aliquis in eas, qui relicta litera, sensum sectatur. Alioquin, ut res humanæ omnes nunquam in eodem statu permanent, ita & leges male stabiles sunt. Interim eas omnino respuit necessitas: interim duriores, mitioresve petit, nunc stant, nunc cadunt. Itaque videndum primo, quatenus conducant, & an salubrius aliquid afferri queat. Eatenus sanctæ sunto: modo non conferantur cum Lege Domini, qui solus sancit nullo ævo abolenda, solus statuit omnibus temporibus accommoda. Qualis est dignitas hominis, qui natura mendax, ad Deum, qui verax & fidelis in operibus suis, talis est & humana constitutio, ad divinam comparata. In æternum permanet verbum tuum Domine, dixit Psaltes; At Christus: Donec transeat cœlum & terra, jota unum aut apex unus non præteribit à lege. Exiccatum est fœnum, dicit nobilis Propheta, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Salutem Christus non in observatione *τῶν δευτερώσεων* sitam docuit dicens: *Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* At de præceptis Dei, inquit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei*, item: *Sermonem meum si quis servaverit, non gustabit mortem usque in æternum.* Humanæ traditiones nunc labruscæ vocantur in scriptura, quas ingrati rependunt: nunc harena, supra quam infeliciter ædificatur: nunc cisternæ, quæ aquas continere non valent, nunc diadema Hester abominabile, nunc panni sordidissimi, nunc aliis vilioribus nominibus. Contra, lex Domini quanto honestioribus appellatur, nempe fons aquarum viventium, lignum vitæ, petra super quam bene ædificatur. Et quid multis? Apostoli in primo concilio suo decreverunt, *abstinendum esse à sanguine & suffocatis:* & quis hodie hoc ut legem agnoscit? *Serviebat hoc probe illorum temporum paci, nunc momenti nullius est. Itaque vigeant leges, sed quatenus prosunt, & ne vinum* ab impiis cauponibus misceatur, discriminatæ sint humanæ atque divinæ.

V Jam

Jam cum ad ſacra venitur, in primis opus eſt, ut leges ſerventur, ſed primum, ſi quæ à Chriſto datæ, ſimiliter & ritus, ſi qui à Chriſto præſcripti, & dein ſuo loco, quod ab hominibus accepimus, ubi commodum fuerit ac conducibile. Hic dolere, hic ingemiſcere, hic deplorare licet. Vere enim hic ordo rerum turbatur: zelus non eſt ſecundum ſcientiam. Hominum mandata defenſantur, divina impune negliguntur. Conſuetudines patrum jactant, iterumque jactant, non ſecus ac illi, in quorum ore erat, Templum Domini. Deum ac ſalvatorem Patrum blasphemare non verentur. En quam brevis, quam facilis, quam ſimplex, quam nudus à ceremoniis hujus ſacri myſterii ritus, uti à Chriſto nimirum optimo prudentiſſimoque legislatore inſtitutus. Cætera quam varia ac multiplicia, in univerſum omnia, quæ ab hominibus adjecta ſunt, & offendes quidem aliqua, quæ non multum aut eruditionis aut pietatis ſapiant, invenies autem & quæ ſpiritu ſancto afflati proculdubio in eccleſiis iiſdem horis tractari voluerunt. Quorum omnium diviniſſimum & certisſimum credo eſſe verbum Dei. Atenim Apoſtolus: Cum convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, revelationem habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Similiter è bono ſpiritu profectum eſt, ut fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, & pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate ac caſtitate. Verum quales, & quantæ preces, vel quæ & quantæ lectiones, hoc noſtri arbitrii eſt. In divinis nihil nobis eſt juris. Atque ô utinam, in divinis nihil mutatum videremus: & zelus noſter hic tam flagraret. Cæterum in aliis ritibus ego ſane nihil offendor: tantum in eccleſiis ægre probarem, deeſſe preces: maxime autem, ſi prophetiæ deſiderarentur. Hæc ubi aliquo modo conſtant, in aliis, ſive ceremoniis, ſive ritibus, non plurimum momenti eſt, tantum, ne ſuperbe in ſcandalum puſillorum contemnantur, qui vix hoc lacte abarceri poſſunt. At nihilominus, ſi vel evidens proximi utilitas, vel Dei gloria aliud requirat, ſcilicet ut quid præter ſolitum morem agatur: non video quid impedire debeat, aut posſit, quo minus audeatur. Neque in his epiſcopi conſenſu ſemper opus. Præſens ipſe, quanto magis valet conſilio ac pietate, tanto magis audiendus,

dus, absentem in re per se pia, atque à Christo permissa, quid opus est consulere? præsertim cum ferme omnia non nisi præstita pecunia, multisque precibus obtinentur, & difficile, atque ipsi aliis negocus dediti sunt. Aut, si in die Dominico, vel confessoris alicujus festo, quo in cæteris templis legitur, prout docent ephemerides annuæ, ego pro sedandis quibusdam tumultibus, de charitate, & ex epistolis & euangeliis selectiores quosdam locos depromptos promulgarem, reus essem inconsulto episcopo, etiamsi non longe abesset, etiamsi adesset, & nihil illi harum rerum curæ foret? Et nescio, an id genus hominum episcopos appellare debeam, si præter infulæ & baculi gestamen, & inunctiones, & characterum scripturam, ac ejusmodi, episcopale reliquum habent nihil. Certe ab his, qui spiritum Dei habent, non agnoscuntur, nisi ut parietes dealbati, ut arbores absque fructu, ut nebulæ turbinibus agitatæ. Nam forte vix constituti sunt in caudam, & pro capite se venditant: alieni sunt ab omnibus charismatibus spiritus, & præcipua munia sibi vendicant, quasi sat sit ab homine unctum esse, & non superne. Unicuique, ait, datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: Hæc autem operatur omnia unus atque idem spiritus, singulis prout vult. Prodeant illi, & vel unum illorum donorum proferant, ut eis alii jure cedant. Apparent quidem cymbala, vestes, pompæ, suffitus, faces, boatus, & rerum proh nimium remotiorum figuræ: sed sunt non nisi theatrica, ad utilitatem ecclesiæ vel nihili, vel minimum facientia, propter quam tamen Spiritus datur. Nam ipsi interim dum quærunt quæ sua sunt, occidunt, mactant, & perdunt. Et unde illa, vel quæ illa potestas? Potestas, inquit, in ædificationem, non in destructionem data est. Atqui vivant illi in delitiis, servandi in diem illum victimæ, quo in conculcandis ipsis, is qui venit de Aedom, tinctis vestibus de Bosra, sanguine illorum omnia vestimenta sua coinquinabit: Nos aliorum nobis exempla proponamus, interrogantes videlicet patres nostros, qui constituti sunt principes super omnem terram, & ipsi dicent nobis, Majores nostros, & ipsi respondebunt nobis. Nam si cæci speculatores non vident, quid utile gregi, vel magis, utile oculatis ne

 aliis

aliis propterea cessandum ab admonitione? Obmutescentibus, quorum est dicendi officium: obmutescemusne semper & nos, ubi tetigerit corda nostra Spiritus? Timentibus sibi, & nihil aggredi audentibus, his qui primas partes tenent: prohibebiturne prætextu clavium, quibus gloriantur, ne progrediantur alii? Melius suis providet Christus: & jubet, ut unusquisque secundum gratiam sibi datam operetur. Ab uno quovis rationem talenti concrediti quæret: Unamquamque infructuosam arborem maledicet: Maledictus omnis qui non relinquit semen in Israël. Hortatur nos Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei accipiamus. Pertinet etiam ad nos, quod Timotheo dicitur. Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per impositionem manuum. Quæritur etiamnum, an fideles dispensatores mysteriorum Dei simus? Demandatum est, & nobis de proximo: Et omnibus modis urgemur, si Christi sumus, non quæ nostra sunt quærere, sed quæ aliorum, idque in Christo. Jam quid, quod præsidet episcopus, & violenta est consuetudo? Apostolus ille non ab hominibus, sed à Deo vocatus, inquit: Quod si alii revelatum fuerit, prior taceat En, legentem diaconum ut auscultet episcopus, religio jubet. Necesse item, ut cuivis τῶν θεοδιδάκτων cedat, ubi spiritus affuerit. Et quid mali, si aliquid prioris consuetudinis aboleri sinatur, ut longe conducibilior succedat? Spiritus, ait, prophetarum, prophetis subjectus est, & quanto magis consuetudo ipsa? Non spectant spirituales quorsum eat multitudo, sed quod iter commodius: contendunt magis ire per angustam, quam per amplam. Ubi spiritus, ibi libertas. Et si spiritu ducimini, non estis sub lege. Aut, si tanta vis consuetudinis: qua autoritate alii hymnos, alii tropos, alii alia cantica, alii alios ritus antea incognitos invexerunt? Excusavit illos pietas, & animi synceritas, vel saltem persuasa populis: cur non & nostra ætate aliquid præter instituta patrum agere culpa caret? Fieri potest, sub boni spiritus specie, tegant se mala: sed spirituales dijudicent omnia. In summa, mihi nulla esse videtur legum temeratio, vel sacrorum prophanatio, ubi menti legis aut consuetudinis fit satis, hominumque saluti consulitur. Et de his satis: Excurrit enim sermo latius quam volebam. Pergat nunc ad ea, quæ pollicitus sum: ut scilicet, quibus modis hoc negocii tractatum sit discens, videas me plane eodem

dem quo olim animo esse. Sed accipe. Quoniam *Franciscus à Sickingen*, clarissimus Germaniæ eques, & Imperatorii exercitus capitaneus, *me accersivit ut familiam suam* in templo Christiane instituerem, imo jam pridem *institutam spiritualibus sermonibus* pascerem: nihil tam muneris mei putavi, quam ut illi lex euangelica, familiaris, cognita, & in promptu esset, unde postea per seipsam ad vera synceraque Christianismi studia tenderet, nempe pacem, mansuetudinem, modestiam, charitatem, pietatem, & ante omnia, egregiam in Deum fiduciam. Et *per dies quidem* quadragesimæ, quibus aderam, nihil obstabat, quin lectum latine *Euangelium* mox interpretari possem, & familiariter ad pietatis studia inhortarer. At post pascha id minus commodum fuit, non enim familiæ vacat, ut multam temporis partem in templo transmittat, alio vocantibus negociis. Et sunt, quibus quantumvis parva illic mora, fastidium parit. *Plerique tamen, ut ferme ubique mos est, amant quotidie audire, imo videre sacrum:* imo audire non intellecta nostra murmura, & spectare ceremonias, adesse benedictioni, & interim perfunctorie sese Deo commendare, atque ita se, illo quo hæc observant die, satis pios esse putant. Quod sane exigui fructus est: & credo plerisque interim conducibilius, vel arare, vel texere, vel ligna incidere, vel aliud quiddam operæ. *Templum enim Christianis* totus orbis est: & nusquam non orare, & Deum colere, *spiritu & veritate* (ut scilicet coli vult) atque etiam preculis labiorum, & laudibus *convenit. Templa Christianorum maxime* extructa sunt, ut in eis commodius *ad audiendum verbum Dei, & mysteria celebranda* conveniretur: non adeo *propter preces, & cantilenas. Tametsi nunc nullis* non tumultibus (ita enim à prophetis cantus quorundam dicuntur:) verbum Dei cedere, & esse loco postremo cogitur. Itaque de ea re, cum *Francisco* Decurione & patrono egi, ut quotidiana aliqua sacra lectione in templo sui pascerentur, visumque est ipsi (ut acris est judicii,) nec non & nobilibus & clarissimis viris *Diethero* à *Talburg*, & *Hartmudio à Cronberg*, quos tu scis, quam vere Christiani sint, visum, inquam, est eis, *esse in rem rudium & piorum*, si invertatur vulgaris ille mos, quo solemus *dominico tantum die verbum* Domini annuntiare, & per integram hebdomadam *Missas habere:* ut potius, omnibus diebus annuntietur verbum Domini, & solis dominicis ac se-

festis diebus fiat sacrum, siquidem utroque potiri non datu. Quæ sententia & mihi probabatur. Attentata tamen est via alia per me: nempe, ut epistola, euangeliumque *vernaculo nostro idiomate* legatur. Posse autem, & licere hoc, Pauli testimonio docebam, & ita semper affore pabulum verbi Dei, & non defore sacrum, neque plus solito temporis insumi. Non est repugnatum, sed assensum ab omnibus, quorum intererat. Proinde ne cui repentina rei novitate offendiculo essemus, negocio in diem dominicum dilato, primum auditorum animos familiari oratione paravimus: Quam ad te quoque perscribo, uberius enim ex illa accipies, quare id ausus fuerim. Forte autem fortuito lectum erat in Euangelio: *Venit hora; cum jam non in parabolis loquar vobiscum.* Hinc opportunitatem dicendi aucupatus, in hanc ferme sententiam verba feci.

SERMONIS THEMA.

Venit hora, cum jam non in parabolis loquar vobiscum.

Quam vellem, amici, ut magister & Dominus noster Jesus etiam nobis loqueretur, idque non peregrino sermone, neque per parabolas: sed aperte. Quid enim beatius, *& quid jucundius*, quam audire eum, cui angeli auscultant, qui *fons est omnis* sapientiæ, qui thesaurus omnis scientiæ Dei? Imo *loquitur nobis* multifariam, multisque modis: nunc per beneficia, nunc per pœnas, *nunc per scripturas*, nunc per creaturarum pulchritudinem & ornatum ac usum. At *nos crassiores parum intelligimus.* Voluimus esse, ut dii, scientes bonum & malum: & *aperti sunt oculi nostri ad malum*, obscurati ad bonum. Loquitur præsentissime nobis, quoties vel epistola, vel prophetia, vel euangelium prælegitur. Et doleo nostram miseriam, in quam peccatum invexit. Non satis erat, pusillos esse ingenio, & intellectu. Ex peccato superborum, qui usque in cœlum turrim & monumentum nominis excitare volebant, confusæ sunt & linguæ, ita ut alter alteri sit barbarus. Unde cum pleraque, quæ per sanctos suos annuntiat Christus, non solum uti per parabolam dicuntur, sed & pror-

prorsus non intelliguntur: & ob neglectum interpretationis ego quoque vobis sæpe barbarus sum. Sane nihil unquam in sacris lego, quod non ex toto animo precor, à vobis quoque intelligi, ut aperte vobis loquatur Christus, & non per parabolam. Et profecto, quantum in me est, nihil à vobis celarem unquam, ni ferrea consuetudinis lex tam obstaret: quo non solum eodem animo, sed & idiomate eodem Christum glorificemus: & quoties mihi in scripturis loquitur Christus, loquatur & vobis, & me Deo loquente, eodem idiomate, vos quoque mecum Deo loquamini. Atqui ego latine, vos Germanice loquimini, & si ejusdem, ut confido, animi, in sacris tamen non ejusdem labii. Et in his, quæ Deo loquimur, non tantum, imo nihil periculi esset, etiam si unusquisque propriam linguam habeat, nam hoc est, Deo & sibi ipsi loqui. Cæterum, dum ego vel alius epistolam, aut Euangelium legit, cum non sibi, sed ecclesiæ legit, multum refert, an intelligamur ab ecclesia, alioquin sumus, ut in aërem loquentes. At quoties hoc contingit, rem ita firmante inveterata consuetudine? Non sinit brevitas temporis semper, ut latine lecta interpreter. Attamen charitas jubet, ut quoad fieri potest, prosim. Urgeor igitur hinc & inde. Vellem per me prophetas & Christum aperte loqui, ita ut ab omnibus capiar, sed obstat consuetudo, qua hactenus non nisi latina lectio habita: & si vacabat, addita est interpretatio. Quid faciam? Scio. Dabo aliquid consuetudini, dabo etiam aliquid charitati. Excusabit charitas, quod decedit pristinæ consuetudini, feret charitas, quod indulgebitur consuetudini. Excuset igitur charitas: ut (sicut deliberavimus) *alemanice epistolam & euangelium legamus*, si interpretandi latinam lectionem opportunitas defuerit: & ita consuetudini aliorum refragabimur. Ferat charitas, quod præterea nihil aliud immutamus. Ut enim quædam mutamus, vestra charitate facimus, quod vero in aliis non idem facimus, aliorum charitas cogit: ne putent nos omnino eorum morem fastidire, & occasionem quærere, ut ab amicis diffideamus. Quod omnium maxime absit, ut propterea periclitetur charitas, quin potius, hac via quæratur & fundetur charitas. Audietis enim omnia ad charitatem nos allectare, charitatem solam præcipi, in charitate legem & prophetas impleri. Hanc quærite, hanc discite, hanc servate virtutem. Solet rerum nova-

tio,

tio, quantulacunque ea eſt, parere ſuberbiam mentis quibusdam, at nobis humilitatem & modeſtiam hæc novatio inſerat. Ne quis inde alios, qui hunc morem non obſervant, vel obſervarunt, contemnat, judicet, arguat, ne quis propterea clero obmurmuret, ne quis charitatis vincula rumpat. De dono habete gratiam Chriſto, ſi hic, vel alibi lingua, quam intelligitis, vobis loquatur Chriſtus. Sin aliter, ut hactenus, contingat, ne ſitis cuipiam moleſti, ſed orate Dominum, ut ſua vobis verba revelet: ne claudat ſuper vos cœlum, ita ut ſit æneum, & nubes ſanctæ imbrem ac ſtillicidia divinorum eloquiorum ſuper vos non pluant: orate, mittat operarios in meſſem: orate, ne deſint interpretes. Charitas ſanè vult, ne efferamur, ſi feliciter nobiſcum agatur: & ne graves ſimus, his quibus minus datum eſt. Charitas omnia in optimam partem interpretatur. Itaque abundent alii in ſenſu ſuo. Nos non valde anxii ſumus, quid patres moverit, quod peregrino idiomate maluerunt ſacra legi: ſive hoc ob ſimplicitatem, ſive ob in commoditatem introductum: aut quod parum canticis aptus olim fuerit ſermo patrius, utpote parum nitidus, & qui ob barbariem vix ſcribi potuit: aut quod in magnis templis ob advenas peregrinos, Latina lingua illuſtrior, & communis proderat, ut etiam orientalibus Græca aut in hoc Magnatibus nonnunquam eſt gratificatum. Nos magis veterum candidos mores, ardentem fidem, ſequacia & obedientia pectora, facilitatem & ſanctimoniam admiremur: imò imitemur. Tantum, quantum ad id negocii attinet, ne deſpiciantur à nobis alii, ſive ſuperioris, ſive noſtri ſeculi. Sequuti ſunt illi ea quæ ſibi conducere viſa ſunt: neque præſcribere potuerunt poſteritati, ut id ipſum cogeretur facere. Liberum igitur eſt & nobis ſectari, quæcunque animabus noſtris maxime proſunt. Et hoc eſt, quod præſenti ſermone, ut vos admonerem, juſſit charitas: ne forte ſi repente, & præter expectationem hoc me agere videretis, ſiniſtra ſubrepat cogitatio: Quid hic novi molitur? cur non more parentum noſtrorum nos relinquit ſimplicitati? an non & alii bonæ frugis ſacerdotes ſunt? Excludite hos cogitatus, depellite hæc hoſtis jacula, ne facite ex antidoto venenum. Invidet vobis antiquus ſerpens hanc felicitatem. Nihil ei moleſtius contingere poteſt, quam dum ſacra Scriptura ita legitur, ut ab omnibus intelligatur. Nam ſimul atque buccinæ harum tubarum clanxerint,

mu-

muri Hierichuntini corruunt: deteguntur foveæ, & laquei, & doli; Non ita paſtorum vocem lupi fugiunt. Sicut etiam nihil gratius dæmoni, auditorum ſomnolentia & ſurditate. Regnum enim ſuum nullis præſidiis tam firmat, ut oblivione beneficiorum Dei, & neglectu verbi divini. Cavet, ne lux irradiet. Abſcondit ſe, ne audiat verba incantantis ſapienter. Et quemadmodum olim confuſæ ſunt linguæ ædificantium turrim Babel, ut ædificantes à ſtulto ſuperboque cœpto deſiſterent, ſic & dæmoni unicum ſtudium eſt, confundere linguas, ita ut doctor diſcipulo barbarus ſit, minuſque ædificentur muri cœleſtis Hieruſalem. Hinc ſtupenda illa quorundam ſciolorum temeritas & oſtentatio, qui cum vix tria vel quatuor verba latine ſciunt, totas conciones quas habent latinis peregriniſque aliis verbis ita interpolant, ut maximam temporis partem abſque fructu transmittant. Nihil ita amat verbum Dei, quam ut dilucide prædicetur, & clare, atque adeo ſuper tecta & in plateis. Non factum *eſt ſine conſilio Spiritus Sancti*, euangelicas hiſtorias tam ſimplici ſtilo deſcriptas. Et certe non eſt qui legit, & excuſari poſſit, ſi rejicit tam fideliter tradita, tam obvia, tam fuci neſcia. Eſto autem, ſint quædam verba, quæ euangeliſtæ ac patres non ſunt interpretati, utpote ſunt, Alleluja, Adonai, Eli, Oſia ana, Amen: non *eſt tamen, quod Porphyrius* & *Lucianus* nobis improperent, quaſi peregrinis & *incognitis vocibus* ſimplicitati plebis impoſtum ſit. Neque enim ignorari eas voluere patres, ſed jam frequens erat, & recepta imitatio hæc, & ludus quidam ſanctus, patrum conſuetiſſima verba in promptu tenere, ita convictu docente. Igitur ſcio dæmonem vobis hanc felicitatem invidere, nec omiſſurum, quin excitet quorundam ſibila, qui factum hoc carpant, quaſi irreligioſum, & fortaſſis impedire conabuntur. At vos, ne dederitis locum hoſti. Orate, ut expellat Chriſtus hoc *dæmonium ſurdum & mutum*. Res veſtra agitur amici. Veſtri cauſa cœpta ſunt hæc. Ego ſane privatum commodum nullum hinc expecto, niſi forte, ut à nonnullis perverſis male audiam, imo in vobis ſitum eſt, ut multum hinc lucri mihi accreſcat. Veſtram enim utilitatem, & veſtros fructus, pro meis maximis lucris habeo. Fides veſtra, & ſalus, indeprædabiles mihi theſauri erunt. Et per omnia commodi multum, & incommodi nihil proveniet. Unde dic, obſecro, ſalus? nonne ex fi-

de? Unde fides? nonne ex auditu? Et quomodo audiemus, nisi sint qui mittantur, & doceant? Quodsi nobis illi fuerint barbari, vel nos surdi, quae spes salutis? Perinde autem est, ac si non audias, si audis, quod non intelligis. Esto autem, ut aliis temporibus hæc doceantur, clare, & manifeste, habet tamen miram quandam energiam, dum inter sacra intelligitur verbum Dei, & non vulgariter mentem afficit, & rapit, mysterium aliud mox subsequuturum, quod est, quasi vox clamans, ut paretur via Domino jam adventanti. Hanc potissimum liturgiæ partem à vobis capi oportet, ipsaque propter vos potissimum agitur. Qui euangelizat, aliis euangelizat, qui Apostolus est, aliis Apostolus est. Unde jure vestro fraudari vos nolim, pabulo scilicet verbi dei. Quo quid utilius, magisve ad vos pertinens dici potest? Verbo Dei è tenebris ad lucem transitis, & illustramini. Verbum *Dei vos præcedit in hoc deserto, ut columna* ignis per noctem. Verbo Dei, ut sagena *quadam à spiritualibus* piscatoribus in portum trahimini, quo siccato humore noxio, edulium sitis Christo. Verbo Dei, ut clavi, vobis cœlos aperiunt Apostoli, si ipsos auditis, vel vos inferis & exterioribus tenebris obnoxios relinquunt, si contemnitis. Verbo Dei muniti, stare potestis adversus principes & potestates mundi, adversus rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequiciæ in cœlestibus. Verbo Dei, ut cœlesti pane, & vero manna vegetamini, & crescitis in virum perfectum. Non in solo pane, ait Christus, vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei. Et tantane commoda, tantos fructus, tantam beatitatem, citra culpam absconderem? At quid multis? Ubi verbum Dei, ibi abesse non potest Christus. Itaque dum me auditis, non me auditis: sed Petrum, vel Paulum, vel Joannem, vel cujus scriptura recitatur, imo non illos auditis, sed in ipsis Christum. Nam Paulus, jam non est Paulus, nec Pauli verba, verba sunt Pauli, nec Pauli mandata, mandata sunt Pauli, dicit enim. *Vivo ego, sed jam non ego, sed vivit in me Christus*, & iterum: An experimentum *ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* & alibi: Si quis propheta videtur esse, *aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis*, quia Domini sunt mandata. Quis non *libenter audiat Christum*, habentem verba vitæ æternæ? Quis se ab ejus colloquio abstrahet? Hinc se vobis offeret quotidie honestior confabulandi materia, hinc piarum cogitationum.

onum nascetur turba, hinc bonorum operum proventus crescet, *hinc quasi ad speculum vel sordidi maculas* detergent, vel puri se magis adornabunt. Hinc sibi ipsi quis prædagogus erit, & repente doctor evadet. Sed manifestior est utilitas, quam ut de ea verba facere opus sit. Etiam si non tanta esset, ut est maxima, omnia tamen quæ interim aguntur, omnes ceremoniæ, omnes ritus, ut diligentes auditores simus, nos vocant. Quare altiori voce cantatur euangelium, si non assunt qui capiunt? quare in æditiorem locum conscenditur? quare ad populum proditur? quare accenduntur cerei? quare surgunt omnes? quare adaperiunt capita? quare arrigunt aures? Si igitur desit interpretatio, annon dici vobis poterit, populus hic auribus me honorat, cor autem eorum longe est â me? Non impropero vobis Judæorum maliciam, qui incircumcisi auribus, audientes non audiebant. Non mihi estis domus exasperans, ut palato meo lingua adhærere debeat, & sim vobis ut mutus, juxta Ezechielis dictum. Attamen vere ad vos pertinet vaticinium & maledictio, si gratum est, quod auditis, & non intelligitis, si ita auribus astatis, ut alibi cor vagetur. Res, ajo, ludo similior videtur, quam religioni. Intelligit Græcus, quid sibi legatur. Intelligit Judæus. Quomodo nos Christiani deterius habebimus? Quis ludit populo comœdiam vel tragœdiam, peregrina tantum lingua? Quis legatos suscipit, cum quibus nullum linguæ commercium haberi potest? Cui tam gratus nuntius, cujus sermo ignotus: ut is, qui verba loquitur quæ intelligi possunt? An non hoc est, quod conqueritur Moses, ille alioqui in omni Ægyptiorum disciplina eruditus, cum ait: *Ab Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, ex quo loquutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum*? Quid dixisset, si totus barbarus? Annon & idem causatur Hieremias, cum super gentes & regna constitueretur propheta, & diceret: A, a, a, Domine Deus, Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Non omnino mutus erat, sed diffidebat se populo posse persuadere. Nobis ne curæ erit, ut omnino non intelligamur, nec intelligamus? Estne hoc argentum eloquentiæ, quod in ædificium tabernaculi inferimus? Sunt ne hæc mystica sacerdotalis vestis cymbala? Sunt hæ *tubæ argenteæ ductiles*, ad congregandam multitudinem? Multa possem ex scripturis testimonia colligere, sed sufficiat nobis unius Pauli autoritas, cujus fisi divinæ menti, non est quod vereamur,

 mur,

mur, ab aliis consuetudinem nobis objici. Audite ergo, quid scribat Corinthiis, In priore epistola, capite XIV. copiosis verbis sic ait: *Sectemini charitatem*, æmulemini spiritualia, in primis ut prophetetis. Nam qui loquitur lingua, non hominibus, sed Deo loquitur, nullus enim audit, Spiritu vero loquitur mysteria. Cæterum qui prophetat, hominibus loquitur, ædificationem & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, seipsum ædificat, at qui prophetat, congregationem ædificat. Quod est *illud prophetiæ genus? certe, lectio euangelii* & epistolarum, & prophetarum, & *eorundem interpretatio, hæc enim maxime* ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem ecclesiæ pertinent. Nam ut ad Romanos ait: Quæcunque præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et quid quæso ædifico, si non intelligor? quis melior abit? quis resipiscit? quis compungitur? quis fortior & patientior ad ferenda hujus seculi mala, & resistendum dæmonibus, quis ad pietatem & virtutes flagrantior efficitur? Volo autem (subdit) omnes vos loqui linguis, magis tamen, ut prophetetis, major enim qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autem; Fratres, si veniam ad vos linguis loquens, quid prodero, nisi vobis loquar, aut per revelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Ecce Paulus tam admirabilem gratiam sortitus, nihil se profuturum fateiur, quid ergo nobis arrogamus? Adjungit concinnam similitudinem: Etenim inanima vocem reddentia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur, aut cithara? Nam si incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Sic & vos per linguam, nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligitur, quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Tam multa, verbi gratia, genera vocum sunt in mundo, nihil horum mutum. Utinam expenderent hæc verba nostri sacerdotes, & cognoscerent quibus conferuntur. Nam inferiores eos facit tibiis & tubis & citharis, & dicit loquentes in aërem. Et quid est loqui in aërem, nisi bonas horas, & preciosum tempus male collocare, & ut sic dicam, equitare in arundine longa? Itaque si nesciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & is qui loquitur, apud me barbarus.

Vi-

Vide, non solum inutile dixit, sed & fastidiosum esse insinuat. Fastidium autem in rebus sacris non potest non esse damnosum. Itaque & vos, quandoquidem sectatores estis spirituum ad ædificationem ecclesiæ quærite ut excellatis. Quapropter qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam si orem lingua, Spiritus meus orat, at mens mea fructu vacat. Quid igitur? Orabo Spiritu, sed orabo & mente. Canam Spiritu, sed canam & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem? quandoquidem quid dicas nescit. Non vult nos Paulus in insipientia perseverare, sed progredi in cognitione. Qui in via Dei subsistunt, retrogradiuntur. Curandum igitur, ut abundemus & excellamus, sicut & ad Colossenses scribit: Non desinimus pro vobis orare & poscere, ut impleamini agnitione voluntatis Christi, in omni sapientia & prudentia spirituali, ut ambuletis digne Domino, ut per omnia placeatis in omni opere bono, fructificantes & crescentes in agnitionem Dei. Instat autem hic Paulus, ut etiam benedictiones intelligantur, quo commodius populus respondeat Amen. Qua in re adhuc aliquandiu consuetudini parebimus. Non quod aliquid in sacris nostris sit, quod nostro vulgo pandere non liceat, neque enim ita arcana sunt, ut Valentinianorum & Eleusinorum: sed quia in hoc Apostolus indulgentior est, & non tantopere urget, in hoc cedimus. Subdit enim: Nam tu quidem gratias agis, verum alius non ædificatur. Vides, ut rem bonam esse finit, sed meliorem vellet, quo ædificaretur & proximus. Et exemplo suo magis quam præcepto allicit, ait enim: Gratias ago Deo meo, quod magis quam omnes vos, linguis loquor, sed in ecclesia volo quinque verba, mente mea loqui, ut & alios instituam, potius quam decem millia verborum, lingua. Agam & ego Deo gratias, sicubi de mensa Domini spirituales dapes afferre potero. An non totus Paulus pro nobis? ne quis rem novam nos exordiri dicat. Autoritas Apostoli, præcepti vice nobis sit. An legunt Græci latine, vel latini Græce? Si omnino in verbis ipsis vis esset, Græco & Hebraico sermone utendum foret, quo usi sunt Apostoli & Patres. Proinde, ut adhuc Pauli verbis utar: Fratres, ne sitis pueri sensibus, sed pueri malicia, sensibus vero perfecti. Pueri aliis loqui nesciunt, neque sublimes è verbis sensus capere possunt, tales ne sitis, sed pueri,

quales Christus ait intrare in regnum coelorum, alienos scilicet ab affectibus malignis, & pie simplices, nondum pravis cupiditatibus infectos. Concludit Paulus minis prophetæ Esajæ, qui dicit: Variis linguis & labiis variis loquar populo huic, & ne sic quidem audient me, dicit Dominus. Sicut, cum Judæi neglexerunt signum, quod datum est in varietate linguarum Apostolis per Spiritum sanctum, dati sunt in cæcitatem & laqueos, facti ex filiis regni filii tenebrarum, nam propter incredulos id signi dabatur. Ita cum interpretationis gratia, quæ propter credentes dat i contemnitur, non defuturam & nobis nostram pœnam, ne ambigimus. Proinde boni, quod in rem vestram agitur, consulite. Denique, ne etiam alia prorsum vos lateant, audire ne grave sit, adhuc pauca quædam non inutilia. *Aspergi soletis aqua*, *Accenduntur cerei*, Offeruntur Deo munera: Quid sibi hæc volunt? Ne frustra spectetis, trium vobis curam in sacris esse velim. ***Primum*** purificetis mentem, humiliter confitentes Deo peccata vestra, idque sub initium liturgiæ, sæpe dicentes, Kyrie eleyson, Domine miserere, & Orationem dominicam. ***Secundo***, ***illuminemini***, ***audiendo verbum Domini***, quod lucidum est, & oculos illuminat, intellectumque dat parvulis, ac divinis promissionibus animum in fide & spe confirmat. ***Demum***, post hæc vos Deo offeratis. Offeratis inquam, non aurum vel argentum, sed vos ipsos in sacrificium & holocaustum, jam nihil vobis tribuentes, sed totos vos Christo devoventes, postea non ex vestro, sed illius arbitrio victuri. Offerte item & sacrificia laudum, & gratiarum actiones pro beneficiis suis in vos, præsertim, quod pro vobis in cruce tam amaram mortem objerit. Non minus autem diligenter auscultate verba testamenti gloriosissimi, innitentes firmissime promissionibus Christi, vitamque in Christo, & remissionem peccatorum assequuturos vos sub ineffabilibus & divinis pignoribus confidite. Atque curæ vobis sit, ut vel spiritualiter communicetis, quamvis *vellem etiam sacramenti signa vos frequentare*, quo magis firmaretur vestra fides, *& vos capiti corporique Christi incorporaremini*, unum cum ipso spiritum assequuti. Atque ita procul dubio feliciter pasti, securique, ac læti hinc abire poteritis, siquidem *& vos vias vestras Deo revelastis*, & ipse vobis per scripturas loquutus est verba *pacifica & amica*, promittens summas pollicitationes, remissionem scilicet peccatorum *& vitam æternam*,

nam, & ne qua parte vacilletur, eas per symbola mysteriorum certas fecit: Atque ita futurum, ut olim non peregrina lingua, nec per parabolam, ut Judæis excæcandis, nec per ænigmata, ut infirmis, & carne gravatis, sed prorsus aperte, ut angelis & beatis loquatur, & se nobis in gloria sua ostendat. Quod concedat ipse, qui cum Patre & Spiritu sancto, regnat unus Deus in secula, Amen.

Ex his opinor, mi Hedio, conjectabis, an pristinum animum abiecerim, cuique spiritui id facti tribuendum. Arrogantem vocent, δαιμονιζόμενον vocent, impium vocent, seditiosum vocent, vocent hæreticum, & quibus volent nominibus: Certe, ut talem me coarguant, alia facta in medium afferant, necessum est. Id plane nihil reprehensionis merebitur. Esto autem, intempestivum videatur, sed si fructus spectetur, & animus, quomodo intempestivum? Mihi neque purius, neque opportunius, neque majori gravitate, quam his horis, verbum Dei annuntiari posse videtur, dum nemo suspicatur aliquid meditatum afferri, dum sequaciores sunt animi, dum locus & hora & ceremoniæ ipsæ si adhibeantur favent. Forte unum & alterum verbum auditorum pectoribus insidebit profundius. Quis scit, quando escam devorabunt, & in sagena capti inter bonos pisces numerabuntur? Quis scit, quando semen in terra bona fructus afferet? quando hymbrem matutinum & serotinum daturus est Dominus? Me sane ejus facti nec pœnitet, nec pudet: Imitentur, quibus commodum fuerit. Qui imitari dedignantur, ne gravatim ferant, si, quæ nobis prosunt, quærimus: Ipsi suis vivant moribus. Opto tamen, ut nemo non aliorum salutem procuret, sic ut & suo satisfaciat sensui, & apud infallibilem judicem non confundatur. Et de his nunc satis. Expendat, qui velit, rem secum in trutina castigatiore, neque mihi ulla opus erit apologia. Jam ad alia, quæ scribis, satis fuerit hoc unum respondere, quod nihil eorum agnoscam. Nihil enim vel ex pristinis ritibus, vel verbis canonis omitto. An non impudens est audacia, hoc de me affirmantium? Ego non adeo temerarius, ut immutem quæ bona conscientia servare possum: & mihi *nequaquam periculosus est canon.* Neque enim ob nomina quædam *sacrificii, oblationis, & munerum, atque alia similia, abhorreo*, neque propterea Christum, qui nostram scit infantilitatem, & ipse infantiliter nobiscum loqui in scripturis non dedignatur, mihi

hi male propitium timeo, quod pacis gratia hiſce vocabulis non abſtineo, modo pie, atque Chriſtiane ſententiam. Non eſt tam moroſa interpres charitas, non ita addictos literæ amat ſpiritus, non ita plagoſus Chriſtus. Doleo tamen, quod multi ſeipſos illis nominibus miſere circumveniunt, imo non ſolum ſe, ſed & alios. *Et ego olim ita docebar, ut myſterio* huic aliud, quam erat, tribuerem. Multa *de opere operante, & opere operato*, de applicatione meriti Miſſarum, de dignitate ſacrificorum, quanto plebe majores, quantum ſitum in multiplicatione Miſſarum, deblaterabantur, *quæ tandem inania, & nugas eſſe reſciſco.* Atque ô utinam inſignes illi errores laterent neminem: imo latuiſſent nullum, neſciretur forſitan multorum faſtus & ſupercilium: Eſſent ſalvæ viduarum domus, quas ignavi illi devorant: Florerent magnæ quædam familiæ, quæ intra paucos annos interciderunt. Unde & ego non inficias eo, mihi olim non adeo tutam fuiſſe, & hodie multis non eſſe ſecuram, canonis illius lectionem, cujus Scholaſticum quendam ajunt autorem, noſtro maxime vitio, qui parum placabilem Deum nobis pollicemur, qui non tam accipere à Deo, quam *illi offerre & dare* videri volumus, qui plebe circumſtante, quantumcunque pia, & in Chriſti verbis fidente, meliores nos putamus, qui aliis myſteria à nobis ſumpta profore arbitramur, etiam neſcientibus ipſis. Cæterum his nunc ereptus tenebris, & miſericordiam aſſequutus, alius ad aras prodeo, nempe, conſcius meæ infirmitatis, certus benignitatis Chriſti, memor peccatorum meorum, memor & promiſſionum Chriſti. Nihil habens quod retribuam, & inveniens calicem quem accipiam. Proinde nihil me periclitari confido, præſertim, quod inter divina & humana in his non admodum difficile eſt diſcernere. Chriſtus pontifex, per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa, ut Apoſtolus ſcribit, & iterum: Quemadmodum hominibus ſtatutum eſt ſemel mori, *ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt*, ad multorum exhaurienda peccata. Itaque *Chriſtus ille agnus Dei*, unica hoſtia eſt ſemel oblata, verum nos ejus ſacrificii continuo *memores recte ſumus.* Et *quid mali, cum majoribus noſtris, tam orientalibus quam occidentalibus, recordationem tanti ſacrificii, immolationem vocare?* modo abſint pernitioſæ opiniones aliæ. Natus eſt ſemel Chriſtus, reſurrexit ſemel, mortuus eſt ſemel, & egregii concionatores decla-

ma-

mare solent in Genethliis: Christus nascitur, glorificate: Christus e cœlis, occurrite, Christus super terram, exaltemini. Et pietas pie dictum, pie intelligit. Quin *& alia ratione non formido hisce sacrificii*, vel *oblationis* nominibus uti. Offerimus enim nos ipsos, & alios Christo hostiam vivam, atque Deo placentem, *cumque corpus Christi verum, & panis ille, mystici illius corporis symbolum sit, quantum labor, si huc mentem referens, nihil ab illis vocabulis abhorream?* Corinthiis scribit Apostolus. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & uno calice participamus. Ita NAZIANZENUS *Theologus, in oratione quadam ait plebi: Hostiam obtuli, vos ipsos inquam obtuli. Nam ut Deo nos offerimus, ita & alios, vel pro quibus precamur, vel quos Christiane instituimus*, Deo offerimus. Itaque, ut scripsi, nihil hic turbor. Verum ut nihil à me mutatum, ita si quid precum aut verborum pia mente, deditaque opera omitterem, non peccasse me crederem in Christum, neque cum quoquam contendam, cui hoc probatur, quando scilicet ab hominibus id adjectum est. Alia sunt immania dedecora, & nefanda scelera, pestes totius orbis, quæ abominor, & in quæ exardescere illos superciliosos censores vellem, in quibus ipsi potissimum connivent, si non & ipsimet rei sunt. *A scortis, & vomitu, ad aras itur. Vectigales sunt Missæ, & nundinatio quædam, ac mundi expilatio. Det Deus his malis suum aliquando finem, ne nomen, quod laudare nemo satis potest, à nobis contaminetur in gentibus.* Et ut tecum concludam: faxit Christus, ut in suam gloriam cedant omnia. *Ebernburgi.* Mense Junio, Anno 1522.

Num. XVII.
Bilib. PIRCKHEYMERI
Epiſtola
ad Hadrianum VI. Pont. Ro.

De motibus in Germania per Dominicanos excitatis & de occaſione Lutheraniſmi.

Quis qualisve *Bil.* PIRCKHEYMERUS fuerit, in ipſo Opere à nobis p. 167--172. eſt expoſitum, quando ſimul quoque indicavimus, eum equidem Lutheri partibus ita non planè fuiſſe addictum, ut tamen Evangelio, cauſæque Lutheri, omninò faverit, atque, graviſſimas adverſus Clerum Pontificium querelas inſtituerit, quas cumprimis in hac ad ipſum Pontificem Romanum Hadrianum VI. transmiſſa Epiſtola non obſcure inſinuat, unde eandem, quod polliciti ſumus, pag. 171. ex Operibus *Pirckheymeri* pag. 372. ſeq. per *Conr. Rittershuſium* editis, decerptam, Lectori noſtro exhibemus: Ea autem ita ſe habet:

Quum anteactam vitam tuam, *Adriane* Pontifex Maxime, conſidero, ac diligenter mecum revolvo, qualiter illam ab ineunte inſtitueris ætate, ſemperque virtute & optimis excolueris litteris, tandemque ad ſummum culmen rerum ſine malis evectus ſis artibus, plane divinæ bonitatis in te gratiam exuberare perſpicio. Quo pacto enim hoc tam improbo, ne infœlici dicam, ſeculo, eo pertingere potuiſſes, quo nec unquam cogitationes tuæ pervenerant, niſi plane Deus, qui univerſas vias tuas ab ineunte direxerat ætate, te etiam in ſummo faſtigio collocare voluiſſet, præcipue nil tale cogitantem, minus vero ambientem aut ſolicitantem? Quum igitur ſolius Dei nutu adeo ſis exaltatus, minime dubitandum eſt, te etiam quæ Dei ſunt, & in ſuam tendant gloriam, velle, exoptare ac ſummopere deſiderare. Quo pacto enim in publicis, & ubi de fide, pace, ac certiſſima animarum Chriſtianorum agitur ſalute, non optima, & quæ in Dei gloriam & gregis commiſſi vergant ſalutem, concupiſceres? cum in privatis etiam, nil niſi quod rectum ac ſanctiſſimum

 fuit,

fuit, probaris, elegeris, ac sectatus fueris. Quod quum ita se habeat, consentaneum quoque est, te haud aspernaturum, si quis in hoc tumultu ac rerum discordia, consilium utile, vel saltem haud contemnendum, in medium afferat, non quod tu consilio indigere videaris, in cujus pectore omnimoda inclusa videtur sapientia: sed ut recte de imminentium rerum mole instruaris, admonearisque, quid tibi potissimum sectandum, quidque sit fugiendum: in qua re vel maxime huc usque erratum fuit. Licet enim per te recte sapias, multisque ac sapientissimis abundes consiliariis: constat tamen, eos qui huc usque sedis Apostolicæ negocium apud Germanos egere, non parum in eo fuisse deceptos, cum rerum & linguæ ignorantia, tum ob morum diversitatem, ac nimiam adularoribus fidem adhibitam: siquidem non omnes populi, uno ac eodem modo conciliari aut tractari volunt, sed habet gens quæque peculiare aliquid, & à ceteris diversum. Id nisi quis recte discernere, & aliter inter Germanos, aliter inter Italos, Gallos, aut Hispanos se gerere novit, is præterquam quod vix aliquando voti compos evadet, in multis fallatur & aberret necesse est, etiamsi ipse sibi vel callidissimus videatur: ut obiter prætercam, quod optimis ferme dominis, pessimi ut plurimum ministri obveniant, qui quum sæpe perquam utilia habeant in mandatis, iis tamen omissis deteriota sectari minime dubitant, quum sciant, non omnia ad dominorum cognitionem pervenire posse, partim quod majorum rerum urgeantur mole, partim quod mentem eorum præstigiis quibusdam obtenebrari posse confidant.

His rationibus, præcipue tamen patriæ motus amore, has literas ad Sanctitatem tuam dare ausus fui, non quod prudentiæ meæ, quam admodum tenuem esse non ignoro, multum tribuerem; sed quia longis jam annis & ineunte ætate in rebus versatus essem gerendis, mores quoque nostrorum perbelle noscerem; literas vero non penitus ignorarem: ac ideo diuturno usu edoctus longius mihi prospicere viderer, quam homines quidam temerarii, quos cernere est animi magis impetu quam certis rationibus, aut ulla moderatione præcipites ferri, & qui nihil pensi habent, dum modo voti sui compotes fieri, ac libidini, arrogantiæ, avaritiæ, ac reliquis vitiis cunctis indulgere possint, ac interim verbis se spiritales appellare non erubescunt, cum re ipsa omnibus larvis mundaniores & perversiores existant. Ceterum, ni

 San-

Sanctitas tua rite percipiat, unde turbæ tam immensæ exordium sumpserint, vix ullum remedium adhibere valebit: quemadmodum nec medicus quispiam, etiam peritissimus, ægrotum aliquem curare poterit, ni antea morbum & illius causas plane intellexerit. Constat igitur, dolos, Sycophantias, ac omnes malas artes Fraterculorum illorum, qui Dominicastri vocantur, tam horrendas concitasse Tragœdias. Ii enim, cum longo rerum successu cristas in immensum extulissent, jamque nil humile animo volutarent, ac sibi ipsis persuasissent, omnia quæ luberent ac conducerent, confestim etiam sine ullo probitatis aut honestatis respectu licere, jamque ab egregio Bernensi (a) excidissent molimine, alia via, quoniam illa minus successerat, grassandum esse censuerunt. Quo pacto enim quietem agerent, quos non solum victus & vestitus alienus irritaret, sed plane divina exagitaret vindicta. Bonarum igitur literarum odio flagrantes, ac omnes eruditos, tanquam machinationibus suis minus idoneos, deprimere, aut etiam è pedibus tollere satagentes, primum virum optimum & apprime doctum *Jo. Capnionem* selegerunt, ut potissimum in illum involitarent. ac venenata arma sua sub pietatis prætextu distringerent. Eo enim devicto vel etiam oppresso, nil sibi reliquum fore censebant, quod non ludibriis eorum expositum foret. Ceterum ne potius invidia aut caluumniandi gratia provinciam hanc suscepisse viderentur, neve, si res parum ex voto successisset, soli ipsi periculum sustinerent (jam enim Bernensi calamitate aliquantulum redditi erant cautiores) Theologos nonnullos, quos pari odio flagrare sciebant, in consortium sumpsere, ac Judæum quendam male ablutum, in Capnionem immisere, ita instructum, ut quam primum ipse pugnam ciere incepisset, se cum universis copiis subsidio venturos expectaret. At satelles ille sceleris rem gnaviter aggessus est, ac bonum Capnionem instructis conviciis ac injuriis lacessere cœpit, qui cum doli instructi penitus esset ignarus, ac sibi cum solo semi-Judæo rem esse censeret, totam tandem sceleratorum hominum aciem in se unum explicari sensit. Porro quibus commentis, dolis, imposturis ac simula-

(a) Quale illud, quod per Dominicanos agitatum est in urbe Bernensi A. 1509. Tragicum scelus, nemini potest esse ignotum: Retulit integram ejus Historiam J. H. HOTTING. in H. E. Sec. XVI. T. I. p. 334--413.

lationibus egregii illi Dominicastri rem egerint, enumerare operæ pretium haud est, quum nemo bonus aut doctus tam Romæ quam per Germaniam universam tantarum Sycophantiarum sit ignarus. Nec sat erat, Capnionem subdole circumvenire, nisi etiam Deum optimum ac maximum technis suis testem adhibuissent, ac nefandis perjuriis majestatem illius contaminassent. Securus enim Capnio, promissionibus & præstito fidebat juramento, nec rem aliquam nefandam illos molituros suspicabatur: cum interim Sanctuli illi clam omnem lapidem Romæ moverent, ac pollicitationibus, fraudibus, & muneribus fas & jura subverterent, ac optimum virum omnium impietatum earum ignarum circumvenirent. Quantum vero laudis aut dedecoris machinationes tam nefandæ illis pepererint, jam pridem, ni fallor, plane sunt experti. Hoc vero nemo ignorat, omnes, qui nondum ob execrandum Bernense facinus abalienati fuerant, plane ob illusiones tam abominandas ab illis descivisse, & Vatiniano odio illos prosequi cœpisse: nec mirum, cum non solum tam perdite in Capnionem velitati fuissent, sed optimum quemque, quem tam nefandam rem moleste ferre, aut Capnioni amicum esse rescivissent, mordicus arripuissent, & omni convitiorum genere lenonum instar proscidissent, nulla ratione habita, generis, conditionis, honestatis aut eruditionis, ut eo pacto tanquam furiis agitati omnes tandem exasperarent, & in caput proprium irritarent: quamvis & lucelli expectatio viros tam lepidos in tantam egisset rabiem. Jam enim spe haud penitus inani Judæorum voraverant aurum. Ceterum hoc hominum scelestorum scelus sceleratissimum, non solum Leoni Pontifici ac urbi Romanæ sempiternam notam inussit, Dominicastros in odium & abominationem omnium coniecit, sed & optimum quemque ac doctissimum in Lutherana castra propere migrare coëgit. Jam enim viri egregii, ne tantisper desiderent, Tragœdiam illam aliam & incendium novum excitare inceperant. Quo pacto enim Satanas quiesceret? Nam cum *indulgentias* illas suas plus æquo extollerent, nefandissimis quibusdam contaminarunt blasphemiis, ita ut inter cetera detestanda homines sacrilegi palam obgannire auderent, *si quis etiam Beatissimam Dei genetricem* (proh scelus, etiam auditu horrendum!) *stuprasset, se illum absolvendi potestatem habere, nec se Christo ullo pacto inferiores esse*, &c. Quæ cum optimi

timi cujusque aures offendissent, nemo tamen libenter se mendicabulis illis palliatis opponeret, quæ non nisi litium & contumeliarum avidissima esse sciret, tandem Lutherum impulerunt, ut vel modestissime obviam illis iret. At illi, lætissimi, occasionem perquam oportunam sibi oblatam esse putarunt, ut in virum bonum ac doctum venenatam ac solitam suam rabiem evomere possent: quem etiam facinoribus suis impulerunt, ut longe majora aggredi auderet. Ceterum, quum jam viderent, temeritatem solam ad Lutherum debellandum haud sufficere, ac se doctrina & eruditione longe illo esse inferiores, ad solitas confugerunt versutias nonnullosque sollicitare cœperunt, quos noscerent non tam invidia quam inanis gloriæ cupiditate flagrare: quos ita in illum instigarunt, ut tandem longe plus semetipsos & sedem Romanam quam Lutherum offendisse sentirent: ut interim sileam, quantis ludibriis propugnatores suos exposuerint. Advenit tum forte fortuna (vel potius eorum infortunio) *Cardinalis* quidam *Cajetanus*, olim hæresin eandem sectatus, cujus præsentia ita elati sunt, ut jam plane debellatum esse censerent. At vir ille bonus, cum potius modestia & ingenii dexteritate tantum incendium extinguere deberet, ita alere cœpit, ut etiam summa rerum fastigia comprehenderet. Porro quæ *Prierias* quidam cum complicibus suis scripserit ac egerit, nil attinet enumerare, præter id solum, quod mundo manifestum reddiderint, se neque fide, neque veritate, neque ulla doctrina sana præditos esse. Dominicastri interim, ut nil intentatum relinquerent, planeque è fumo flammam excitare possent, præsultorem illum suum *Eckium* Romam delegarant, quem scirent omni facinorum genere pollere, ac jam Lipsica disputatione experti fuerant, temeritate & impudentia nil eis inferiorem esse. Ille igitur Romam properans, nugisque & clamoribus ac vanis promissionibus omnia complens, Bullis quam plurimis suffarcinatus in Germaniam rediit non solum Lutheranis infensus, sed optimum quemque, quem aut virtutis aut eruditionis gratia oderat, Bullis suis infestare cœpit, ut privatam malignitatem suam sub publica vindicare auctoritate posset.

* *Cetera in autographo imperfecto deerant.*

Num. XVIII.

Num. XVIII.

Mart. Buceri ad B. Rhenanum
Relatio Historica,
De
Disputatione *Heidelbergensi*
A. 1518.
Ex ipso Buceri MSſ. Autographo.

UTi memorabilis illa planè fuit Evangelii sementis prima, quam *Heidelbergæ* in Palatinatu, Deus, per *Martini Lutheri* ministerium fieri voluit, ita, quin ejus rei memoria meritò omnibus Evangelium amantibus grata sit & accepta, dubitare nemo potest. Quum igitur ea, per solennem Disputationem d. 26 Aprilis A. 1518. indictam à Luthero, in Acroaterio Augustinianorum Heidelbergensi, sit facta, ejusque Disputationis summam, hac ipsa Relatione Historica, *Martinus* BUCERUS, qui tum commendatione *Francisci à* SICKINGEN, Friderico Palatino Heidelbergæ à sacris erat, perscripserit ad Popularem suum, virum Doctissimum, *Beatum* RHENARUM Selestadiensem, eandem in sinum tuum, benevole Lector, qui Historiam Reformationis accuratius pernoscere cupis, non potuimus non recondere, tanto lubentius, quanto eadem typis exscripta est nunquam, & hæc talia tamen ejus ævi κειμήλια & præstantissima sint & quovis auro cariora. Habuit hoc ipsum hujus Epistolæ autographum, *Abr.* SCULTETUS, uti ex ejus Annalibus patet, atque abinde illud in *Henrici* ALTINGII Theologi prius Heidelbergensis, deinceps Groningani manus devenit, qui in *Historia de Ecclesiis Palatinis* testatur, pag. 24. *illud penes se esse, atque in ea enarrari, & ordinem disputationis, & sententias novas Scholis inauditas, sed ex verbo Dei depromptas*; Ab *Henrico* ALTINGIO Patre, ad manus Viri Amplissimi, *Mensonis* ALTINGII Filii Civitatis Groninganæ quondam Consulis spectatissimi illud est devolutum, ex cujus scriniis literariis illud hæreditatis jure ad Cel. hujus quondam Academiæ Professorem J. *Ad.* ISINGIUM, pervenit, per cujus Filium, Rev. ISINGIUM. illud donationis jure meum est factum:.

Quum

Quum igitur V. E. LOESCHERUS, Vir Cl. in Actis & Documentis ad Historiam Reformationis spectantibus Tom II p. 46. id videatur à *Sculteto* & *Altingio* efflagitasse, ut hanc Epistolam publicassent, ipse tandem, huic Viri, petitioni satis honestæ, atque plurimorum eruditorum desiderio, deesse, nullo modo volui, quin potius eandem, Tibi, jam ex ipso Autographo de verbo ad verbum communico.

Beato Rhenano Literatorum humanissimo
Martinus Bucerus S. P.

Nescio ferme, quid proximis meis literis impudenter nimis tibi literarum antistiti oggannierim, eruditissime idem & humanissime Beate, adeò amor sibi nunquam constans, tumultuaria quædam tum effutire me coëgit. Et quanquam longe alium oportebat esse amorem literarium, ne dicam Christianum, quam ut inconditum aliquid, quodque non ad rationis æquilibrium, perpensum esset, vel lingua vel calamo immitteret, nescio tamen quo pacto, se in rationis quoque regiam, minime raro insinuet affectus, atque per clancularios subingressus cuniculos, etiam hic perturbet omnia; Somniamus enim potius, quam habeamus, sive Stoicorum illam ἀπάθειαν, sive perditionem nostræ animæ, carnisque mortem multo felicissimam.

Non igitur aliam dico causam, nisi quia amo, & ut amplius me amare cognoscas, en amplius peccabo, ac si in superioribus literis impudens fui, jam ero impudentior, ut plane sentias non rationi sed amori in me esse imperium; Quanquam & aliud est, quod, pariter ut impudens fiam, hoc est, scribam fusius, me impulit; Scis autem maxime proverbium, quam paululo negotio in præcipitium agatur sphæra. Legi, quam tuo stilo nostros Theologos impetiveris, pupugerisque, id mihi profecto doleret, si esset vanum, eoque, ne per nos Heidelbergenses tu deserta causa tibi victor videare, (nam alias senior noster, ille Wimphelingius, perquam egregiè nos tutatus est,) ego tibi objiciam Theologum, quamquam non nostrum, apud nos tamen his diebus auditum, qui usque adeo Sophisticis remoris & Aristotelicis nugis, longum valere jussit, ita sacris addictus, in tantum suspiciens obsoletos illos in Schola nostra, si maxime Theologos,

gos, (nam forte hoc qua eſt facundia poſſet extorquere,) certe rhetoricos Theologos, (ſic enim nos illos vocamus) ut ex diametro quod ajunt, à noſtris iſte diſſideat; *Hieronymus*, *Auguſtinus*, et hujus farinæ alii perinde illi noti ſunt, atque nobis, vel Scotus poteſt eſſe vel Tartaretus. Is eſt *Martinus* ille *indulgentiarum*, quibus nos minime parum nobis hactenus indulſimus, *ſugillator*, Qui in ſuorum Fratrum apud nos celebrata Synodo, literariæ pugnæ ſolenni more præfectus, ea diſputavit Παραδοξα, (*a*) quæ non modo opinionem omnium ſuperarent, verum pleriſque etiam viſa ſunt hæretica: Sed quid bone Jeſu, illi probarent verè & germane theologicum, quibus in approbandis refutandiſque dogmatibus, ceu lydius lapis habetur, quicquid tradidit *Ariſtoteles*, imo, quod hujus corruptores diſſeminarunt *peſtilentiſſimum virus*. Quare verò non ſic appellarem horum *nugacissimas nugas*, quibus fœdant, inquinant, conſpurcant diviniſſima mentis noſtræ pabula SS. oracula, & horum ſanctisſimos interpretes, cœleſtium lautitiarum elegantisſimos ſtructores faciunt oblitarari? Sed ſtomachum in ſe juſtisſimum reprimam, ne nimis ſeria du-

Z

(*a*) Ea ſunt hujusmodi, uti ex Tomis *Lutheri* Jenenſibus T. I. fol. 26. b. ea depromſit V. E. LOESCHERUS in *Actis & Documentis Hiſtoriæ Reform.* T. II. p. 43. ſq.

EX THEOLOGIA.

Diffidentes nobis ipſis prorſus, juxta illud Spiritus conſilium: Ne innitaris prudentiæ tuæ, humiliter offerimus omnium, qui adeſſe voluerint, judicio, hæc Theologica Paradoxa, ut vel ſic appareat, bene an male elicita ſint, ex divo Paulo, vaſe & organo Chriſti electisſimo, deinde & S. Auguſtino interprete ejusdem fidelisſimo.

I. Lex Dei, ſaluberrima vitæ doctrina, non poteſt hominem ad juſticiam promovere, ſed magis obeſt.

II. Multo minus opera hominum, naturalis dictaminis auxilio, frequenter, ut dicitur, iterata poſſunt promovere.

III. Opera hominum, ut ſemper ſint ſpecioſa bonaque videantur, probabile tamen eſt, ea eſſe peccata mortalia.

IV. Opera Dei, ut ſemper ſint deformia, malaque videantur, vere tamen ſunt merita immortalia.

V. Non ſic ſunt opera hominum mortalia, de bonis, ut apparent, loquimur, ut eadem ſint crimina.

VI.

ducant ludicra initia. Ad *Martinum* illum *Lutherium* redeo, Ut summa quidem vi nostri primores amolirentur, ne latum unguem tamen ab instituto dimovere, suis argutiis, *Mira in respondendo suavitas, in audiendo incomparabilis longanimitas, in dissolvendo Pauli agnovisses acumen, non Scoti, adeo brevibus, adeo scitis, eque divinarum scripturarum penu depromptis responsis, in sui admirationem facile cunctos adduxit;* Fuit postridie cum viro, familiaris mihi, & procul arbitris, amica confabulatio sed & cœna, non dapibus sed doctrinis longe paratissima optatissimaque; Quæcunque sciscitarer, luculentissime explicabat, *Cum Erasmo, illi conveniunt omnia, quin uno hoc praestare videtur, quod, quæ ille duntaxat insinuat, hic apertè docet & libere.* O utinam mihi tempus esset de hoc tibi scribere plura! Is effecit ut Wittenburgæ, triviales isti auctores sint ad unum exploši omnes,

VI Non sic sunt opera Dei merita, de iis, quæ per hominem fiunt, loquimur, ut eadem non sint peccata.

VII. Justorum opera essent mortalia, nisi pio Dei timore, ab ipsismet justis, ut mortalia, timerentur.

VIII. Multo magis hominum opera sunt mortalia, cum & sine timore fiant, in mera & mala securitate.

IX. Dicere, quod opera sine Christo, sint quidem mortua, sed non mortalia, videtur periculosa timoris Dei remissio.

X Imo difficillimum est intelligere, quonam modo sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleve peccatum.

XI Non potest vitari præsumptio, nec adesse vera spes, nisi in omni opere timeatur judicium damnationis.

XII. Tunc vere sunt peccata apud Deum venialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia.

XIII. Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

XIV. Liberum arbitrium post peccatum, potest in bonum, potentia subjectiva, in malum vero activa semper.

XV. Nec in statu innocentiæ potuit stare activa, sed subjectiva potentia, nedum in bonum proficere.

XVI Homo putans se ad gratiam velle pervenire, faciendo, quod est in se, peccatum addit peccato, ut duplo reus fiat.

XVII. Nec sic dicere, est desperandi causam dare, sed humiliandi, & quærendæ gratiæ Christi studium excitare.

XVIII.

omnes, Græcanicæ literæ, Hieronymus, Auguſtinus, Paulus, publice doceantur.

Sed ecce vides plura ſcribendi non eſſe locum. Mitto per eum diſputata *Paradoxa* juxta & eorum explicationes, quantum inter diſputandum excipere potui, aut poſtea ab ipſo fui edoctus. Suſpicabar enim hoc tibi fore gratum, ſi ſecus fuerit, boni conſule vel animum. Obrutus enim occupationibus, nactus tamen tabellarium, ut vides, ſumma feſtinantia hæc effudi potius quam ſcripſi. Tu jam, ſi libet, hominis lege dogmata.

I. *Paradoxum primum:*

Lex Dei ſaluberrima vitæ doctrina, non poteſt hominem ad juſtitiam promovere, ſed magis obeſt.

Hoc præfatum, licet ex D. Paulo ſit deſumptum, eoque de Moſis antiquata lege intelligi illud conveniat, nam ad Rom. VIII.

XVIII. Certum eſt, hominem de ſe penitus oportere deſperare, ut aptus fiat ad conſequendam gratiam Chriſti.

XIX Non ille digne Theologus dicitur, qui inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpicit.

XX. Sed qui viſibilia & poſteriora Dei, per paſſiones & crucem conſpecta intelligit.

XXI. Theologus gloriæ dicit malum bonum, & bonum malum, Theologus crucis dicit id quod res eſt

XXII. Sapientia illa, quæ inviſibilia Dei ex operibus intellecta conſpicit, omnino inflat, excæcat, & indurat.

XXIII. Et lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, judicat, damnat, quicquid non eſt in Chriſto.

XXIV. Non tamen ſapientia illa mala, nec lex fugienda; Sed homo ſine Theologia crucis optimis peſſime abutitur.

XXV. Non ille juſtus eſt, qui multum operatur; Sed qui ſine opere multum credit in Chriſtum

XXVI. Lex dicit: Fac hoc, & nunquam fit. Gratia dicit: Crede in hunc, & jam facta ſunt omnia.

XXVII. Recte opus Chriſti diceretur, operans, & noſtrum operatum, ac ſic operatum placere Deo, gratia operis operantis.

XXVIII. Amor Dei non invenit, ſed creat ſuum diligibile, Amor hominis fit a ſuo diligibili.

ferme habetur, tamen quum D. *Augustinus* in libro cui titulus *de Spiritu & litera*, hujusmodi sententiam ad quamcunque legem deducit, quæ modo foris manens, quicquam faciendum præscribat, de nulla non lege, sive data esset auctore Deo, sive homine, scripta aut tantum animo complexa, se loqui testabatur, Nam mentem lex hujusmodi quæcunque illa sit erudit quidem, at affectui nullam præbet efficaciam implendi ejus quod præcipit in gloriam Dei, eoque manet foris nec in cor ipsum instar-ignis penetrat perinde ac lex Spiritus; enim vero est quoque lex Spiritus, quæ eadem lex gratiæ dicitur, & digito Dei, divino nimirum spiritu, cordibus hominum non membranis aut codicillis insculpitur, non voce, aut cogitatione etiam, quod rectum quod honestum sit commonstrans, sed

EX PHILOSOPHIA.

XXIX. Qui sine periculo volet in Aristotele philosophari, necesse est, ut ante bene stultificetur in Christo.

XXX. Sicut libidinis malo non utitur, bene, nisi conjugatus, Ita nemo philosophatur bene, nisi stultus, id est, Christianus.

XXXI. Facile fuit, Aristoteli, mundum æternum opinari, quando anima humana mortalis est ejus sententia.

XXXII. Postquam receptum est, tot esse formas substantiales, quot composita, necessario & tot esse materias, fuerat recipiendum.

XXXIII. Ex nulla re mundi aliquid fit necessario, ex materia tamen necessario fit, quicquid fit naturaliter.

XXXIV. Si Aristoteles absolutam cognovisset potentiam Dei, adhuc impossibile asseruisset, materiam stare nudam.

XXXV. Infinitum actu nullum est, potentia tamen & materia tot sunt, quot in rebus composita, juxta Aristotelem.

XXXVI. Aristoteles male reprehendit ac ridet Platonicarum idearum, meliorem sua, Philosophiam.

XXXVII. Imitatio numerorum in rebus ingeniose asseritur a Pythagora, sed ingeniosius participatio idearum a Platone.

XXXVIII. Disputatio Aristotelis adversus unum illud Parmenidis, verberat, Christiano venia sit, aera pugnis.

XXXIX. Si Anaxagoras, infinitum forma posuit, ut videtur, optimus Philosophorum fuit, invito etiam Aristotele.

XL. Apud Aristotelem videntur idem esse privatio, materia, forma, mobile, immobile, actus, potentia.

fed fpirituali afflatu illuftrans, purificans pariter & ad bonum perficiendum impellens & perficiens legemque adimplens. *Hac ceu fons piarum actionum usque adeo boni omnis auctor exiftit*, ut fine hac, non modo non falutare fit, quodcunque etiam operetur bonum in fpeciem, verum noxium quoque & peftilens; at vero, fi cordibus hominum hoc eft affectibus infcribatur, jam non ipfi vivunt aut agunt, fed vivit potius in ipfis Chriftus, & non tam agunt quam aguntur, utique Spiritu, eoque filii Dei & funt & vocantur, tum five bibant, edant, aut etiam animi gratia quæritent bulbos, ut eft in cordibus ipforum diffufa charitas per Spiritum fanctum, ita omnia hæc condita charitate, pia funt, fancta funt, Deum fpirant, divina refpiciunt, ac Chriftum inhabitantem planiffime referunt, atque, ut fummatim jam complectamur hæc omnia: eft lex Spiritus divina quædam Ενέλεχεια humanæ menti deitus illapfa, *a*) irrequieta, perenni impulfu furfum ciens omnia, qua homo & animo prono jufta percipit, & fumma cum voluptate operatur; *Hanc verò ita dari à Deo contendit, ut nulla prorfus mortalium opera emereri queat:* Eam ipfam appellari quoque fubinde *gratiam*, nonnunquam *fidem*, *legem vitæ*, *legem Spiritus*, ac etiam *novam legem*. Hac fola etiam legem δεκαλογον, tum etiam præcepta Chrifti, & quamlibet five divinitus five datam humanitus vitæ doctrinam impleri, de hac item ceciniffe Davidem, *Lex Dei in corde ipfius, & non fupplantabuntur greffus ejus;* Per hanc in novam creaturam hominem inftaurari, atque ideò, ait, fe nihil exigere præparamenti, quin *tantò* huic fufcipiendæ

 aptio-

(*a*) Patet ex hifce quam TAULERO fuo & *Theologiæ Teutonicæ* myftica principia inculcantibus, tum aliquantum adhæferit LUTHERUS, qui & eod. anno ipfam *Teutonicam Theologiam* cum præfatione encomiaftica edidit. atque de TAULERO, non diu ante ad *Georg. Spalatinum* ita fcripferat: „ Si te delectat, puram, folidam antiquæ fimillimam The-
„ ologiam legere, in Germanica lingua effufam, fermones *Johannis*
„ TAULERI, Prædicatoriæ Profeffionis, tibi comparare potes: cu-
„ jus totius velut epitomen ecce hic tibi mitto. Neque enim ego vel
„ in latina vel in noftra lingua Theologiam vidi falubriorem, & cum
„ Evangelio confonantiorem. Gufta ergo & vide quam fuavis eft
„ Dominus, ubi prius guftaris, & videbis quam amarum eft quic-
„ quid nos fumus. „

aptiorem esse hominem, quanto magis fuerit peccator, modo talem se agnoscat, id quod tamen & ipsum huic legi Spiritus acceptum ferat oportet: Etenim cum pluribus se obnoxium sceleribus homo animadvertit, quam nihil sit, quam penitus nihil suo marte queat, manifestò admonetur, eoque ceu ansa porrigitur salutis, nempe *ut confugiat ad Christum*, pastorem & curatorem animarum nostrarum, quoniam ex se, nisi mori, nisi perdi nihil possit. Huc denique pertinere & illud: *Dominus mortificat & vivificat, pauperem facit & ditat*, siquidem vivificaturus, semper mortificat prius, antequam ditat, efficit pauperem, hoc est, homini liquidò ostendit, quod pauper, quod plane sit mortuus, si non ipsi aspiret vitam, opesque largiatur. Et hoc pacto, sunt *tenebræ super faciem abyssi, priusquam feratur super aquas* Spiritus Domini. Hæc fermè ille inter respondendum disseruit, *de Lege Spiritus*, qua una excepta, quæcunque alia sit, nequaquam hominem possit ad justitiam promovere, sed obesse potius, libera voce pronunciabat.

Prius illud D. Paulo vocato ad partes astruebat, potissimum autem ex Cap. VIII. ad Rom. ubi ita (vers. 3.) habetur: *Etenim, quod lex præstare non poterat, in quo inbecillis erat ea, nimirum ut nos liberos redderet à jure peccati & mortis.* Si igitur inefficax est lex, ad asserendos nos in libertatem, à jure peccati & mortis, ad justitiam neutiquam promovet; Siquidem id demum ajebat ad justitiam promovere, quod, ut illa impleatur, præbet efficaciam, hoc autem ab uno Christo expectetur oportet. *Etenim Deus*, inquit Paulus Rom. VIII. (3. 4.) *proprio filio misso, in assimilatione carnis peccati, & de peccato, condemnavit peccatum, in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis:*

Quod verò eadem obsit, ex VII. Cap. ad Rom. plurifariam confirmabat, ut id caput, unum hoc, per totum ferme prædicat, *Prodit enim lex peccatum*, inquiebat, *eoque irritat*, nam *robur ad vincendum peccatum nullum injicit*, ideoque *obest*. Atque ex eo capite plura adducebat, ut & minime pauca illic, quæ sententiæ ejus plane videntur suffragari.

Quæ tametsi in Mosis legem tantum proferantur ab Apostolo, atque in eam solum, quatenus carnalis est, Maximè tamen. D. *Augustinum* insecutus, ad omnem legem, quæ foris maneat, id est,

eſt, agenda duntaxat præſcribat, & non etiam, niſum amoremque explendi præſcripta, animo immittat, deduxit: Porrò *ex his, velut jactis feliciter fundamentis, universa, quæ ſequuntur, eduxit:* Quippe ſi imbecillis & inefficax ſit lex Dei, vitæ ſaluberrima doctrina, ut ad juſtitiam hominem promoveat, quid conducere arbitrabimur noſtræ præſcriptum rationis, tanto utique divina lege infirmius, quanto eſt potentior homine Deus. Mitto interim mentis noſtræ genuinam obſcuritatem, item, quas φιλαυτια ingerit nebulas, quibus fit, ut non admodum raro, quod libet, id licere quoque nobis exiſtimemus, mitto denique & peccatorum tenebras, quibus tam non involvimur, quam ſumus liberi peccatis, & pleraque alia, quibus haud mediocre negotium exhibetur rationi, verum juſtumque in rebus disquirendi, ſubinde nihil hinc accedit homini, quam, ut cognoſcat agendum, idque ægre, quod longe limpidius præſtat lex divina; Hoc autem adeo nihil ad veram juſtitiam promovet, ut & remoretur & deterreat, oſtenſa nimirum pariter, juſti difficultate:

Quamobrem ſecundum proloquium in hunc ſubtexuit modum.

II. *Paradoxum ſecundum:*

Multo minus opera hominum naturalis dictaminis auxilio frequenter (ut dicitur) *iterata poſſunt promovere.*

Nam ſi propriis ſe homines viribus æſtiment, quidnam aliud de ſe ipſis ſentient, quam quod de ipſis pronuntiavit Paulus ad Rom. III. (10. 11.) hoc eſt, *non eſſe juſtum ne unum quidem, non eſſe qui intelligat* &c. Quod ſi inutiles facti ſunt mortales omnes, adeò ut non ſit qui faciat bonitatem, non ſit usque ad unum, mirum ſanè, ſi quicquam ad juſtitiam homo promoveat, ſua quantumlibet opera explicet. Quod enim ſemel editum placere non poteſt, nec placebit frequentius iteratum, quin veluti crambe bis poſita magis putrebit. Proinde, quanquam in ſpeciem decora appareant, hominum opera, peccati tamen labem, non effugiunt. Juſtitia enim à Deo, non ex hominibus, injuſtum igitur quicquid abſente Deo geritur ab homine. Idem verò eſſe mortale, hoc eſt, noxium, Paulus oſtendit ad Galat. III. (10.) ita dicens: *Quotquot ex operibus legis ſunt, maledictioni ſunt obnoxii:* Itaque, ſi ex legis operibus, quæ ut præſtatur his, quæ ductu fiunt naturalis rationis,

ita

ita quoque longe videntur speciosiora, maledictioni sunt mortales obnoxii, consequens est, ut ea pariter peccata sint mortalia, quæ suis freti viribus homines faciunt sine Christo: Hinc & ex D. *Hieronymi* in h. l. commentariis robur minime lene poterit arrogari. Denique, quoniam ita præceptum est mortalibus, ut Deos alienos non habeant; ut plane gravissime peccet istud transgrediendo, transgrediantur autem, quoties quicquam non Deo tribuant, eique ferant acceptum, reliquum est, si vacui sint gratia & charitate ut sane Deo referre nihil prorsus queant ita lethaliter delinquant, Atque ideo hoc modo succinit.

III. *Paradoxum Tertium.*

Opera hominum ut semper speciosa sint bonaque videantur, probabile tamen est ea peccata esse mortalia.

Ut autem opera hominum si interius considerentur, mala fœdaque vere censentur, quamcunque fronte pulchritudinem præ se ferant, ita opera Dei, id est quæ justi Deo auctore agunt, non nunquam ipsis piis, quod suum est in illis, spectantibus, licet qua sunt humilitate sanctaque modestia videantur deformia, & sint plane, si quod Christi est ab eis secernatur, quia tamen Christo adspirante fiunt, merita sunt immortalia per Christum, siquidem legis sit adimpletio & ipso merente in nobis nostraque (ignoscendo) purificante, præmium paratur vitæ. Quare sic adfirmat:

IV. *Paradoxum quartum.*

Opera Dei ut sint semper deformia malaque videantur vere tamen sunt merita immortalia.

Quanquam autem hominum opera (ea sunt quæ suapte virtute operantur) certe mortalia sint, quod ea sine execrando raptu in Deum, peculatusque crimine esse nequeant (nam Deo digne referri sine charitate nihil potest) tamen quoniam criminari ob quæcunque opera homo jure non possit neque crimina justa adpellanda sunt, perinde ut est adulterium, veneficium & reliqua hujus notæ scelera. Et hæc auctore D. *Augustino quarto contra Julianum libro* dogmatizabat, ideoque in hunc modum consequenter decernit.

V. *Pa-*

V. *Paradoxum quintum.*

Non sic sunt opera hominum mortalia (de bonis ut adparent loquimur) ut eadem sint crimina.

Præterea quoniam in omni pio opere & sic Christus sit architectus, eoque id Dei opus non indigne adpellitetur, nihilo secius tamen & suum in hoc dimensum homo accipit, & vel instrumenti vice & ipse operatur, quare non potest non adesse quædam in gesto labecula atque defectus; nam & in Christo manentem palmitem pater purgat, haud purgaturus nisi vitii nonnihil inesset. Denique Ecclesiastes ait: non est homo justus in terra qui faciat bonum & non peccet. Hoc etenim neque sic accipi potest, ut non sit justus qui faciat bonum, verum jugiter peccet; justus enim injuria diceretur, neque ut peccet quidem, non autem, cum facit bonum, otiosa enim esset hæc particula, bonum faciat, quum nihil plus diceretur, quam non est justus qui non peccet; at vero ad hunc modum alibi dicitur: septies in die cadit justus, nec additur, qui faciat bonum. Hunc igitur esse verborum Ecclesiastis intellectum, qui modo non sit sophistica acrimonia exoculatus, citra negotium perpendet, non est justus qui faciat bonum & non peccet, hoc est: qui non faciendo bonum delinquat; Nunquam enim tam feliciter Christi ductum nostra sequitur imbecillitas, ut non perinde ac dentata dolabra, licet a probatissimo ducta fabro, impingat alicubi, & porcorum sulcos efficiat, adeo sumus ad Justitiæ munia nostra natura inepti; Proinde justus orat, servus Domini, non iniquus perfuga non scelestus, ne intres in judicium cum servo tuo Domine quoniam non Justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: & Job: verebar omnia opera mea, non tantum mala, non solum reproba, sed quæ pia etiam sanctaque illi videbantur & utique erant. His aliisque minime paucis arcanarum literarum fretus eloquiis ille meo quidem judicio vere Paullinus theologus nihil contatus ita pronuntiat:

VI. *Paradoxum sextum.*

Non sic sunt opera Dei merita (de iis loquimur quæ per hominem fiunt) ut eadem non sint peccata.

Sub hæc quoniam nullus est rectæ mentis Christianus, qui diffiteatur, omnia nostra oportere Deo ferre accepta quæ bona sint,

mala autem nobis tribuere ipsis, qualia sunt sane quæcunque agimus, nisi Christi favore pia reddantur, & hunc si adsit penitus ignoramus, fit plane consequens, ut nisi opera nostra ceu mortalia vereamur hoc ipso mortalia fiant, etenim quemadmodum nos latet si quæ agimus Christi agamus auspiciis, eoque sint Dei magis quàm nostra, ita constat nos in illis operari eoque adesse imperfectum. Si igitur non timemus, confidimus plane & in securitate sumus, nihil autem minus securum quam Christum inhabitare nostras mentes, itaque sequitur securos nos esse de nobis, ac nostra velut justa essent reputare, at vero, hoc est sibi ipsi placere fruique se ipso, gloriam auferre Deo, a quo uno omnis nostra sufficientia, semet ipsum sibi constituere Deum & summa perversitas. Agnoscat igitur se homo & quam curta sibi sit suppellex adcurate perpendat & qui nescit dignusne sit amore vel odio, ignoretque an in se Christus operetur nec ne, non autem nesciat a se geri quod agitur, in quolibet opere timeat, vereatur, ne non suum agat opus & peccet mortaliter, abjiciat se in Christum cujus opitulamine tantum confidat, illius opem ardentibus votis postulet, sic enim quod gerit & si quatenus suum est inconsummatum sit, peccato obnoxium, & foedum recte æstimetur, Christi numine expurgabitur, cœlesti succo perfusum reddetur divino palatui non insipidum atque jam non Christiani sed Christi opus censebitur. Ideoque posthæc non tam rarenter quam vere hoc paradoxum subjunxit.

VII. *Paradoxum Septimum.*

Justorum opera essent mortalia nisi pio Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia timerentur.

Porisma hoc usu venit justis, malis idem contingere non potest quales profecto sunt quotquot Dei timorem expectorarunt; pari igitur scriptura parique pondere sic consequenter definit.

VIII *Paradoxum octavum.*

Multo magis hominum opera sunt mortalia cum & sine timore fiant in mera & mala libertate.

Hominum siquidem opera (ut præfatum est) ea vocat quæ ab ipsis fiunt suis auspiciis, Christo neutiquam adspirante, in his enim confidere sibi, quasi ex se quicquam posset boni arrogare, est desciscere a Deo, & in pestilentissimam cacodæmonis superbiam pro-

proruere. Subinde quam certum est nobis cumprimis nocere & animæ præsentaneam adferre mortem, si vel tantillum nobis cum Stygio principe conveniat, ut hanc arbitremur rapinam, quicquam nobis tribuentes & non potius actus nostros & universa opera adscribamus Patri luminum, a quo omne bonum omneque donum perfectum descendit; hoc autem non minus nobis existit impossibile, cum sumus mortui, cum abest a nobis Christus vita nostra, quam ut calorem in quicquam transmittamus ipsi rigentes gelu; modo & isti hominum deificatores * fatentur, sine Christo sine gratia nec hominem vivere, nec in Deum quicquam posse referre, non magis quam spongia atramento plena tabulæ detergere maculas. Non autem maxime animadvertunt, hominem quantus sit, Dei esse, & omnia sua in ejus fore gloriam vel Apostolo præcipiente oportere, ecque, id cum non possit manens extra Christum vacuusque gratia non tantum quodcunque & qualecunque agat opus id mortuum esse, verum etiam mortiferum quippe quod illud agens in

 Deum

* Nostrates Theologos ita subinde adpellare solet, eo quod asserant, accepto speciali Dei adflatu in manu hominis esse ut se ad gratiam suscipiendam disponat, vel surda aure Dei admonitionem posthabeat; at vero, volunt ii specialem illum adflatum nunquam homini deesse, si tantum auscultet, ex quibus plane sequitur, summam salutis ab homine esse, complementum solum a Deo, nempe qui possit adflatum recipere quo ad gratiam se paret, quod ubi fecerit, necessario illi gratia infunditur, quid autem id aliud quam ex homine facere Deum ut cui integrum sit parare immortalitatem sibi eoque & divinitatem? (*Hæc est ipsa Buceri in Mss nota*)

Cæterum, uti ex universo hoc Lutheri ratiocinio liquet, quam totus is fuerit eo saltem tempore in ea opinione, quam nunc adeò quoque detestantur, ejus asseclæ, nomen ejus qui tamen sectantur in omnibus: Ita sanè, quam ultra terminos quoque extenderit Lutherus hanc causam, incommodas adhibendo loquendi formulas, tam hic, quam in ejus libro *de Arbitrio hominis Servo*, non est quod dubitemus, uti vel eapropter Erasmus, ne hæc atque similia paradoxa ingererentur auribus imperitæ multitudinis volebat: *Nihil refert, qualia sint opera nostra; tantum habeto fidem & servaberis.* Et: *Homo quicquid agit, nihil aliud agit quam peccat.* Quæ ut in aliquo sensu vera sunt, tamen

Deum preſſus ſuis peccatis non referat, ſed rapiat ſed ſibi tribuat, in eo, quæ ſua ſunt non quæ Chriſti quærat, igitur in ſana doctrina noſter Theologus ita præcipit.

IX. *Paradoxum nonum.*

Dicere quod opera ſine Chriſto ſint quidem mortua ſed non mortalia videtur periculoſa timoris Dei remiſſio.

Nec majori negotio & illud, nimirum eidem innixus rationi ſtatim adjunxit.

X. *Paradoxum Decimum.*

Imo difficillimum eſt intelligere quonam modo ſit opus mortuum nec tamen noxium, mortaleve peccatum.

Nam ſi mortuum, Deo referri, qui vita ſit vitæque fons non poteſt, cum autem referri omnino oportebat, rapitur Deo ſuum, & alienum ſibi Deum ſe aut quodvis aliud ſibi homo peccator ſtatuit, transgreditur igitur legem Dei qua ſancitum eſt: non habebis Deos alienos: peccat igitur quodcumque agat, quantumlibet in ſpeciem bonum illud videatur, itaque non tantum mortuum, ſed morta-

men ab imperitis alio rapiuntur, quam expedit. Inprimis ubi non alia ad horum effatorum interpretationem noxiam vitandam, afferebantur, quam quæ videmus allata. Ejus commatis etiam ſunt illa, quæ in Diatr. *de ſervo arbitrio* p. 113 & 114 edit Schmid. proferuntur, hunc in modum: *Chriſtiani verò non libero arbitrio, ſed Spiritu Dei aguntur Rom.* 8. *Agi verò non eſt agere, ſed rapi, quemadmodum ſerra aut ſecuris à fabro agitur. Et hic ne quis dubitet, Lutherum tam abſurda dicere, verba ejus recitat diatribe* (Eraſmi Sc.), *quæ ſane agnoſco. Fateor enim articulum illum Wiclefi, omnia neceſſitate fieri, eſſe falſo damnatum in Conſtantienſi conciliabulo, ſeu conjuratione potius & ſeditione.* Uti idem Lutherus lib cit. p 41. 42. *Sic* (inquit) *humana voluntas in medio poſita eſt: ceu jumentum: ſi inſederit Deus, vult & vadit, quo vult Deus, ut Pſalmus dicit: factus ſum ſicut jumentum & ego ſemper tecum. Si inſederit Satan, vult & vadit, quo vult Satan, nec eſt in ejus arbitrio, ad utrum ſeſſorem currere aut eum quærere, ſed ipſi ſeſſores certant ob ipſum obtinendum & poſſidendum.* Sed, hæc obiter. Cum ſolummodò referamus, quid Lutherus docuerit, & quænam ejus mens fuerit, non autem nos immittamus in ipſam illam vel rerum vel verborum ab ipſo adhibitorum diſquiſitionem;

tale etiam ſibi noxiumque fuerit; Ad hæc, neque literæ ſacræ neque latinæ hunc habent loquendi modum, ut mortale aliquid non ſit, & tamen ſit mortuum, quin latinis plus ſonat mortuum quam mortale. Sed, utcunque ſit de verbis, res ipſa indignisſima eſt Chriſtianis nedum Theologis; Si enim & ipſi quod extra gratiam ſit mortuum aſſerant, audiant quæſo Dominum quam ſibi hæc mortua placeant teſtantem Jeſ. I. *incenſum*, inquit, *abominatio eſt mihi*, Νεομηνιας &c. *facta ſunt mihi moleſta*, *laboravi ſuſtinens* &c. &c. *Victima impiorum abominabiles.* Præterea circa opus tale aliquod mortuum hominem quoquo modo affici oportet, amabit enim aut odiet (ſit vero illud, exempli gratia, elargitio ſtipis) Non odiet, malus enim eſt, & illud agit utique quod collubitum, amabit igitur, & peccato immunis quomodo cenſebitur? quem ſane oportebat ſuper omnia amare & glorificare Deum, non diligere quod ille averſatur & venditare ſe eo, quod creatori ſuo eſt abominabile. Jam ex prælibatis ſatis ſuperque habetur, in omni etiam juſti opere eſſe nonnihil ſordis, quod in illo etiam homo & non tantum Chriſtus operetur, ex quo maxime, & conſulto ſenſu communi patere etiam hoc poteſt, aut nullum, aut eſſe perquam rariſſimum, nullo non atro Cygno inſolentiorem, quam juſtus, adeo ſe in Chriſtum perimat, ut ſe ipſum non pariter amet ſibique non nihil tribuat, eoque cauſſam habeat timendi damnationis horrendum judicium, ut qui adhuc in ſe offendat quod niſi Chriſti Juſtitia aboleretur, gehennæ plane faceret obnoxium. Quapropter Theologus & hoc adfert præfatum.

XI. *Paradoxum undecimum.*

Non poteſt vitari præſumtio nec adeſſe vera ſpes niſi in omni opere timeatur judicium damnationis.

Niſi enim hoc timeatur ab homine, quid aliud conſequens eſt quam quod is confidat, in ſe non eſſe quod illud mereatur, atque ita ſibi ipſi non probe cognitus, præſumet male & non in uno Deo ſpem ſuam collocabit ut qui commeruerit nihil, quare ob gehennæ tormenta trepidaret. Quando autem Deus remittere aſſoleat, dum ipſi nos accuſamus facile poteſt intelligi & ea, quam mox ſubjungit propoſitionem verbis quam ſententia rariorem, ea ſonat in hunc modum.

XII. *Paradoxum duodecimum.*

Tunc vero sunt peccata apud Deum venialia quando timentur ab hominibus mortalia.

Et quoniam peccatum faciens servus est peccati, & servum Domino suo oporteat esse morigerum, facile sequitur liberum arbitrium post peccatum rem quidem aliquam animæque esse potentiam, at in bonum liberum esse minime, denique, ex se nisi peccare non posse; Etenim quidquid ex se agat homo, istud Deus non agnoscit, nec illi potest referri, admittitur igitur raptus jam sæpe dictus. Quare superiora tenenti haud videbitur obscurum quod sequitur paradoxum.

XIII. *Paradoxum decimum tertium.*

Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo & cum facit quod in se est peccat mortaliter.

Et hoc quidem August. lib. II. contra Julianum aperte comprobat & ad idem facit quod habetur Oseæ XIII. *Perditio tua Israel ex me tantum modo auxilium tuum;* quoad bonum, ille arbitrii libertatem in hunc modum docebat: ut visum est Deo ad se quempiam avocare, prævenit ipse hominis voluntatem & in se convertit, quo fit ut homo Dei nutum summa cum voluptate sequatur, nec quidquam aliud velit, sicque ab omni coactione non autem necessitate liberi simus; Non Deus, inquiebat, sic movet ut bonum tantum ostendat homini, ipsi relinquens acceptare illud aut respuere, sed simul dat velle & posse, atque mox delectabitur bonum quod offert, amplecti.

Ex his atque D. *Augustini* sententia libro contra Pelagianos libro de gratia & correctione, item *Petri Longobardi* Diss. XXIV. citra negotium quoque intelligi possunt XIV. XV. XVI. * propositiones.

Nam quod ad XVI. pertinet, si annitatur ex se quispiam parare gratiam, minimum & Deum deserit fontem vivum & suarum sibi virium veteres nimirum cisternas fodit, duo mala pariter committens, quod per Jeremiam Dominus ipse queritur: Mirum autem, si sit agens, non etiam duplo reus fiat, qui geminum item

* Hæ sunt illæ, quæ jam à nobis pag. 178. 179. sunt adductæ.

item peccatum admittit. Nec hoc pacto unquam desperanti ulla fenestra aperitur, verum semet abjiciendi, auxilium postulandi à Deo, & plane humiliandi se, ut exaltetur, non mediocris occasio præstatur. His jam enucleate perpensis, nullus ut mea fert opinio, reliquis paradoxis scrupus cum esse poterit, præsertim si quis D. Paulum vel a limine salutavit. In XXV. tamen, advertendum hoc est, non illum contendere justum esse absque operibus, sed non opera, eum, verum fidem efficere justum; justus enim ex fide vivit.

Hæc sunt, Beate, quæ inter disputandum ut licuit excepi, in non nullis tamen ab ipso disputatore postridie, non potest dici qua facilitate, quo docendi spiritu, adjutus. Statueram vero etiam nostratium Theologorum tibi tela describere, verum ubi ea repeto videntur tam flaccida tam ficulnea, tam nihilo nisi Aristotelis Scotique σκοτία tenebricantia tantisper, luculentamque veritatem apud Sophistam fortasse aliquem non autem Theologum qui in apertissima Evangelii divique Pauli luce versetur obfuscatura, ut sim plane veritus sub incudem ea mittere tui exactissimi judicii. Quod superest, Humanissime Beate, te oro teque per sacra obtestor; hæc nemo nisi amicus videat, ne mihi ipsi malum accersam, dum obsecundare amico studeo. Et, sive tuum addas subducasve calculum, te per amicitiam nostram obsecro hanc meam ineptiam in amicam partem accipias & dum olim liberrimum tibi fuerit ac vacuum maxime, tuam amicorumque sententiam rescribas. Vale, tuoque Martino si non ad rem aliam vel ad risum interim utare, quem tam egregie depuduerit. Ex *Heidelberga* Kalend. Majas anno Christi cIↃ IↃ XVIII. rogarem ut illatinam meam dictionem, præcipitem scribendi festinantiam, liturasque, conniveres, nisi viderem illico petendum mihi, ne mea legeres.

Num. XIX.

Num. XIX.

Petri MOSELLANI ad Jul. Pflugium
De disputatione Lipsiensi A. 1519. *habita*
Epistola.

DE *Petro* MOSELLANO, cum pluribus in ipso Opere §. LXXX 189. 193. disseruerimus, plura jam non afferimus, nisi quod pag. 191. lin. 29. ita legi velimus: „ Et extat Mosellani „ nostri ad Julium Pflugium non minus, quam etiam ad Bilibaldum „ Pirckheymerum, de colloquio Lipsiensi A. 1519. habito, Epi- „ stola, utraque elegantissima &c. Et deinceps in not. (c) v. *Scultet Annal. Dec.* I. p. 37. *Seckend. Hist. Luth. Lib.* I. p. 90. 91. *Priorem Cel. Heumannus denuò cum ediderit*, &c.

Julius autem PFLUGIUS, insignis ille erat, postea Numburgensis Episcopus, cujus in Historia Lutheranismi mentionem facit satis luculentam Ill. SECKENDORFIUS, uti ejus Vitam habemus à J. H. ACKERO descriptam, atque Orationi *de Ordinanda Republica Germaniæ* subjunctam A. 1724. De ipsa Disputatione itidem egimus §. CV. p. 250. 256.

Hanc Epistolam, prius à B. *Gualthero*, porro à *Foerstero*, deinceps à *Schiltero*, denique à *Loeschero* editam, ante hoc biennium denuò accuratius recudi fecit, instituto laudabili, C. A. HEUMANNUS, Polyhistor Academiæ Gottinganæ eximius, eandemque annotatiunculis quibusdam illustravit; Ut ex ejus manu jam de verbo ad verbum hic eandem exhibeamus legendam.

Petrus Mosellanus Julio suo S.

Nuper cum a Treuiris *a*) meis, quo ex negotio quodam, Principe bene favente iter confeceram, in hanc tuam patriam me reciperem, ma-

(*a*) Natus scilicet erat *Petrus* noster in regione Trevirensi juxta *Mosellam* amnem: a quo nomen sive sumsit sive accepit.

mali suspicans nihil, tantam rerum omnium permutationem, imo perturbationem offendi, ut subitaneos adeo rerum humanarum motus satis mirari non possem. Nam statim, ut Erphurdiam in redeundo perveni, amici, quos illic habeo multos & magnos, civilia aut potius familiaria Saxonum inter sese bella narrabant: tum literarias conflictationes Lipsiæ ac Wittenbergæ, ex quo abiissem, famosæ illius disputationis occasione existentes, ac sine fine progredientes: quarum & ipse pars essem. Postremo, quæ extrema videbatur calamitas, pestilentiæ undique grassantis horrorem sic verbis atrocibus depingebant, & quasi ante oculos statuebant, ut pæne cum Vergiliano Ænea obstupescerem, starentque comæ, & vox faucibus hæreret. Quanquam autem boni viri me non hortabantur modo, sed & conditione optabili proposita orabant, ut illic apud se vel hyematurus tantum subsisterem, nec imbecillam hanc valetudinem in casum aepericulum darem; malui tamen ad flammam accedere propius, & incendii vastitatem qualitatemque coram certius explorare. Itaque biduum tantum refovendis equis commoratus, Numbergam *b*) ad *Ryneckum* nostrum contendo. A quo pro mutua nostra amicitia humanissime exceptus, de meis rebus nonnihil edoceor, simulque, te ab Italis reducem, audio. Hic in summis malis tanta mihi oborta est lætitia, ut ferme omnes animi molestias abstergeret: non aliter, atque rustici gaudere solent, si quando diuturno imbre madentibus sol ille amabilis nube discussa aureum illud os suum ostenderit. Tametsi apud hunc nec mora nec requies: quod hostis jam muros haberet, & undiquaque appareret plurima mortis imago. Quare postridie, quam eo veneram, mane, Lipsia ad sinistram relicta, certissima tui conveniendi spe ardens Pegam *c*) contendo: atque ibi in diversorio fortuna Marcum, patris tui scribam, invenio. Rogo, domine sis, an Misnæ agas. Abesse te Misnæ, ajebat. Hic quasi in trivio constitutus, quo me verterem, dubitavi. Nam apud animum meum sta-

(*b*) Schilterus ita edidit ex autographo Significatur *Numburgum*. Sic etiam Melanchthon *lib. I. Epist.* 3. urbem *Coburgum* vocavit *Cobergam*.
(*c*) Rectius vocatur *Pegauia*. Germanicum nomen est *Pegau*.

ſtatutum omnino erat, Miſnam, quo Princeps Academiam tranſtulerat, concedere: quod propoſitum urgebat eo magis, quo te tanto intervallo videre & jucundiſſima tua conſuetudine frui ardentius geſtiebam. Sed univerſa rerum mearum ſupellex etiamnum reditum meum Lipſiæ exſpectabat: ut ſine libris Miſnam fruſtra conceſſurus eſſem, & nihilominus a Lipſia adeunda peſtis metu deterrerer. Inter hæc fluctuanti demum ex valetudinis meæ uſu videbatur recta ad te Miſnam contendere. Atqui caſu quodam accidit, ut nobis jam accinctis & equis ephippiatis jactaretur inter familiam, Doctorem *Alexandrum de Tzneyman*, cui ego diſcedens rerum mearum curam demandaveram, una cum fratre ſuo in unis ædibus prope Martiſpyrgum *d)* agere. Sedi nomen eſt *Rötzlitz*. Hic locus, ſtudioſe ſciſcitari cœpi, quantum a Pega tua abeſſet, &, an cum ejus diei luce eo pervenire liceret. Cum annuiſſent, per tranſverſos agros (neque enim via aliqua ducebat eo,) ſub noctem, quo deſtinaram, devenio. Hic totum pæne triduum nobis eſt extractum, dum videlicet vir ille optimus & amiciſſimus genus omne humanitatis in nos exercet, & miniſter in urbe ſarcinas componit, ac aurigas, quibus devehendas committat, quærit. Dum ſic *e)* movemus, & parum mature promovemus, ecce nobis *Julius* interea Miſna relicta e manibus effugit. Ita omni ſpe fructus, quam ex mutuo noſtro conſpectu pariter & colloquio ingentem conceperam, dejectus, δευτερον πλουν πειραζεσθαι, hoc eſt, literas ad te dare cogitavi. Eas jam adornatas tuæ ex inſperato oppreſſerunt. Quibus legendis facile intellexi, meam in hac re infelicitatem non minus tibi, quam & mihi, dolori fuiſſe. Tametſi mea pluris intererat, quam tua. Neque enim tantum de communibus rebus, ſed peculiariter etiam de vitæ meæ rationibus tecum, amantiſſimo mei homine, communicaſſem. Imitabor ergo te, &, quod coram non licuit verbis, abſens agam literis. Nam quod ad *Martini* Theologi cauſam tanta tot ſophiſtarum æmulatione in ſummam invidiam hic adductam attinet, cujus hiſtoriæ te imprimis cupidum video, quanquam ita habet mea ſenten-

ten-

(d) Merſeburg.
(e) Ita rectius in MS. Loeſcheriano pro *manemus*, quod Schilterus edidit.

tentia, ut eam literis quantumuis obsignandis committere parum sit tutum, ne tamen *Julio* meo negare videar quicquam, paucis totius tragœdiæ (*f*) summam bona cum fide repræsentabo. Sed heus tu, cave quenquam præterea spectatorem admittas. Alioqui scito mihi personam in media actione casuram. Principio satis constat, ut (*g*) nullus repetam, quantæ fuerit invidiæ *Martino* suus conatus apud omnes, & qui vel Romanensium istorum impietatem ignorant vel eorum vitiis aluntur, & qui totam ætatem in sophisticis tricis consumserunt; quamque conclusionibus per totam Germaniam sparsis utrinque sit pugnatum, dum ille Philosophiam Aristotelicam, quam solam, quamvis nunquam intellectam, isti tenent, ex Theologorum theatro explodit, hi eam ceu amasiam suam mordicus tenent, & quibus possunt armis tueri student, dolone an virtute, quis in hoste requirat? Non enim soli Lipsienses nostri conclusiones suas Martinianis opposuerunt, sed & *Eccius* in Bavaris Theologum agens *αεροβατων τε* (*h*) *και τον Θεον ωσπερ Σωκρατης απο ταρρε υπερφρονων* rei novitate permotus Episcopo Eistettensi corollaria aliquot contra *Martinum* exhibuit. Quod ubi *Martinus* per amicos rescivisset, mox *Carolostadium*, Wittenbergensem Archidiaconum, in eum immisit, hominem ad *παλινωδιαν* cogere nisus. Ille semel atque iterum respondit, sed meo judicio frigidius, quam ut doctrinæ alicujus eminentis fidem lectori cordato facere videatur. Neque enim *Eccius*, quam est lingua promtus, tam & calamum habet expeditum, *δεινος* (*i*) *μεν λαλειν, αδυνατος δε λεγειν.* Quare hoc genere pugnæ victoriam desperans ad theatricum illum publicæ disceptationis congressum provocat. Nimirum *ιππος εις πεδιον* Non detrectant certamen Wittenbergenses. Sic utrisque pugnandi fit copia in Theologorum nostrorum vere *φροντιστηριω*, XXVII. Junii mensis die ad congrediendum condicta. Mature utrique advenerunt. *Eccius* solus cum solo ministro eoque commodatitio,

 Prin-

(*f*) Verius vocasset *comœdiam.*
(*g*) Hoc est, *licet id non repeterem.*
(*h*) Petita hæc verba sunt ex Aristophanis *Nub. act. I. sc.* 3.
(*i*) Hoc est, vir magnæ loquentiæ, sed expers eloquentiæ.

Principi nostro Fuccari (*k*) literis commendatus. *Martinus* ac *Carolostadius* optimam Academiæ suæ partem secum trahebant: inter quos insignis erat *Barnimus*, Pomeranorum Princeps, juvenis modestissimus, & literarum amantissimus, & mihi peculiariter favens. Confluebant autem eventus videndi studio omnis ordinis homines, Abbates, Comites, Equites aurati, docti simul atque indocti, ut ex tot auditoriis, quot amplissima habet hæc schola, nullum tantæ multitudinis capax esset. Qua in re Principis providentia clarissime exstitit. Is enim, quod futurum erat, animo prospiciens, capacissimum illud atrium, quod est in arce, in præsentem usum destinatum apparari jusserat. Et quia invito Episcopo Merseburgense, reclamantibus Theologis nostris, partibus disputandi copiam fecerat, in se quoque omne procurandæ rei onus sponte suscepit. Dat negotium Senatui, ut pro hospitum dignitate hospitia procurent, &, ne in re tanta quid tumultus oboriatur, in armis esse jubet. Curantur omnia recte: præsertim cum Principis nomine pater (*l*) tuus non solum omnibus interesset, sed & præesset. Jam dies condicta illuxerat, cum mane hora (ut hic numeramus,) sexta in prosperiorem cœpti negotii successum apud Divi Thomæ *Sacrum* (*m*), omne genus musicis adhibitis, magnifice peragebatur. Post magnifica plane instructa pompa agminatim in arcem festinarunt omnes. Verum, ne turba omnis citra delectum irrueret, armatis aliquot, qui fores obsidebant, cautum erat. Ut vero introgressi jam quisque pro suo ordine sedem ceperant, miser ego homuncio nonnihil adhuc febricitans per posticum intromissus suggestum adscendo, Principis nomine & summa omnium exspectatione dicturus. Terrebat me primum, fateor, tantus tantorum hominum consessus, tanta omnium exspectatio, tanta tanti Principis persona: cui gerendæ

(*k*) Id est. *Fuggeri.* A cujus divitiis pecuniosus quisque homo vocari cœpit *ein reicher Fucker. Phil. Engentinus* in poëmatio. *Erasmi Copiæ verborum ac rerum* præfixo:

Fuccarus haud unquam convectis undique gazis
Orbe pererrato tot cumulavit opes, cætera.

(*l*) *Cæsar Pflugius*, Ducis Georgii Minister primarius. Ejus mentionem facit *Seckendorfius Hist. Luth. p.* 89. & 389.

(*m*) Hoc est, *Missa.*

dæ (*n*) ut par futurus essem, verebar. Dixi (*o*) tamen, si non magna cum laude, ita tamen, ut cum optimis quibusque id Princeps ipse boni consuleret. Ubi jam peroratum esset, & jam omnes finem cuperent, (effluxerant enim duæ pæne clepsidræ,) musici aliquot, meo consilio in hoc adornati, itidem per posticum introducti canticum illud, cujus initium est: *Veni Sancte Spiritus*, suavissimo concentu modulabantur, auditoribus omnibus in genua venerabunde procumbentibus. His quasi *παρασκιναις* antemeridiano tempore consumto in prandium discessum est; & per præconem totum auditorium a prandio redire jussum. Rediere omnes exspectabundi. *Carolostadius* atque *Eccius* uterque pro se ex more veniam præfati in arenam descendere. Inter hos certatum est *de libero arbitrio*, videlicet ut illud se haberet erga opus hominis salutare. Nam *Carolostadius* obtinere studebat, quicquid in dictis ac factis hominis salutare esset, id totum DEO ceu soli bonorum omnium fonti deberi; porro hominis voluntatem suo consensu nihil bonitatis addere, sed tantum cœlestis gratiæ influxum excipere: breviter, DEUM esse fabrum, nostrum arbitrium malleum, quo ille nostram salutem fabricet. Cui sententiæ haudquaquam absurdæ (si quid in his ipse intelligo,) totum pæne triduum ab *Eccio* reclamatum est, opus meritorium (sic enim vocare solebat,) partim gratiæ, partim hominis voluntati tribuente. Huc tandem res devolvebatur, ut *Eccius* daret, totum opus bonum esse a Deo, sed non totaliter, μακρα χαιρειν φρασας ρητορων τω απο συζυγων τοπω. Quam distinctiunculam non tantum in præsens elusit *Carolostadius*, sed & postea longissima epistola in vulgus edita frigidissimum commentum confutavit. Qui labor quam aliis probetur, nescio: mihi certe, quod ad causam attinet, abunde fecit satis. Successit *Carolostadio Martinus*, sustentaturus hoc, Romanam Ecclesiam ejusque Episcoporum cæteris superiorem probari tantum ex decretis nuper natis: contra

 quæ

(*n*) Ait, *se gessisse personam Principis*, quia *ejus nomine*, uti paulo ante dixit, verba faciebat

(*o*) Inseruit hanc MOSELLANI *Orationem* Ven. LOESCHERUS *Actis Reformationis*, & quidem tertii Tomi capiti decimo, p. 567-578. Edita ea primum fuerat Lipsiæ & OTTONI à PACK inscripta ipso illo anno 1519.

quæ ſtaret & Scripturæ & Niceni Concilii auctoritas. Quam ſententiam ut everteret, *Eccius* nihil non tentavit, hucque omnes ingenii ſui machinas admovit, & dies continuos octo impendit, obiter illud potiſſimum ſtudens, ut plerisque Bojemicæ factionis articulis objectis hominem in majorem invidiam adduceret. Quas inſidias ſtatim intelligens *Martinus*, graviter & velut ſpiritu quodam infremuit, huc ſe παρέργως inſidioſe trahi. Porro objecta dogmata partim magna cum indignatione rejecit, partim etiam ut Chriſtiana amplectebatur, niſus ubique vel Scripturæ libratiſſimis teſtimoniis, vel veterum Conciliorum decretis. In ſumma, nihil tam ſtuduit, quam Boiemici diſſidii per ſe approbandi ſuſpicionem procul a ſe amovere. Rurſus *Eccius* in hoc erat totus, ut hanc de *Martino* opinionem omnibus ingereret, ipſo *Martino* quamtumuis reclamante. His & id genus aliis, *de ſtatu animarum in purgatorio degentium*, *de pœnitentiæ ſcintilla timore*, *de p) condonationibus*, XX. pæne dies conſumebantur. Necdum finis fuiſſet ullus, niſi nuntiatum eſſet, *Joachimum*, Marchionem Brandenburgenſem, Francofordia a Principum Electorum comitiis *q*) redeuntem in propinquo adeſſe. Ei enim Principis noſtri juſſu hoſpitium Lipſiæ in arce adornandum erat. Itaque ſic eſt diſceſſum, ut utraque factio victoriæ palmam ſibi vendicaret. *Eccius* enim triumphat apud omnes, qui vel ὄνοι λύρας ἀκροαταὶ totum negotium non intelligunt, vel jam inde a pueris in *Petro Hiſpano* conſenuerunt, vel qui alia aliqua ex cauſa Wittenbergenſibus male volunt. *Martini* ac *Caroloſtadii* victoria eo minus eſt celebris, quo docti & judicio præditi ſunt pauciores, & in ſuis rebus deprædicandis modeſtiores. Habes fabulam breviter & quaſi ſaltuatim, multis parum ad cauſæ ſtatum facientibus in medio relictis, a me tibi perſcriptam. Sed quid? Non plauſum etiam attollis? Ineptus fortaſſe tibi videor ὑποκριτὴς, aut necdum ſatur plura exſpectas. Explebo igitur te vel ad faſtidium usque his epulis, & ipſos belli hujus duces tibi quaſi in tabula depictos oſtendam. *Martinus* ſtatura eſt mediocri, corpore gracilento, curis pariter ac ſtudiis exhauſto, ſic, ut propius intuenti omnia pæne oſſa liceat dinumerare; ætate vi-

(*p*) Hoc eſt, indulgentiis.
(*q*) In quibus Rex Hiſpaniæ Carolus creatus fuerat Imperator.

virili adhuc & integra: voce acuta & clara: doctrina vero & Scripturæ cognitio in eo admirabilis, adeo, ut omnia pæne in numerato habeat. Græce & Hebraice hactenus didicit, ut de interpretationibus judicium facere possit. Nec ei deest dicendi materia: suppetit enim & rerum & verborum sylua ingens. Judicium *r*) fortasse & utendi rationem in eo desideres. Porro in ipsa vita ac moribus civilis & facilis, nihil Stoicum, nihil superciliosum præ se fert, imo omnium horarum hominem agit: in congressibus festivus & jucundus (*s*) nugator: alacris & securus, ubique & semper læta facie florens, quantumuis atrocia comminentur adversarii: ut haud facile credas, hominem tam ardua sine Numine Divum moliri. Sed, quod ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo imprudentior paulo & mordacior, quam vel tutum sit *τῳ τα θεια καινοτομουντι*, vel decorum homini Theologo. Quod vitium haud scio, an non cum omnibus *τοις οψιμαθεσι* habeat commune. Hæc pleraque omnia in *Carolostadio* paulo minora deprehendas: nisi quod huic statura est brevior, facies & nigricans & adusta, vox obscura & inamœna, memoria infirmior, & iracundia promtior. Jam *Eccio* status est procerus, corpus solidum & quadratum, vox plena & plane Germanica, lateribus fortissimis subnixa, ut non tragœdis tantum, sed & præconibus sufficere possit; aspera tamen magis, quam expressa. Tantum abest, ut nativam illam Romani oris suavitatem, Fabio ac Ciceroni tantopere laudatam, referat. Os & oculi, totus denique vultus, sunt ejusmodi, ut hinc certe quemuis lanium aut Carem militem citius, quam Theologum, possis agnoscere. Quod ad ingenium attinet, memoria pollet insigni: quæ si in parem incidisset intellectum, jam omnibus numeris naturæ opus fuisset absolutum. Deest homini intelligendi promta vis, deest judicandi acumen: sine quo cæteræ dotes omnes frustra contingunt. Atque hæc causa est, quod, cum disputat, tot argumenta, tot Scripturæ testimonia, tot authorum dicta citra ullum omnino delectum congerit, interim non ad-

(*r*) Hæc verba: *Judicium-desideres*, utrum casu, an consilio, sint omissa a Ven. LOESCHERO in *Actis Reform. T. III. p.* 247. non quidem certe scio, credo tamen prius.

(*s*) Hoc verbum *nugator*, etiam omissum est a LOESCHERO p. 248.

advertens, quam pleraque ſint frigida, quam ſuis locis recte intellecta ad præſens nihil faciant, quam denique ſint ἀποκρυφα (*t*) vel ſophiſtica. Hoc enim tantum curat, ut copioſam farraginem ſpargens auditoribus magna ex parte ſtupidis fucum faciat, & victoriæ opinionem de ſe præbeat. Adde his incredibidem (*u*) audaciam, quam admirabili tegit vafricie. Etenim ſi quando per hanc in adverſarii laqueos incidiſſe ſe ſentit, diſputationem paulatim alio deflectit: nonnunquam vero & adverſarii ſententiam aliis verbis conceptam pro ſua amplectens, abſurdam ſuam in adverſarium mirabili calliditate detorquet: ut quemvis Socratem vincere videri poſſit: niſi quod ille το ειρωνευεσθαι profeſſus nihil decernebat; hic Peripateticam ſciendi fiduciam profeſſus την παρασιτικην exprimit. En tibi bona fide Apellem, ſi non, quam fuit ille, artificem, ſedulum tamen & induſtrium. Jam vero animus erat & de meis rebus ad te perſcribere. Sed quia vel hæc epiſtolæ modum excedunt, & Decanus tuus major eſt, quam ut plurimis chartis ſit onerandus, finem faciam, paucula prius aliena ſi adiecero. Non credis, quam pæne omnes, ex quo huc conceſſimus, in *Martinum* mitiores (*x*) redditi ſint: inprimis (*y*) ὁ γραμματοφορος: tantum abeſt, ut in eum quicquam ſcribat. Quid enim ſcriberet γερων παλιμπαις? Doctor *Heynitz* tuus de hoc negotio recte ſentit, Doctor *Gabelentz* item, *Henricus* monachus, Doctor *Hermeſtorf*, *Joannes de Maltitz*, homo optimus, hoc eſt, tui ſimillimus. Cum reliquis non multum mihi nec rei eſt, nec ſpei. At vero Archiepiscopus Treuirenſis, cui *Martini* cauſa a Pontifice eſt commiſſa, homini non admodum vult male: id quod ex mutuo colloquio, cum nuper in patria ad prandium ab eo vocatus eſſem, didici. Hic heros prudentiſſimus eſt & ani-

(*t*) Id eſt, ſuppoſititia.

(*u*) Etiam SLEIDANUS *lib. I. f.* 26. *a* ECCIUM appellat *Theologum animoſum & audacem*

(*x*) Ipſe *Georgius*, Dux Saxoniæ, cujus auſpiciis habita eſt Lipſienſis diſputatio, ita ad *Lutherum* ſcribebat A 1526. in *Lutheri Operum Germ. Jen.* f. 190: *Wir haben auch nicht ungerne gehöret, das die* Diſputation *zu Leipzig geſchehen. Denn wir haben gehoffet was Beſſerung der Misbräuche unter den Chriſten.*

(*y*) Id eſt, *Emſerus*

animi plane magni: ut Romanenses istos nihil moretur. *Franciscus de Sickingen*, ille magnus in Germania ductor, *Hogestratum* ac suos sodales graviter urget, quo *Capnioni* nostro rei familiaris jacturam, quam propter eos fecit, intra statum tempus resarciant: alioqui se eos pariter & Coloniensem remp. afflicturum. Devoluti enim sunt hostes *Reuchlini* in expensarum condemnationem, ut vocant. *Ulrichus Huttenus* Principis sui sumtibus Moguntiæ trium linguarum scholam adornat. Vides, quam paucis annis tota Germania literas cœperit amplecti. Et in hac laude Friderico, Principi Electori, primæ debentur. Is jam ingentibus præmiis Matthæum (z) Hadrianum, Hebræum nostræ memoriæ doctissimum suæ (*aa*) linguæ Medicum, e Lovanio Wittenbergam accersit. Quod Gymnasium, velimus nolimus, in Lipsiæ perniciem, supra quam credi possit, accrescit: usque adeo, ut me Lipsiensium pœniteret, nisi spes quædam in te tuique similibus juvenibus meliorum temporum ostenderetur. Paravit me in Treviris detinere nuper Princeps meus. Idem Erphurdienses aliquoties sunt conati. Nec Moguntia excipere nos dedignatur. Quid tu nobis suadeas, nescio. Ipse hoc animo sum, ut non libenter hirundinum ritu migrem ac remigrem. At Italia certe tituli Doctorei coemendi causa omnino est adeunda. Cui rei annum destinavi unum aut alterum, non amplius. Sed consilia in hac re mea ad te alias per otium scribam. Princeps mihi faventior reddi videtur, item pater tuus, cæterique magnates. Inprimis autem me fovet nunc exulem Reverendus Pater, Martinus, Abbas Cellensis, e cujus ædibus, quas Misnæ habet, hæc ad te scribo. *Wolfgangus Fabricius Capito*, doctissimus trium linguarum Theologus, Moguntinæ Ecclesiæ concionator lectus est: quod

(z) De eo satis disces e COLOMESII *Hispania orientali p. 255. sq.* Ejus *Introductionem in linguam Hebraicam*, Basileæ 1520. editam, sua in bibliotheca habet Ven. *Reimmannus*. Vid. ejus *Catalogi critici T. II. p. 547.* De eodem hoc *Hadriano* multa collegit Ven. KRAFTIUS *im Jubel-Gedächtnis wegen* Lutheri *Übersetzung des Neuen Testaments cap. I. §. 4. p. 57. & 58.*

(*aa*) Hoc est, suæ nationis. Erat enim Judæus gente, religione nunc Christianus. Videtur idem esse, quem laudavit WOLFIUS *T. I. Biblioth. Hebr. n.* 1675. Vid. idem. *T. IV. p.* 927.

quæstuosum illic est sacerdotium, hactenus a Theologistis possessum. Theologia in pristinam sinceritatem strenue restituitur. Quod ut pro mea virili adiuvem, quatuor libros *de Theologia Gregorii Nazianzeni* in Latinum vertere cœpi. Verum haud scio, an feliciter. Nam his diebus scripsit *Oecolampadius*, concionator Augustanus, & se idem moliri: quare cupere se, ut meis literis de meo instituto certior reddatur; se enim, si resciat, nos idem conari, nobis cessurum. At me tanto viro cedere æquius, opinor, erit. *Erasmus* in Paulo illustrando commentariis versatur. Germania jam a bellis quiescit, sed pestilentia pæne tota laborat. Vix angulum habemus, in quo tuti resideamus. *Hessum* nostrum rectissime valere cupio, cui libellos *Croci*, quos cupit, jamdiu misissem, si haberi possent. Nusquam, quod sciam, prostant. Is noster *Crocus* in aula Regis sui agit, & me jam literis in Angliam vocat. Sed, an fidendum sit, nescio. Meas nugas, quas edidi, propterea ad vos non mitto, quod Italorum nasum metuam: tametsi *Beatus Rhenanus* ad me scripsit, eas, Basileæ denuo excusas, a Caluo (*bb*) bibliopola istuc in Italiam deportari. *Spigelio* omnia fausta precor. *Petrus* (*cc*) *Suavenius*, Eques Pomeranus, meus discipulus tui amantissimus, quia simillimus, te reverenter salutat. Insinuabo te tuasque virtutes hic omnibus, præsertim doctis. Neque enim est aliquis in Germania celebriter doctus, cum quo mihi non intercedat familiaritas: Laus Superis. Plus mihi tribuitur, quam vel ipse agnoscam, vel hæc aetas & tenuitas capere possit. Tu bene vale, & longissimis literis per Decanum nobis responde. Tecum jam agerem in Italia, si de reditu tuo quicquam præscivissem, & in hoc res meas domi & hic cum Principe composuissem. Iterum vale. Calamos aliquot mittes, cum commode poteris. Misnæ octavo Eidus Decembr.

an. M. D. XIX. raptim ac celerrime, ut vides.

Num. XX.

(*bb*) *Ex ædibus* hujus FRANCISCI MINITII *Calui*, *Nouocomensis*, edita fuit *Romæ* 1525. fol. operum *Hippocratis* versio Latina, facta a *M. Fabio Caluo*, *Ravennate*.

(*cc*) Hujus pro præceptore, PETRO MOSELLANO, *Apologia*, hoc ipso anno 1519. edita, exhibetur a Ven. LOESCHERO in *Actis Reformationis* T. *III*. *p*. 653--659.

Num. XX.

Ph. MELANCHTONIS ad Jo. Oecolampadium
De Colloquio Lipsiensi
Epistola ex Loescheri Act. Ref. Tom III. p. 215 sq.

NEque referre multum puto, neque tu magnopere desideras, studium ac voluntatem animi erga te mei pluribus verbis declarari. Nam ejusmodi auspiciis animos nostros optimus ille sinceræ charitatis spiritus conciliavit, ut amicitiam nostram neque labefactari ullo casu in tam varia omnium rerum humanarum vicissitudine, posse sperem, neque vulgaribus illis & profecto pedaneis suffragariis id genus literarum, quibus fere aluntur amicitiæ, altius acturam radices. In utrumque spiritus incumbit pariter, ut inaudita sit amicitia, tum simulatis, tum nugacibus istis blanditiis. Atque utinam illius queam grato pectore beneficium agnoscere, qui talem non dico Thesea, sed Christiana fide amicum nobis junxerit. Nemo enim plane mortalium est, cujus præsentior in me jam inde a puero usque fuerit beneficentia, quam tua, eaque vere liberalis ac prorsus το γυμνον των χαριτων referens. Neque enim rationes nostræ sinebant æquare beneficium beneficio. Qua parte quandoquidem tu præstas, quæso, permitte vincere nos modo. Aristoteles eum, qui beneficio quempiam affecerit, ab illo tantum vult amari, quantum meretur beneficium, aut certe beneficii gratia. Argute ille quidem sed non omnino probe. Neque enim nobis scopus est amoris nostri, beneficium ullum tuum, sed ille autor amicitiæ nostræ Christi Spiritus. Tu interim quidquid officii amico dedisti, communi charitatis jure debebas. Vicissim in nominibus tuis nos quoque sumus, non defuturi officio, si quando casus aliquis feret.

Jam vero quod attinet, nolui quandoquidem reliqua fere in studiis literarum communia habemus, frustrari te iis, quæ expectatione majore quam pro re, Lipsiæ de ambiguis quibusdam Theologorum ut videtur locis acta sunt. Nec opinor nihil referre tua, qui & pro Theologi nominis dignitate, in illo Sueviæ theatro urbe Augusta sacrum

 Pa-

Panegyristen agis, &,ut theologicæ literas, pure ac simpliciter doceantur,adniteris. Hæc vero disceptandi provincia primum non ob aliud suscepta est, nisi ut palam fieret, inter veterem & Christi theologiam, ac novitiam & Aristotelicam, quantum intersit. Verum quicquid profectum sit aut quorsum inclinarint res, mihi sane non est in proclivi judicare. Quo diligentius omnia prosequar, quæ ad causam attinent, ut nonnihil certi ex his tu queas oculatior assequi. Varia procul dubio fama ad vos perferet, quapropter fide historica, & quæ simplicissime subnotatis capitibus disceptationis agam, ut intelligas, quid de utroque controversum sit.

Atque,ut inde ὥσπερ ἀπὸ γραμμῆς ordiar, superiori anno sententias, quas Lutherus de Indulgentiis proposuit disputandas, Eckius obelis notavit, amarulentius est scriptum, quum ut hinc aliquid proferam. Ex illis revellit aliquot Carolostadius in conclusionibus suis, quæ extant, Carolostadio respondit Eckius per Apologiam, in qua jam pleraque mitius, quam ante in obelis. Apologiam edito libello Carolostadius confutavit, longa est injuria, longæ ambages. Placuit ad summum, cætera prætercam, disputare, dies dictus est, Lipsiam veniunt Johannes Eckius Ingolstadiensis, Andreas Carolostadius, & Martinus Lutherus Wittenbergenses. Rerum summa in Conclusiones coacta erat pauculas, quo certius id proponeretur, de quo disputandum esset. Satis opinor constare tibi, quid de disceptatione convenerit, videlicet, ut ageretur causa excipientibus Notariis, atque id scriptum divulgaretur, essetque judicium penes optimum quemque. Primum Eckius causatus est apud eos, qui designati erant ab Illustrissimo Principe Georgio Saxoniæ Duce, Mœcenate humaniorum studiorum, præfecti disputationis, contra quam condixerat, videri sibi ex jure disputantium esse, ne dictaretur, gliscentem eorum vim, qui congrediuntur pugnaturi, sensim per styli moram defervere, impetu augeri animos, contando labescere. Id ego nescio an è simplicitate theologica videri possit, ubi nihil tam præstandum est, quam,ut ne quid impetu, ne quid temere, ne quid immodico animo dictum videatur. Et ut ne in studiis literarum, ac potissimum in negotio pietatis, nihil puto neque prius neque salutarius congressu familiari doctorum ac bonorum, ubi sententia cum sententia, placidis ac tranquillis, minimeque pertinacibus animis, confertur, ubi ne-

neque vincere plauſibile: Ita vix aliud cenſeo pernicioſius, popularibus illis diſceptationibus, ubi non poteſt quantumvis bonis non obſtrepere victoriæ cura. Scis tu quam multa prudenter in hanc ſententiam ſcribat Nazianzenus, quam multa item Eraſmus noſter. Jam vero convenerat de Notariis, neque enim aliter perſuaderi poterat Caroloſtadius, qui cum primum ſuſceptum eſt certamen, ibi certos quoque judices deſignare voluit Eckius, non recuſavit Caroloſtadius. Itaque die XXVII. menſis Junii congrediuntur Johannes Eckius & Caroloſtadius. De libero arbritrio propoſitum eſt, An ſit aliquod in nobis αὐθαίρετον, bonum opus? hoc eſt ut ipſi dicunt, An congruo mereamur gratiam, cum facimus, quod in nobis eſt? Utor enim ipſorum verbis. Hoc cum agi deberet, vide quorſum contentione rapti ſint, & in quos ſcopulos impegerint. Agi debebat, *quid per ſeſe citra gratiam poſſet voluntas noſtra?* Ipſi quæſtionem alio rapiunt, & quatuor credo continuos dies in eo diſceptant, An *voluntas tantum recipiat bonum opus, ipſumque bonum opus ſola efficiat gratia.* In has ſymplegadas coëgerunt cauſam non ita multum neceſſarias, & plane alienas ab inſtituto Caroloſtadii. Dedit Eckius, in voluntate noſtra non eſſe vim genuinam, qua opus bonum producat, ſed aſcititiam tantum, eamque quam fœneret gratia, id quod primum videbatur oppugnare. Deinde à Caroloſtadio rogatus, largireturne totum opus bonum eſſe à Deo, reſpondit totum quidem, non autem totaliter. Ecce autem, ut argutum hoc commentum, dignum majeſtate theologici nominis, adeo λόγους κυβίζειν cuivis hodie liberum eſt. Primum fatetur Eckius voluntatem à Deo moveri, deinde, ut conſentiamus, in noſtra eſſe poteſtate inquit: Id Caroloſtadius oppugnavit aliquot Auguſtini locis, & hoc Pauli fortisſime: Deus efficit in nobis velle & perficere, Atque hæc ni fallor, ſententia ſalva Caroloſtadio manſit. Quædam pro dogmate ſuo ex Bernhardo transſcripſerat Eckius ad rem parum attinentia. Atque hæc fere ſunt, quæ cum Caroloſtadio Eckius. Integram credo hebdomadam perdidimus in his, quorum capita συντόμως notavi. His autoribus primum didici, quid ſit, quod veteres σοφιστεύειν dixerunt, Mirum hæc omnia, quo tumultu, quam tragice tractata ſint, quo minus mirum eſt, parum profectum eſſe, ſua enim ſilentia amat ſpiritus, per quæ nobis illabitur ſeque inſinuat, cupidis non gloriæ,

sed cognoscendæ veritatis. Non prostat in porticibus sponsa illa dilecta Christo, sed in domum matris suæ sponsum introducit. Imo neque ulli nos sapientiæ cœlestis radii illustrent, nisi jam ante cruce perpurgatos, mortuosque pristinis mundi elementis, ut cum Paulo dicam.

Sub hæc & D. Martinus Lutherus in harenam descendit, nam hactenus non satis certum erat congredi, cum causæ invidiosæ judices designare commode non posset, pro jure Appellationis suæ. Tamen cum de eo convenisset, agi cœptum est de Romani Pontificis autoritate, controversumque est, An jure divino probari posset œcumenici Pontificis autoritas? Esse œcumenicum Pontificem ingenue fatetur Lutherus. In hoc disputat: An jure divino probari ejus autoritas possit. In hunc locum quandoquidem paulo asperior est, dies quinque, ni fallor, impensi sunt. Ibi multa acerbe Eccius, multa inciviliter, breviter omnia ejusmodi, ut invidiam apud vulgus Luthero conflaret. Argumentum primum erat Eccii, Ecclesiam ακεφαλον esse non posse, cum civile corpus sit, Esse igitur Papam jure divino caput Ecclesiæ. Tum Luherus, Christum se fateri caput esse, cum Ecclesia sit regnum spiritus, non desiderare aliud caput, ut ad Col. 1. Ad hæc locos aliquot ex Hieronymo & Cypriano addidit Eckius, qui quantum de jure divino probent, ipse viderit. Jam & quidam loci manifeste apud eosdem Scriptores in dubium vocabantur, quos ipse pro certis proferebat. Bernardi autoritatem ad Eugenium, ceu panopliam achilleam, jactabat, cum tamen & in eodem lib. ad Eugenium sint, quæ non omnino nihil ad institutum Lutheri faciant. Cæterum, Bernardo in hoc negocio quid debeatur, quis est tam stupidus, qui non intelligat? Ex Evangelio usus est loco Matth. 16. Tu es Petrus, & supra hanc petram &c. Lutherus confessionem illam fidei esse voluit, Petrumque ibi personam universæ Ecclesiæ gerere, seque Christum petram vocare, idque ex ipsius sententiæ ordine pluribus conjecturis coarguit. Item loco, Pasce oves meas, quod proprie ac privatim Petro dictum est. Respondit Lutherus, post parem Apostolis omnibus autoritatem traditam: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c. Hæc enim verba sunt demandati officii, Christum docuisse, quid sit pascere, & qualem voluerit esse, qui pasturus sit. Ad hæc Eckius Concilii

cilii

cilii Constan. autoritatem allegavit, ubi contra articulos Hussitarum pronunciatum est, de necessitate salutis esse, credere Roman. Pontificem œcumenicum esse. Ibi jactatum varie, Concilium errare non posse. Prudenter ad hæc Lutherus, non omnes articulos pro hæreticis damnatos, & reliqua, quæ hic omnia molestum est referre; Neque hujus est loci tractare, quæ sit Conciliorum autoritas. Hoc palam est, non posse Concilium novos articulos fidei condere. Malè audiit ob hæc Lutherus, quod videbatur obstrepere Conciliis, cum ille nihil majore religione præstaret, quam ut sua Conciliis esset autoritas, ibi hæreses, Bohemicæ factiones, & id genus crimina alia objiciebantur. Largitus est Eckius, æqualem omnium Apostolorum autoritatem fuisse, Nec consectaneum esse, ut sint æquales Episcopi, Interesse enim inter αποςολην & administrationem, cum non sit αποςολη aliud nisi legatio εις υπακοην πιςεως, Paulo ad Romanos autore. Neque inter αποςολην & administrationem quid intersit, video. Intolerabile visum Eckio alicubi recedere â Pontificiis Decretis, aut â qualibuscunque verbis alicujus ê S. Patribus; verum sententiam suam de Pontific. loco ad Gal. Lutherus muniit, non alieno, quantum video, Ab iis qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus enim personam hominis non accipit, mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Interim Eckius opinatur à Christo Apostolos lectos esse, sed à Petro ordinatos Episcopos. Ex his æstimes reliqua. Ad constitutionem, quæ recensetur in Decretis, Ne Romanus Pontifex universalis Episcopus nominetur, respondit: Non quidem universalem Episcopum nominandum esse, sed universalis Ecclesiæ Episcopum.

Post hæc de purgatorio agi cœptum, cujus quæstionis, arbitror, scopum ne attigisse quidem. Nam cum disserendum esset, quam in purgatorium potestatem habeat Papa, cœpit Eckius aliam cantilenam, Esse purgatorium probari ut possit, id quod receptius est, quam ut necesse sit, toties in Scholas vocare. Locus est in Maccabæis vulgatus, quo sententiam suam muniebat Eckius. Luthero visum est in contentione, juxta Hieronymi sententiam, non valere Maccabæos. Contra ille, Tantum deberi Maccabæorum libro, quantum Evangelio, digna scilicet Theologo vox, & omnino id mordicus tenuit. Additus Pauli locus ad Cor. Salvus erit, sic tamen

qua-

quasi per ignem, de quo scis ut varient interpretes. Jam & hoc Matth. Esto consentiens adversario tuo &c. de carcere, & quo dicitur, Donec solveret extremum quadrantem, huc detorsit, quod vides unde petatur, & in quam sit dictum sententiam. Nephas est putare eo loci carcerem de purgatorio intelligi. Vellem Christi plebeculam felicius erudiri, Nam tales interpretationes pleræque longiùs a fontibus ducunt Scripturam, quam ut nativam vim retineat. Jam & hoc in Psalmo pro purgatorio produxit: Transivimus per ignem & aquam, & nescio quæ, pari fide alia. De indulgentiis minore contentione disputatum est, imo ipsi Eckio jocum & ludum ciebant. Ad summum de pœnitentia actum est, ejus quæstionis scopum Eckii enthymemata nescio an attigerint, pœnas aliquas satisfactionis probabant, quas admittebat Lutherus. Ceterum pro singulis peccatis ad singulas pœnas deposci pœnitentiam â justitia divina, quas in potestate hominis sit remittere, mihi per illas rationes non apparebat. Atque hæc quidem sunt potissima, quæ in contentionem istam universam inciderunt, pleraque alia magis ridicula sunt, quam ut iis te onerare possim, alioqui felicius occupatum. Duo reliqui dies dati sunt Carolostadio: Altero, de obice, ut vocant, gratiæ, actum est, quem largitur Eckius non tolli natura, sed gratia: Altero, An in quolibet bono opere peccemus, de quo plerisque cum ab Eckio, tum à Carolostadio egregiis Scripturæ locis pugnatum est. Mihi sane visus est Paulus 7. c. ad Romanos non nihil adjuvare sententiam Carolostadii. Plura scripturus, alio ad necessarias operas avocabar, quamvis hæc fortasse prolixiora sunt. Sed placuit nugari tecum amicissimo, eaque de re quam expectatione majore quam fructu agi ipse vidi. De hujusmodi disceptationibus plausibilibus,quid alii sentiant, nescio, mihi quidem periculosæ videntur. Ingenia, eruditionem variam & multiplicem doctrinam hoc theatro ostentarunt isti, ex quibus ad pietatem ut plurima fieret accessio, optarim. Cæterum apud nos magnæ admirationi plerisque fuit *Eckius* ob varias & insignes ingenii dotes. *Carolostadium* è scriptis, credo, novisti, Bonus est vir, & rara doctrina, planeque nonnihil extra vulgi aleam eruditus. In *Luthero*, longo jam usu mihi familiariter cognito, vivax ingenium, eruditionem & facundiam admiror, sincerum & pure Christianum animum non possum

ſum non deamare. Amicis communibus ex nobis ſalutem dicito. Scis, quod dici Græcis ſolet, πολεμυ κανα πολλα, Quare non eſt, ut de hujus diſceptationis eventu, neque famæ, neque iis, qui in ea famæ ſtuduerant, omnia credas. Vale, Wittenbergæ 21. Julii, Anno 1519.

Num. XXI.

Huldrici ZWINGLII Epiſtola
ad
Eraſmum Fabricium
De Actis Legationis ad Tigurinos miſſæ
d. 7. Aprilis 1522.

HAnc ZWINGLII Epiſtolam, ad *Eraſmum Fabricium*, Canonicum Tigurinum & ſingularem Zwinglii amicum, datam; cum primò, non indicatis quidem, unde eam accepiſſet fontibus Cel. Academiæ Heidelbergenſis nuper Theologus CHRIST. LUDOV. MIEGIUS publicaverit in *Monumentis pietatis & rei literariæ*, vulgatis Francofurti 1701. 4. Tom II. p. 19. ſeq. tum eandem ut ut minus exaſciatam aut elaboratam, ut fermè dubitare quis poſſet, num ea Zwinglio ſit accepta ferenda, inde depromere voluimus, atque ad illuſtranda ea, quæ à nobis in ipſo Opere §. CXIII. p. 268. ſqq. tradita ſunt, hic afferre: Enimverò, cum præterea graviſſimis mendis typographicis ea ſit coinquinata, è re lectorum eſſe duximus, eandem à mendis illis quantum fieri potuit purgare, longeque, jam emendatiorem eandem exhibere: Quodnam hujus legationis atque inde nati colloquii fuerit conſequens, non melius quam ex ipſo Senatus Tigurini decreto d. 9 Aprilis, id eſt, poſtridie illius legationis facto, addiſci poteſt, quod doctiſſ. FUSSLINUS inſeruit ejus Collectioni utiliſſimæ ad Hiſtoriam Reformationis Helveticæ ſpectanti Tom II. p. 1. ſqq. Inſignitur verò hæc Epiſtola in Monumentis à Cl. Miegio editis hac rubrica:

Acta Tiguri, 7. 8. 9. diebus Aprilis per R. Dn. Constantiensis Legatum Suffraganeum, Johannem item Vannium, (quem tamen invitum scimus negotio interfuisse) & N. Brenlium, a) cum Huldrico Zwinglio Tigurinorum Evangelista coram Sacerdotum Senatorumque Ordine.

Cum septimâ die Aprilis ad urbem nostram prædicti patres maturini venissent, nec ego ignorarem venturos, captabam, quid illi consilii caperent, rescire, tamen nequivi usque ad intempestam ferè noctem, quâ *Heinricus Luthius*, Diaconus noster carissimus veniens admoneret, Notarium (quem vocant) in crastinum diluculum cogere universum Sacerdotum ordinem, ad Canonicorum locum consuetum: Ego hoc felix auspicium opinatus, quod res per cursorem egregie tum claudum, tum illepidum cœpta esset, cogitabam intra me, quonam pacto essent orsuri telam. Sensi tandem ut mihi videbar.

Et cum jam illuxisset, atque in conspectum venisset, orsus est Suffraganeus in eum modum, qui post sequitur, cum narrare cœpimus, quomodo res sit apud Senatum acta. Erat tota oratio vehemens & stomachosa superciliique plena, tametsi strenuè dissimularet omnem simultatem erga nos, nomen etenim nostrum ita nusquam attigit, ac si sacrosanctum esset, cum tamen interim nihil non in nos diceretur:

Tragœdiam cum jam exejulasset, prodii, indecorum ac fœdum ratus, orationem, quæ tantum damni dare posset, inconcussam prætermittere, præsertim quod infirmos quosdam nuper Christo lucrifactos sacerdotes, offensos eâ sentirem, ex tacitis palloribus ac suspiriis: Tumultuarie itaque ad Suffraganei dicta respondi, quo spi-

(a) Quum hunc BRENLIUM in ipso Opere §. CXIII. p. 268. *Eremitam* per errorem appellaverim, ut eum corrigere, & ejus loco reponere, *Sigillator* velit, vel *Chartophylax*, L. B. rogo: Deceperat me Vox nostris insueta auribus, *Einsigler*, qua nobis ejus officium in Sigilli custodia situm designat Hott. Helv. K. G. T. III. p. 77

ſpiritu aut animo judicent boni, qui audierunt. Summam tamen etiam tum audies, cum ad Acta apud Senatum deveneritmus.

Deſeruerunt hoc cornu veluti victum, ac in fugam converſum Oratores, ad aliud propere feſtinantes, ad Senatum ſcilicet, ubi eadem, ut ex Senatoribus ipſe reſcivi, habita Oratio, eodemque modo nomini noſtro parcitum, diſſuaſum quoque Senatui, ut ego vocarer, nihil enim ſe mecum habere negotii: Variantibus poſt hæc aliquandiu ſententiis, huc tamen deventum eſt, ne & plebs (id eſt, ducentorum virorum Senatus minor appellatus) ſequenti die frequens adeſſet, cautumque, ne Epiſcopi urbis, qui tres ſumus, adeſſent, nihil enim adverſus iſtos dictum iri, orationi tam integræ neminem poſſe contradicere, & cætera: Quod ubi reſcivi, omnem operam impendi, ut nos quoque in Senatum admitteremur ſequenti die futurum. Fruſtra diu movi omnem lapidem. Nam Senatus Principes negabant fieri poſſe, cum Senatus diverſum decreviſſet.

Ibi ego quieſcere, ac ſuſpiriis rem agere cœpi, apud eum, qui audit gemitum compeditorum, ne veritatem desereret, ac Evangelium ſuum, quod per nos prædicari voluiſſet, defenderet. Nonâ tandem die coactis civibus, ac indignam rem tumultuantibus, quod Epiſcopi ſui non admitterentur, reſtituerunt, qui erant è Senatu quem vocant à numero minorem, quod diverſum ante decreviſſent. Invitis tamen illis coëgit plebs rationem ſuper ea re haberi, quia ſic ſenſum eſt, ut Epiſcopi ſui præſentes ſint atque omnia audiant, ac ſi opus habeant, reſpondeant. Sic non quemadmodum Livius ait, vicit major pars meliorem. Hic enim & major & melior vicit. Hoc autem non eâ gratia in calamum mihi incidere paſſus ſum, ut minori Senatui aliquid imputem, ſed ut videatur, quid poſſint inſidiæ & circumventiones. Quid enim Oratores Conſtantienſis Epiſcopi aliud egerunt, quam ut apud ſimplicem plebeculam dicerent ſine arbitris, quicquid in buccam veniſſet?

Deo gratia, cum enim in Senatum inducerentur Oratores, admiſſi ſumus & nos, Tigurinorum Epiſcopi, *Heinricus Engelhardus* D. D. ad Monaſterium Monialium: *Rudolphus Roſcellus* agud S. Petrum Epiſcopus, & ego *Huldricus Zwinglius*, Ibi cum dicendi eſſet illis copia facta, & Suffraganeus Salutem eis ac Benedictionem à ſuo illuſtriſſimo Duce ac Epiſcopo (nam id

 opor-

oportet ultimo tandem loco vix admitti) nunciasset: voce deinde suavissima illa sua, qua vix dulciorem in dicendo unquam audivi, quod si pectus aut cerebrum tantum, quantum illa, possent, Ορφέα diceres superaturum & Apollinem dulcedine, persuadendi autem vi Demosthenem cum (a) crambis: Jam cum Orationem ejus cupiam ex integro ponere, nequeo, tum quod confuse, perplexè, ac sine ordine diceret, tum quod tam longam haud putem ab ullo posse promtâ memoriâ teneri. Pugillares autem cum ipse habuerim ac summa capita adnotarim, ut commodius possem illius dictis obsistere ac respondere. Volo ista ponere primum, denique quid ad quævis responderimus, subjicere, Τραγικοτάτως 1. dixit, quosdam, doctrinas novas irritabiles ac seditiosas docere, germanice, *widerwärtige und uffrührische Lehren*. 2. Nempe nihil præceptionum humanarum servari oportere, nihil ceremoniarum; Quæ doctrina, si vicerit, futurum, ut non modo civiles leges, sed christiana fides aboleatur. 3. Cum tamen ceremoniæ sint veluti manuductio (hoc enim verbo uti illi placuit, etiam apud eos, qui ignorarent Latina, quod nimium germanica vox *eine Einleitung*, ei vel parum firma videretur, vel minus elegans) ad virtutes, imò 4. virtutum fontem esse, *ein Ursprung*, (quod verbum tamen postea fuit coram tot arbitris ausus negare) ceremonias. 5. Quadragesimam item domi non servari oportere; In hac enim Urbe visos esse quosdam sese à reliquis christianis separare, & à Christiana Ecclesia, (quod etiam verbum postea tam impudenter, quam pervicaciter negavit D. *Brenlius* non dixisse eum id Verbi, cum totus Senatus etiam hodiè testetur; tam putant sibi quicquid libuerit licere, temere dicere, & temere negare, quod dixerint eodem ferè momento) 6. Carnes enim eos in quadragesima edisse, non sine totius Reipubl. Christianæ scandalo, quod, tametsi licere, Evangelici apertè non permittant, audere tamen eosdem asserere ex Evangelicis ac Apostolicis scriptis sibi licere, contra sanctorum patrum DECRETA & concilia. 7. Contra denique vetustissimum morem eos fecisse; 8. Quem, nisi ex Spiritu Sancto fluxisset,

(a) Eum alludere suspicor ad proverbium *crambes repetitæ*: Est enim notum, *cramben repetitam* appellari declamationem maximo cum tædio iterum atque iterum audiendam. v. ERASMI Adag. p. 197.

ſet, tanto tempore ſervare nunquam potuiſſemus. 9. Gamalielem enim in Actibus Apoſtolorum dixiſſe, *finite illos, nam ſi hoc opus eſt ex Deo.* &c.

Hortatus eſt inde Senatum, ut cum & in Eccleſia maneant, nam extra illam neminem ſalvari. 10. Ea enim, quæ tam perverſe docerentur, ſine fundamento doceri; 11. Atque dum ſibi non ſatisfeciſſet ſuperius de ceremoniis locutus, iterum in illarum mentionem incidit, unicas eſſe, per quas ſimplices chriſtiani ad agnitionem ſalutis inducerentur, ac id, 12. ex officio plebanorum (ſic enim Epiſcopos ac Evangeliſtas hodie appellant perſonati iſti Epiſcopi, ut illorum nomen ſacroſanctum ſit) eſſe, ut ſimplicem plebeculam doceant, figuras quaſdam eſſe, & ſignificare quædam, quæ & revelata & expoſita per eos oporteat, quid ſignent, quid poſſint: 13. De ſcandalo tandem, poſt ſuperiorem cataſtrophen diſſerere, cœpit, non, ut verè dicam, inerudité, modò fideliter recitaſſet, tam quæ contra ſe, quam quæ pro ſe erant, adjunxit, ſcandalum vitare, præcipi à Chriſto, tam minaciter quam quicquam, Væ enim adjici indignationis notam apertisſimam, *Væ mundo à Scandalis.* Ad Paulum quoque rediens, ex cujus Epiſtolis antea quam de Væ disſereret, non pauca produxerat, teſtatus eſt, illum, ne offenderet Judæos, Timotheum circumcidi paſſum eſſe: 14. Et quod inter prima iſta de ſeditioſis doctrinis dici oportebat, poſt omnia adpendit, neminem ſuo fidere capiti oportere. 15. Nam & Paulum noluiſſe ſuo ſenſui inniti, ſed veniſſe Hieroſolymam, ut Evangelium conferret cum Apoſtolis;

Poſt verò dictorum omnium pulcherrimum Epilogum, ſurrexit cum ſuis abiturus, quem ſic cum illis adfatus ſum. *Herr Wichbiſchoff:* (Qua in re non parum deliqui imprudens ac ruſticus, dicere enim ajunt debuiſſe, *Gnädiger Herr.)* Verum urbanatim cum neſciam, ruſticatim tango, *comitesque reliqui, manete obſecro, usque donec pro me ſatisfaciam*, nam idipſum permittebant coëpiſcopi noſtri. Ad quæ ille, non eſt nobis, inquit, commiſſum, ut cum quopiam diſputando committamur; Et ego inquam minimè diſputabo, ſed quæ hactenus docui optimos iſtos cives, lubens ac volens coram vobis & doctis & cum Imperio, ut ita dicam, miſſis Oratoribus producam, ut habeatur eis fides, ſi rectè cenſueritis doctum eſſe, ſin minus, contra fiat: Nihil, inquit ille, contra te locuti ſumus,

mus, unde non est ut satisfacias. Ego verò etsi inquam nomini pepercistis, orationis tamen omnis vis ac impetus in me conversus fuit, nec enim aliter mecum revera agebatur, quam quod in certamine Mirmidonis & Galli dici solitum est, *Non te, Galle, peto, piscem peto*, ita nomen dissimulatum est ac tacitum, ut mihi qui Zwinglius appellor, gravissima crimina, si Diis placet, intentarentur.

Dum hoc pacto inter nos contendimus, conatus est M. *Roest* Consul, precibus Constantienses permovere ut auscultarent, quibus Suffraganeus respondit, se scire, quocum esset rem gesturus, si auscultaret; *Hulàricum Zwinglium* vehementiorem esse ac morosiorem, quam quod cum illo quicquam agi rectè & cum modestia possit: Respondi. Qua unquam vos injuria adfeci? aut quis est hic rerum ordo? tam graviter & acerbè taxare hominem innocentem & de re christiana benè meritum, satisfactionem autem nullam recipere. Ego id semper sperare debui, ni fallor (fallor autem fortasse) si unquam essent aliqui pervicacius contradicturi Evangelicæ Doctrinæ, quod tum Antistes Constantiensis unus ante omnes esset suppetias laturus, ac auditurus causam omnem, atque id per vos maxime, quibus etiamnum ob singularem eruditionem Legatis usus est; quid enim facturi essetis, si clam vobis Senatum alloqui cuperem? conspectum vestrum formidarem? judicium declinarem? Nunc, *cum nihil tale moliar, sed rationem fidei ac doctrinæ redditurus, præsentiam vestram expetam, qua fronte audetis illam mihi negare?* sine suspicione fieri non potuisset, si abire etiam volentes permisissem. Nunc cum ultro judicium & æquitatem vestram implorem, deserere audetis? Tum illi respondent, ac, Dominus noster, inquiunt, voluit, ne cum quoquam contenderemus, hinc fieri non potest, ut te audiamus, si quid doctrinæ adferre ad Episcopum velis, licebit. Si alicujus egeas, illum admoneas. Ego verò amabo inquam si nullius rei intuitu, hanc mihi gratiam præstare vultis, vel ob communem fidem, ob communem baptismum, ob Christum vitæ salutisque autorem, gerite nobis hunc morem, & si non licet tanquam Legatis quicquam audire, licet tamen ut christianis. Hac obtestatione facta, cœpit murmur audiri civium indignantium, ut tandem & hortatu Consulis, & rei dignitate compulsi, in pristinum locum resederint.

Quod ubi factum est, cœpi pro virili, doctrinam Christi defen-

ſendere, ac ad ſumma capita reſpondere, in hunc ferè modum. 1. Propoſuiſſe quidem Suffraganeum, quosdam ſeditioſas docere doctrinas & irritabiles, at nos induci non poſſe, ut id velit de nobis accipi, qui tanto ſudore, jam annis ferme quatuor, Evangelium Chriſti & doctrinam Apoſtolicam prædicaverimus. Tametſi nonnihil oboleat, quod apud Senatum id propoſuiſſet, quid enim noſtra referret, ſi alibi tales doctrinæ prædicarentur, modo ne Tiguri? Unde, cum non ſit veriſimile, Suffraganeum de alienis locutum eſſe, pateat, mihi fabulam narrari, quamlibet diſſimulent, manifeſtum eſſe, hunc Nathan iſti Davidi, ſcelus propoſuiſſe. Quod autem ad rem Evangelicam pertineat, non mirum eſſe, ſi alicubi, inter eos qui Ενταλματα, præceptiones humanas mordicus tenent, & eos qui illas averſantur, diſſentiatur; Chriſtum enim apertiſſime id futurum prædixiſſe? *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium, veni enim hominem ſeparare à patre ſuo, & filium à matre, nurum à ſocru, imo futurum eſſe, ut hominis hoſtes, futuri ſint domeſtici ſui.* Quanquam ne illa quidem Reſponſione opus eſſe, Tigurum enim magis quam ullum Helvetiorum pagum, pacatum & quietum eſſe, id quod omnes boni cives acceptum ferrent Evangelio: quod deinde 2. objectum ſit, nullas humanas, nec præceptiones nec ceremonias, ſervare oportere doceri, ingenue agnoſcam, ceremoniarum juſtam partem ac præceptionum cupere abolitam eſſe, quod præcepta ſint magna parte talia, quæ etiam Petrus in Actis neget ferri poſſe, nec etiam illos auditurus ſim, qui dicant, Petrum de veteribus locutum eſſe ceremoniis ac præceptis: Eſto tamen, ſi hoc illis donem, clarum tamen eſſe, Petrum in ea fuiſſe ſententia, ut cenſeret, chriſtianos ab omni ejusmodi onere ac amaritudine, oportere eſſe liberos. Quodſi Petrus jugum illud vetus tantopere deprecatus ſit, quod tamen levius multo fuiſſet, quam id quod nos hodie ferimus, quid facturum arbitramur, ſi de graviore facta quæſtio fuiſſet? Vetus autem jugum tolerabilius futurum fuiſſe (ut interim Pontificum decreta taceam, multo plura & graviora quam Moſeos) chriſtianis hominibus, quam noſtrum, id ſatis oſtendere, *Jejuniorum* immodicam obſervationem, *ciborum* delectum, *feſtorum* otia, quantula enim Judæorum fient *jejunia*, quæ aliquando in ſummo mœrore conſtituti, indicebant, ſi

si compares statis nostris quadragesimalibus vere angarialibus; ac iis, quæ in divorum honorem indicuntur, irremisso quodam perpetuoque tenore. Jam & *ciborum delectum* si compares, gravior est eorum observatio apud Christianos quam Judæos, illi à quibusdam abstinebant generibus, nullo tamen certo tempore, excepto Paschate, nos & à generibus variis, & multo tempore abstinemur. *Festorum* autem otiis Judæos etiam longe superamus, unde si Petrus noluit leviore jugo christianos molestari, multo minus graviore. Negavi tamen, me in ea esse sententia, ut putem, nulla humana præcepta vel servanda esse vel statuenda; Quis enim non alacriter laturus sit, quicquid universorum christianorum concors sententia decreverit? at è diverso abominari, quorundam impurissimorum ventrium decreta, qui Pharisæorum ritu, onera imponant super cervices hominum importabilia, & ipsi ea ne summo quidem digitulo moveant. Quod autem dixerat, ad exasperandum Senatum, futurum ut nec civilibus legibus obtemperaretur, negavi id esse è mente Christi vel Apostolorum; Illum dixisse: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris* &c. ac tributum vel censum contribuisse, imo cum jam nasceretur, ad edictum Cæsaris, parentes ejus nomen dedisse. Hos docere: *reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal* &c. Et *obedite præpositis vestris non tantum* &c. Unde manifestum sit, fortius quam verius dictum, quod exemplo etiam clarius fiat omnes universi orbis populos, felicissime legibus paruisse, etiam antequam Christus homo nasceretur, imo Christianismum ad communem justitiam servandam esse potentissimum, sed nec fidem Christi aboleri posse, abolitis ceremoniis in universum etiam, imo ceremonias haud quicquam aliud agere, quam & Christo & ejus fidelibus os oblinere, Spiritus doctrinam abolere, ab invisibilibus ad Elementa mundi avocare, quod tamen brevibus dici nequeat & explicari: Alia deinde 3. ratione docui simplicem plebeculam, quam per ceremonias ad agnitionem veritatis manuduci posse, nempe ea, qua Christus & Apostoli induxissent, sine omnibus, quatenus mihi per Sacras Literas perspectum est, ceremoniis, neque periculum esse, minus illam capacem Evangelii, quod, quicunque credit, intelligit, illa credere potest, ergo & intelligere, quicquid hic agitur divino fit afflatu, non humano ratiocinio, quod Christus Patri quoque gratula-

latus est; *Confiteor*, inquiens, *tibi Pater* &c. *quod absconderis hac à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis, ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Et Paulus 1. Cor. 1. dicit: *Stulta hujus mundi à Deo esse electa, ut sapientiam pudefaceret:* 4. Quadragesimam nusquam me unquam docuisse non observari oportere, quanquam cupiam non tam imperiose præcipi, & integrum cuivis relinqui; Jejunet autem, cui non satisfit quadragesima, reliquum anni etiam, non defuturos, qui jejunium suadeant, quos ego augurer plus promoturos, quam eos, qui nutu imperii sui, & excommunicationis minis, putent omnia, non secus, quam ad Jovis nutum ruinam minatura: 5. Carnes sint quidam edere ausi minime mali, qui nec inficientur, sed quandoquidem divina Lege à carnibus non sit eis interdictum, in testimonium fidei potius edisse, quam in illius contumeliam, quod hinc pateat. Nam mox ut docti sint a nobis, rationem scandali habere debuisse, destiterunt; Unde nec ista legatione opus fuisse, remittente sua sponte malo; si modo malum est. Hoc tamen vehementer nos admirari, quod dum annum jam XVI. in diœcesi Constantiensi Evangelizem, hactenus tamen non resciverim, aliquò misisse Constantienses tam splendidam legationem, quæ scrutaretur, quonam pacto Evangelicum negotium incederet. Nunc, cum minimam observatiunculam senserint, non tam læsam quam viderentur velle etiam, querimoniis impleri omnia, quiritari, unos esse Tigurinos, qui secessionem a Christianorum communione meditari audeant. Id tamen verbi, ut diximus, Suffraganeo negante, ac Brenlino attestante, Senatu verò toto reclamante, negationi eorum donavimus his fere verbis; Quandoquidem negas, ostendis tibi id excidisse imprudenti, facile itaque ignoscemus, per me tibi fuerit integrum, quævis emendare. Rempublicam autem christianam nihil scandali, nihil ignominiæ passam esse, si pauci admodum sint humanam traditionem prævaricati. 6. Literas autem Evangelicas nusquam aperte permittere, carnium esum, falso oppositum ostendimus. Nam Marcus VII cap. dicit in hunc modum, *nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare*, hic ostendi per oppositum antecedentis (ut ipsi sacras literas tractant) sequi oppositum consequentis, hoc pacto, ergo quicquid est extra hominem, non potest eum coinquinare. Signa mihi verba, *nihil*, sig-

num universale negativum, si dixisset, nullus cibus, obmisisset genus potulentorum, si nullus potus, cibum, ideo placuit veritati dicere, *nihil*, deinde subjunxit, *ne posse*, quidem *inquinare*. Audi veritas asseverat *non posse*. Homo qui mendax est, omnis enim homo mendax dici potest, hic se torquet ac dicit, verba ista non esse tam diserta, imò non hoc esse pacto accipienda, sed antecedentia spectanda esse, & quæ sequuntur, cum tamen sequatur, non intelligitis, quod omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare, quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas, amabo quid clarius dici potest, etjamsi antecedentia spectes & sequentia? 7. Addebatur, contra sanctorum Patrum decreta & concilia; respondimus Dominum D. Engelhardum nostræ decus urbis, nobiscum ea, in quibus ipsi maxime fiderent, diligenter librasse, nihil autem tale asseverare posse ex his, quibus loco sacræ anchoræ uterentur, non enim hoc in quæstionem venire, an Quadragesimam abolitam oporteat, sed an ea tempestate, per legem Christi liceat carnibus vesci? Jejunium ut nulli interdicimus, sic integrum relinquimus.

Adjunctum est, 8. & contra vetustissimum morem, hic ingenue concessimus, consuetudinem esse, atque eam minime malam, at si consuetudo esset, cur edictum adderetur? daturum haud dubiè operam promisimus, ut ea consuetudo temere ne intercidat: Ea si consuetudo (prosequebatur) non a Spiritu divino esset inspirata, tanto tempore non durasset, juxta Gamalielis verbum: respondi hæc & alia, quæ non ex mente Dei essent, solutum iri suo tempore, *omnis enim Plantatio*, inquit Christus apud Matthæum, *quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur*. Delectum autem ciborum, nec Christum nec Apostolos præcepisse, unde nulli mirum videri debere, quandoquidem Christus benignitate sua, velut postliminio, mundum nunc per Evangelium clarius illustrarit, si modo miseri mortales ad libertatem respiciant: 10. Post hæc Orator gravissimus catastrophen fecit ad Senatum, ut cum & in Ecclesia maneant, nam extra illam neminem salvum fieri, cui in hunc modum occurrimus: Nihil vos moveat, ô optimi cives, isthæc adhortatio, quasi Ecclesiam Christi unquam deserueritis, ita enim persuasi sumus de vobis, ut recenti adhuc memoria teneatis, quod dictum est in enarratione

Mat-

Matthæi, quod fundamentum Ecclesiæ sit Petra ista, quæ scilicet, Petro fideliter confitenti, nomen dedit, præter quod *nemo aliud ponit fundamentum*, *sed nec ponere potest*, quin *in omni gente & loco*, *quisque confitens ore suo dominum Jesum*, *& corde credens*, *quod Deus eum suscitavit à mortuis*, *salvus fiat*, *sive apud Indos sit*, *sive apud Scythas*, certoque constare, extra illam neminem salvari, intra quam omnes esse tanto firmius credimus, quanto certius gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hic hominem protrahere potuissem, ac nudare ejus de Ecclesia sententiam, malui tamen parcere, ut eum aliquando pœniteret, quod coram toto Senatu me præfractiorem esse dixit, quam quocum agi possit; 11. Cum hoc pacto catastrophen fecisset, ad finem oculos vertebamus, secus tamen evenit, atque speraveramus, iterum enim huc rediit, ut diceret ISTA (sic enim ni me fallit opinio, doctrinam Evangelicam adpellant ISTI) sine fundamento Scripturæ doceri. Ibi rursum sub Marci VII. verbum, tanquam sub Ajacis clypeum confugi, & hasce sagittas emisi. Vin tibi clariora proferri? non dignus est Christus, cui fides habeatur? Non Marcus? tametsi, locos multos in unum congesserimus, nunc tamen reliquis parcere, ne Patres fastidio afficeremus: hic opportune D. Engelhardus Testamentum novum sinu extrahit, & locum Pauli 1. Tim. 4. explicari jubet, accepi librum, & Germanicè locum interpretatus sum, quem cum plerique agnoscerent, jam inde ab illius Epistolæ enarratione, superiore anno per nos facta, mirum quam omnes respirarint, adeo refert quo quæque loco dicantur:

His protinus omissis, ceremonias, ut ille rursus in aciem produxit, saucias tamen, ita nos rursus profligare conati sumus: Cum enim dixisset. 12. Plebanorum esse exponere, quid ceremoniæ velint, everti hoc pacto, nobis commendatum esse Evangelium Christi, id sedulo prædicaturum, quid ceremoniæ portendant, eos exposituros, qui ex illis vivant. Fateor me his dedita opera, tacite tamen, ulcus hominis tangere voluisse: quid enim aliud agunt suburbani isti Episcopi, quam ut consentationum præstigiis oculos saginent. Quod si aliquis ceremoniarum Magister apud oves mihi creditas, secus atque veritas haberet, prædicare ausit, minime laturum. Jam quæ de scandalo dissetuerat, probavissemus omnino, nisi omnis sermo huc visus esset tendere, ut qui infirmi essent, perpetuo

 ma-

manerent infirmi, quum tamen firmiorum, quales ipsi videri volunt, intersit, infirmos προσλαμβάνεσθαι, adsumere, consolari, fovere, juvare, nimirum ut & ipsi firmi reddantur: Unum hoc tamen adjecimus, quum ille multa de anxia Constantiensis Antistitis cura dixisset, de vitando vel cavendo scandalo. Ecquid non aliquando ad morem Christi adhortaretur Sacerdotes suos, ut posthabita immunitate sua, publica cum reliquis Patribus Christianis, ferrent onera, tributa penderent & vectigalia. Christum enim, ne scandalizaret eos, qui didrachmum exigebant, pendisse, quod Sacerdotes, quod Monachi, quod vestales, ociosi alerentur, nihil tamen vel opis vel rei, in publicum usum conferrent. Hoc illi posteaquam Senatu excessissent, gravissime questi sunt, extra propositum (ut ajunt) esse inductum. At mihi videtur nihil potuisse commodius hoc loco dici, cum de scandalo tam sollicitum diceret Constantiensem Antistitem.

Timotheum deinde 14. circumcidi Paulum esse passum, ut sciam, ita Titum ut circumcideretur nulla ratione induci potuisse adserui, & rationem utriusque facti reddere conatus sum: Quod Timotheum dum adhuc in herba esset Christus, apud Macedonas passus sit circumcidi, ut tumultus nihil oriretur. Postea verò quam idem paulo magis adolevisset, & Paulus ejus instinctu jam certior factus esset, Titum sine tumultu servari posse, servavit. Hic vires omnes exerui, ut Senatoribus persuaderem, ut in veteri more perstarent: donec vel istius jugi nobis lora solverentur, vel populus ipse, ad resumendam libertatem, apertius consentiret.

Postremo dixi, eos recte posse dici, suo capiti inniti & sensui, qui receptæ Scripturæ obstreperent, ac traditiunculas humanas cœlesti doctrinæ præferrent, non eos, qui se nullis aliis armis, aut præsidiis tuerentur, quam Sacris Literis: Illos enim carne fidere & sanguine. His una veritate cœlesti, de qua ne verbulum quidem unquam possit excidere: Paulum ut non ignorem contulisse Evangelium, cum Apostolis tandem, ita sciam post quatuordecim primum annos, id factum esse. Quanquam autem non ignorem, quid isto velint exemplo, partes tamen suas, eo magis infirment quam fulciant. Nos enim paulo ante, non alia ratione. tam obstinate

in-

institisse, ut præsentes essent nostræ quoque satisfactioni, quam ut liquido cernerem, quonam facto, sacras literas tractaremus, imò paratum esse, rationem reddere, de ea quæ in nobis est fide, coram cœlestibus terrenis & infernis.

Ac demum Senatum precatus, ut omnia boni consulerent, loqui desii. Excepto, quod dum ille, rursum cœpisset quiddam oggannire, atque id assiduè inculcaret a Sanctis Patribus & Conciliis statutum esse, ne per quadragesimam carnes ederentur. Cœpi & ego impudentius obstrepere, negare ullis Conciliis decretum esse, generalibus saltem. Tandem cum ipse appendicis hujus finem fecisset, Senatus dimissus.

Hæc sunt, Erasme frater charissime, quæ hisce diebus accepimus vel dedimus vulnera, coram Socerdotum, Senatorumque ordine. Hæ rursum Medelæ, quibus infirmis succurrimus, tumultuarie omnia, ut a nobis acta, ita scripta sunt. Nam ille domo attulerat Oratorem, ego verò quo stabam vestigio, pugnare coactus sum. Quo si quæ minus dixi, vel amplius atque acta sunt, imbecillitati humanæ id imputandum arbitror. Quæ quam parum rememorando possit, vix agnoscit. Summam tamen actionis omnino attigi, sive apud Senatum, sive Sacerdotum ordinem, sive privatim habitam. Vespera enim illa, qua mane cum Sacerdotum Ordine egerant, casu in eos incidi & multa cum illis contuli, ex quibus omnibus didici, ubi loci ulcus eos urat. Vale, & si ad Bovillum nostrum scripseris, salutes cum nostro nomine.

M. D. XXII.

Num. XXII.

Huldrici ZWINGLII

Conclusiones LXVII.
in Synodo Tigurina d. 29 Januar.
A. 1523. ventilatæ.

QUo modo, LUTHERI Theses adversus *Indulgentias*, quas Num. XI. exhibuimus, *Saxonica* Reformationis fundamentum

 stra-

ftravisse dici possunt, eodem id de his ZWINGLII Conclusionibus potest affirmari, iis *Helveticam* inædificatam fuisse Reformationem, tanto certè puriorem atque exactiorem, quantò ea remotior ab ipso jam principio fuit ab omnibus hominum commentis, atque unicæ Verbi Dei doctrinæ est innixa: Neque autem dubitamus quin, ipsi Lectores nostri, nobiscum, ubi has *Conclusiones* & illas *Theses* inter se comparaverint, atque simul ea, quæ jam in Opere §. CXVI. p. 280. dicta sunt ad artic. XVIII. consideraverint, sint consensuri. Sed, quidquid sit, ipsa *Zwinglii* Opera Tom. I. p. 1. sq. cum easdem nobis ex versione *Leonis Judæ* exhibeant, tum eas inde depromtas hic legi voluimus.

I. Quicunque Euangelion nihil esse dicunt, nisi ecclesiæ calculus & adprobatio accedat, errant & deum blasphemant.

II. Summa Euangelii est, quod Christus filius Dei vivi innotuerit (sive, *notam fecerit*) nobis voluntatem patris cœlestis, & quod innocentia sua nos de morte æterna redemerit, & Deo reconciliaverit.

III. Hinc sequitur, Christum esse unicam viam ad salutem omnium, qui fuerunt, sunt, & erunt.

IV. Quicunque aliud ostium vel quærit vel ostendit, errat, quin animarum latro est & fur.

V. Quicunque ergo alias doctrinas Euangelio vel æquant vel præferunt, errant, nec intelligunt, quid sit Euangelium.

VI. Nam Christus Jesus dux est & imperator à Deo toti generi humano & promissus & præstitus.

VII. Ut sit ipse salus & caput omnium credentium, qui *corpus* ejus sunt, quod quidem *absque ipso mortuum est*, & *nihil potest*.

VIII. Ex his sequitur, quod omnes qui in isto capite vivunt, sunt membra & filii Dei. Et hæc est ecclesia seu communio sanctorum sponsa Christi ecclesia catholica.

IX. Quemadmodum membra corporis sine administratione capitis nihil possunt, sic in corpore Christi *nemo quidquam potest sine capite* ejus Christo.

X. Quum membra absque capite aliquid operantur, ut dum sese lacerant aut perdunt, demens est homo: Sic dum membra Christi

sine

ſine capite Chriſto aliquid tentant, inſana ſunt, ſeſe gravant & perdunt imprudentibus legibus.

XI. Colligimus hinc *Eccleſiaſticorum* (quos vocant) *traditiones* & *leges*, quibus faſtum, divitias, honores, titulos, legesque ſuas fulciunt & defendunt, cauſam eſſe omnis inſaniæ, nam capiti Chriſto non conſonant.

XII. Adhuc ergo inſaniunt, non pro capite, quod per gratiam Dei pii omnes ſummo ſtudio conantur erigere, (vel *in lucem proferre)* ſed quod non permittuntur inſanire & furere. Volunt enim pii ſoli capiti Chriſto auſcultare.

XIII. Verbo Dei quum auſcultant homines, pure & ſynceriter voluntatem Dei diſcunt. Deinde per ſpiritum Dei in Deum trahuntur & veluti transformantur.

XIV. Summo igitur ſtudio hoc unum inprimis curent omnes Chriſtiani, ut Euangelium Chriſti unice & ſynceriter ubique prædicetur.

XV. Qui credit Euangelio ſalvus erit, qui non credit condemnabitur. Nam in Evangelio omnis veritas clareſcit.

XVI. In Evangelio diſcimus, hominum doctrinas & traditiones ad ſalutem nihil eſſe utiles.

XVII. Chriſtus *unicus* æternus & *ſummus eſt ſacerdos*. Qui ergo ſe pro ſummis ſacerdotibus venditant, gloriæ & potentiæ Chriſti adverſantur, & Chriſtum rejiciunt.

XVIII. Chriſtus qui ſeſe ſemel in cruce obtulit, hoſtia eſt & victima ſatisfaciens in æternum pro peccatis omnium fidelium. Ex quo colligitur *miſſam non eſſe ſacrificium*, ſed ſacrificii in cruce ſemel oblati commemorationem, & *quaſi ſigillum redemptionis per Chriſtum exhibitæ*.

XIX. Chriſtus unicus eſt mediator inter Deum & nos.

XX. Omnia nobis per Chriſtum & in nomine Chriſti præſtat Deus: hinc ſequitur, nobis extra hanc vitam *interceſſore* præter Chriſtum *nullo opus eſſe*.

XXI. Quum mutuo pro nobis hic in terris oramus, in hoc facere debemus, quod per ſolum Chriſtum omnia nobis dari confidamus.

XXII. Chriſtus eſt *noſtra juſtitia*. Hinc conſequitur, opera noſtra eatenus eſſe bona, quatenus ſunt Chriſti, quatenus vero noſtra, non eſſe vere bona.

XXIII.

XXIII. Quod Christus substantiam hujus mundi & fastum contemnit, docet, quod hi, qui sub Christi titulo divitias ad se rapiunt, ipsum magna infamia afficiunt, quum cupiditatis suæ & luxus eum patronum faciunt.

XXIV. Christianorum nullus ad ea opera, quæ Christus non præcepit, adstringitur, quolibet tempore quolibet cibo vesci potest. Consequitur ergo, *literas quas pro caseo & butyro* (a) dant pontificii, Romanas esse imposturas.

XXV. Tempus & locus in potestate sunt hominis, non homo in illorum potestate. Qui ergo *tempus* & locum *alligant*, *Christiana libertate pios fraudant* & spoliant.

XXVI. Nihil magis displicet Deo quam hypocrisis: hinc discimus hypocrisin esse gravem, & impudentem audaciam quidquid sanctum se simulat coram hominibus. Hic cadunt cuculli, signa, rasus vertex, &c.

XXVII. Omnes Christiani fratres sunt Christi, & fratres inter sese, patrem ergo super terram vocare non debent. Hic cadunt factiones & sectæ.

XXVIII.

(*a*) Nota satis sunt illa, quæ, juxta stylum indulgentiarum illius seculi veniebant sub nomine *Butter briefe*, diplomata Papalia, in quibus de vescendis quadragesimæ tempore ovis, butyro, & caseo (unde *butterbrieffe*, vocabantur) speciatim concessiones dabantur; & de quibus inter alia notabilia sunt J. BUGENHAGII Pomerani verba, citata a KAPPIO in collect. script. ad negot. Indulgentiar. pag. 56. 57.

„ Ubi nunc sunt literæ illæ Papales, quas Butyricas vocant? quibus „ pro pecunia permittunt hæresin, id est, edere butyrum in quadra- „ gesima. In illis literis scribunt se permittere butyrum de utriusque „ medici consilio. Alterum medicum corporis, alterum animarum ap- „ pellant. Verum mendax appellatio est, quod medicus animarum „ dicitur, qui per prohibitionem ciborum aut permissionem curet, non „ per verbum Dei. Et fere fit, ut isti personati animarum medici, oc- „ cisis animabus, etiam occidant corpora, dum efficiunt, ut boni me- „ dici corporum, qui suadent uti salutaribus cibis, non audiantur, „ Hinc Carthusianum ægrotantem prius mori volunt, antequam per- „ mittant edere carnes, licet etiam omnes medici corporum hoc sua- „ deant. „ Cæterum & extat de his ipsis *literis butyraceis* specimen *anti-Pontificium*, doctiss. GOETZII Lubec. 1706. editum.

XXVIII. Quidquid Deus non vetat & permittit, juste fit. Ex quo discimus *matrimonium omnibus ex æquo* convenire.

XXIX. Qui *Ecclesiastici* vulgo sive spirituales vocantur, *peccant*, dum, posteaquam senserint castitatem sibi à Deo negatam, *non uxores ducunt aut nubunt*.

XXX. Qui vovent castitatem stulta præsumptione & puerili arrogantia tenentur. Qui ergo ab eis vota hujusmodi vel exquirunt, vel oblata recipiunt, injuriam eis faciunt, & tyrannidem in simplices exercent.

XXXI. Excommunicationem nemo privatus ferre potest, sed ecclesia in qua excommunicandus habitat una cum episcopo.

XXXII. Nemo potest nec debet excommunicari, quam is, qui *sceleribus suis publice offendit*.

XXXIII. Ablata injuste, non templis, monasteriis, non monachis aut sacerdotibus, sed pauperibus danda sunt, si iis quibus ablata sunt restitui commode non possunt.

XXXIV. Potestas quam sibi Papa & Episcopi, cæterique quos spirituales vocant, arrogant, & fastus quo turgent, ex sacris literis & doctrina Christi firmamentum non habet.

XXXV. Magistratus publicus firmatur verbo & facto Christi.

XXXVI. Jurisdictio aut juris administratio quam sibi dicti spirituales arrogant, tota magistratus secularis est, si modo velit esse Christianus.

XXXVII. *Magistratibus publicis omnes Christiani obedire debent nemine excepto.*

XXXVIII. Modo contra Deum nihil præcipiant.

XXXIX. Leges magistratuum *ad regulam divinæ voluntatis* sunt conformandæ, ut oppressos & vim passos defendant & ab injuria afferant, etiam si nemo queratur.

XL. Magistratus jure duntaxat occidere possunt, atque eos tantum qui publice offendunt. Idque inoffenso Deo, nisi Deus aliud præcipiat.

XLI. Quum illis, pro quibus rationem reddere coguntur, consilia & auxilia legitime administrant, debent & illi ipsi magistratibus subsidia corporalia.

XLII. Quando vero perfide, & extra regulam Christi egerint, possunt *cum Deo* deponi.

XLIII. Hujus regnum optimum est & firmissimum qui ex Deo & cum Deo regnat. Hujus vero pessimum & infirmissimum qui sua libidine.

XLIV. Veri adoratores invocant Deum in spiritu & veritate, corde orantes, non clamore coram hominibus.

XLV. Hypocritæ omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, propterea mercedem suam hic recipiunt.

XLVI. *Cantiones* ergo, seu verius *boatus*, qui *in templis* sine devotione pro mercede fiunt, aut laudem, aut quæstum ab hominibus quærunt.

XLVII. Potius mortem eligere debet homo, quam Christianum offendere aut pudefacere.

XLVIII. Qui ex infirmitate aut ignorantia absque causa vult offendi, non patiamur ut is infirmus & ignorans maneat, sed demus operam, ut rite edoctus firmus tandem evadat, nec peccatum ducat quod peccatum non est.

XLIX. *Majus & gravius scandalum non puto, quam quod sacerdotibus matrimonio legitimo interdicitur, concubinas & scorta habere accepta ab eis pecunia permittitur.*

L. Solus Deus peccata remittit, idque per solum Christum Jesum dominum nostrum.

LI. Qui remissionem peccatorum creaturæ tribuit, Deum gloria sua spoliat & idololatra est.

LII. *Confessio* ergo quæ sacerdoti aut proximo fit, *non pro remissione peccatorum*, sed pro consultatione haberi debet.

LIII. Opera satisfactionis a sacerdote imposita *humanæ sunt traditionis* (excepta excommunicatione) & peccatum non tollunt, sed aliis in terrorem imponuntur.

LIV. Christus dolores nostros & omnes labores nostros tulit, qui vero *operibus pœnitentialibus* tribuit, quod Christi solius est, errat & Deum blasphemat.

LV. Qui vel unicum peccatum pœnitenti remittere negat, is non Dei nec Petri, sed diaboli vicem tenet.

LVI. Qui

LVI. Qui quædam tantum *peccata*, idque *pro* mercede aut *pecunia remittunt*, Simonis & Balaami socii sunt, & veri satanæ legati.

LVII. Scriptura sacra *purgatorium* post hanc vitam nullum movit.

LVIII. Defunctorum judicium soli Deo cognitum est.

LIX. Quo minus de hisce rebus nobis revelat Deus, hoc minus nobis pervestigandæ sunt.

LX. Si qui pro mortuis solicitus, apud Deum gratiam eis implorat aut precatur, non damno, sed tempus de hoc definire, & propter quæstum mentiri, non humanum est sed diabolicum.

LXI. De *charactere*, quem postremis hisce temporibus excogitarunt sacrifici, nihil novit divina scriptura.

LXII. *Scriptura alios presbyteros aut sacerdotes non novit quam eos qui verbum Dei annunciant.*

LXIII. Illis vero presbyteris, de quibus diximus, qui verbum Dei prædicant, scriptura divina jubet, ut necessaria ministrentur.

LXIV. Qui errorem agnoscunt, illis nihil damni inferendum. ferantur autem donec in pace decedant, deinde sacerdotiorum bona juxta Christianam charitatem ordinentur.

LXV. Qui errorem non agnoscunt nec ponunt, Deo sunt relinquendi, *nec vis corporibus illorum inferenda, nisi tam enormiter ac tumultuose se gerant*, ut parcere illis magistratui salva publica tranquillitate non liceat.

LXVI. Humilient se ilico quicumque in Ecclesia sunt præfecti, crucemque Christi (non cistam) erigant, aut perditio eorum adest, nam securis radici arboris est admota.

LXVII. Si cui libet differere mecum *de decimis*, *reditibus*, de *infantibus non baptizatis*, de *confirmatione*, non detrectabo colloquium.

* Sunt verò hæ Theses non solummodò lectu atque pensitatione dignissimæ, sed & earum Explanatio, docta satis est atque luculenta, quæ itidem Operibus Zwinglii Tom. I. à fol. 3---110. legitur inserta.

Num. XXIII.
Cornelii HONII, Batavi
Epiſtola
De ſenſu verborum Inſtitutionis
Sacræ Coenæ.
1521.

Quanto molimine, hodierna Fratrum Auguſtanæ confeſſionis corona annitatur, ut ſchismatis illius, quod inde a Reformationis initio inter ipſos Reformatores eſt enatum, primam labem a ſe, ſuisque amoliantur, atque in nos noſtróſque derivent, Virorum Clarorum atque Doctorum, LOESCHERI, CYPRIANI, MOSHEMII, aliorumque inter ipſos evincunt ſcripta, Reformationis Hiſtoriam ſatis egregie ceteroquin illuſtrantia: Neque verò jam inquirimus, an hæc, ſi fervidius diſceptetur cauſa, faciat ad exoptatam illam atque utrivis parti meritò deſideratam concordiam, aut ad componendos diviſorum animorum fluctus, cum, ut in mutua eamus foedera, non dolorum veterum nos oporteat eſſe memores, quas obliterare ſatius foret, novamque ſancire amicitiam, quæ injuriarum moleſtiam perpetuo involvat ſilentio. Enimverò, cum jam id non agatur, plurimique è re ſua potius arbitrentur, bella amplificare, eosque, quos componere par erat, dividere animos, tum vel hoc ipſum, quod Noſtri, fuerint hujus diſſidii auctores primi, quodque præ reliquis, poſt Caroloſtadium, hujus belli claſſicum primus cecinerit ZWINGLIUS, ipſis his, in argumentum arripitur prolatandæ discordiæ, atque expoſtulandi, ut qui prius hoc diſſidium excitarunt, jam quoque primi a ſententia ſua remittant, ſeſeque ad eos, a quibus exiiſſe dicuntur, recipiant; Atque hæc eſt ratio, quod tametſi ſepultam velimus hanc controverſiam, tamen nemo quisquam vitio nobis vertere queat, aut alienum a nobis reputare, (ſi per ipſam veritatem hiſtoricam id liceat,) ut hanc labem a nobis abſtergamus:

Dictum verò jam eſt in ipſo Opere p. 280 non modò ipſum *Zwinglium*, quippe qui a *Thoma Wittembachio* Doctore Biellenſi id hauſerat, jam priusquam inaudiviſſet, quænam *Lutheri* cir-

circa causam Eucharisticam esset sententia, suam in principio Anni 1523. fecisse publicam (*a*), in Conclusionibus LXVII. Articulo scilicet XVIII. ut secessionis cujusdam in ea a *Luthero* factæ nequeat accusari, is, qui cum *Luthero* (quocum certè hactenus ei nulla res erat, nisi quod uterque pro suo modulo Evangelio restituendo invigilaret) paria nunquam senserat, quanquam id quoque Viri quidam docti ex nostris, quod vel non rite essent informati, vel non satis advertissent, improvidè, sed nullis innixi rationibus, concesserint: Sed et, vidimus in vita Pellicani ad §. LIII. p. 113. ipsum *Pellicanum* pariter atque *Capitonem*, jam A. 1513. priusquam *Lutherus* quoque in scenam prodiret, eandem de *Sacramento corporis et sanguinis Christi* habuisse sententiam: Quinimò etiam, in Batavis fuisse *Cornelium* HONIUM Virum Eximium, qui jam A. 1521. singulari conscripta Epistola, hanc animi sui mentem de verborum Institutionis Eucharisticæ sensu, explicaverit, dubitare nos non sinit illa quam brevissimè tantum p. 281. adduximus ex LAVATERI Historia Sacramentaria Narratio, quam tamen etiam tribus adhuc verbis illustramus. Fuit is, qui ibi commemoratur, *Johannes* RHODIUS, percelebris Hieronymitani collegii apud Trajectinos præfectus, Vir Doctus atque pius, quod ex *Gulielmi* GNAPHEI, (*b*) in Martyrio *Joh. Pistorii* testimonio, liquet, qui simul refert, eum *pietatis atque religionis pracepta suis discipulis instillasse, atque in Lutheranismi odium, cum discipulis suis esse vocatum*, porrò, *eundem vindicanda veritati Evangelica crebris in Germaniam profectionibus vacasse:* Alter verò ille, quem commemorat Lavaterus, *Georgius* SAGANUS (*c*) non nisi nomine est cognitus: Ipse autem, ejus Epistolæ scriptor, *Cornelius* HONIUS sive HOEN, qui dicitur *Batavus*, Jureconsultus erat, atque Vir dicitur *optimus*, ab *Erasmo*,

 (*a*) qui-

(*a*) Quod nec diffitetur LOESCHERUS in Historia motuum p. 61. ex ZWINGLII Commide V. & F. Relig. p. 221.

(*b*) Vid. G. GNAPHEI Histor. Martyrii *Joh. Pistorii* Woerdenatis, in præfat. & in ipso opere pag. 2.

(*c*) Nisi forte ille cum *Gulielmo Sagaro*, sit unus idemque, de quo Doct. *de la* RUë in Zeland. Erudita, atque HARDENBERG in præfat. mox citanda.

(*a*) quique multa passus sit indigna, itemque, *optimus*, & *doctissimus*, ab eodem illo *Gnapheo*, (*b*) *sed*, *qui propter Evangelium inaudita causa in carcerem* A. 1523 *per integrum trimestre erat conjectus*, *una cum Gulielmo Gnapheo*, *atque ex eo liberatus deinde Hagam Comitis*, *interposita cautione custodia vice*, *ad biennium habitare adactus fuit*, *intra quod tempus is in Deo feliciter obdormivit*: Hujus de Sacramento Eucharistiæ sententiam, per epistolæ formam propositam (*c*), cum in Germaniam vel proficiscerentur vel ab amicis mitterentur, *Rhodius* atque *Saganus*, prius obtulisse dicuntur *Luthero*, quem A. 1523. ut ei *Wesseli* libros quoscunque haberent, asportarent, adierunt, atque simul hoc scriptum obtulerunt, cum enixo suo & aliorum addito voto, ut illud recipere vellet atque adprobare: Enimvero Lutherus, quod omnimodam cœnæ Dominicæ profanationem ex hujus scripti sententia, quam in notis hic exhibemus, oriri posse metueret, tum dicitur illud repudiasse, quando inter prandium Lutherum allocutus fuerit Carolostadius, ut reciperet atque approbaret illam sententiam, rogitans, utque contra carnalem illum esum scri-

(*a*) ERASMI in Epistolis T. I. p. 766. verba hæc sunt: *Cornelius Hoen*, *Vir optimus ut audio*, *fuerat restitutus per aulam*, *cum arte retraxerant in arcem quandam*, *ibi convicissent illum hæreseos*, (*nam hic Egmondanus felicius argumentatur quam in scholis*) *verum illico liberatus est per Hollandiæ Proceres* . . . . . *Cornelius restitutus est*, *sed diu passus indigna*.

(*b*) Vid. GNAPH. in Præfat. ad Colloq. cui Tit. *Tobias* & *Lazarus* Embd. 1557. 8. Sed &, non desunt, qui cum Cl. TILLIO in Introd. in Script. Prophet. c. VIII. p. 84. censeant *Cornelium Honium*, *Gulielmum Gnaphæum* & *Job. Rhodium* authores fuisse versionis N. T. Belgico sermone, jam A. 1523. excusæ: conf. Le LONG in Bibl. Biblior. Belgic.

(*c*) Videtur hæc itaque Epistola, idem illud esse scriptum, quod *Albertus* HARDENBERGIUS commemorat in Vita *Wesseli Gansforti*, qui vetus illud esse refert Scriptum *de Coena Domini*, quod *crassam illam Capernaiticam corporis Christi manducationem damnet atque statuat spiritualem veram quidem illam & essentialem*, *sed fidei tantummodò & perceptibilem & convenientem*; atque addit, *Cornelium* HONIUM id inter chartas Doctoris *Jacobi* HOEKII Decani Naaldvicensis, cui cum WESSELO erat familiaritas, reperisse, unde quidam existimaverint, illud ipsum WESSELUM habere authorem, cum alii illud ex adverso jam *ante ducentos annos* fuisse exaratum censeant.

ſcriberet &c. ſed incaſſum; uti cum Lutherus renueret, hi Baſileam ſunt profecti; Ad hos verò & quidem ad Rhodium, tum dicitur Lutherus, ſcripſiſſe Epiſtolam, quæ opuſculis Weſſeli ſit præfixa, ita tamen ut aliam ad Oecolampadium addiderit, qua ſibi Oecolampadii de hoc ſcripto Judicium expetierit, & ut Opera Weſſeli Baſileæ imprimerentur; At vero, ne tum quidem Oecolampadius, Vir valde modeſtus ac timidus, auſus dicitur fuiſſe ſententiam ſuam proferre, cum intelligeret eam Luthero non approbari, quin potius hos eosdem miſiſſe ad Zwinglium, cui, quod is antea jam viſus fuerat eo propendere, ſtatim ea fuerit recepta ſententia atque approbata.

Quidquid ſit, inter Lutherum & Zwinglium deinceps cum lis exardeſceret, Zwinglius eandem hanc Epiſtolam (quæ A. 1521. dicebatur ſcripta fuiſſe) Tiguri A. 1525. (a) typis imprimendam curavit, cujus editionis apographum (b) cum ad me pervenerit, tum id benevolo Lectori, quo ab interitu vindicetur, communicare, operæ judicavimus pretium: Eſt vero ejus ſcripti Titulus, hic:

EPISTOLA CHRISTIANA ADMODUM,

AB annis quatuor ad quendam, apud quem omne judicium ſacræ ſcripturæ fuit, ex Batavis miſſa, ſed ſpreta, longè aliter tractans cœnam dominicam, quam hactenus tractata eſt, ad calcem quibusdam additis, Chriſtiano homini pernecesſariis, præſertim his periculoſis temporibus.

2. Corinth. 11.

Non poteſtis cœnam dominicam manducare, quod unusquisque propriam cœnam occupat in edendo.

Per Honnium Batavum.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus multoties ſuis promisſionem peccatorum promittens, volensque in ultima cœna ſuorum animos confir-

(a) Id quod ex HARDTII Autographis Lutheri T. III. p. 127. colligimus.

(b) Eſt autem Belgica hujus Scripti Verſio quoque a Doctiſſ. TRIGLANDIO jam inſerta ejus Hiſtor. Eccleſ. P. III. fol. 125 & ſeq. qui, ut nobis videtur, minus tamen recte ſcriptum illud ab Epiſtola hac *Honii* diverſum fuiſſe judicat.

firmare, pignus promisſioni addidit, ne aliquo modo vacillarent, quemadmodum ſponſus, qui cupit ſuam ſponſam certam reddere, ne quo modo dubitet, dat ei annulum dicens: Accipe, do me ipſum tibi, illa annulum accipiens, ſponſum credit eſſe ſuum, ac animum ab omnibus avertit amatoribus, & ſuo ut placeat marito cogitat. Similiter ſumens Euchariſtiam, pignus ſponſi ſui, qui ſe ipſum dare teſtatur, firmiter credere debet, Chriſtum jam eſſe ſuum, pro ſe traditum, atque ſanguinem pro ſe fuſum: quare animum ab omnibus avertet, quæ prius amare ſolet, & ſoli Chriſto inhærebit, quærens, quæ placita ſunt ei ſemper, pro ſe autem nihil magis ſolicitus erit, ſed omnem curam rejiciet in Chriſtum, quem ſuum credit, atque eum ſolum abundè ſatis eſſe ſibi ad omnia; Hoc eſt verè Chriſtum manducare & ſanguinem ejus bibere, ut ait Salvator, Joan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo: qui verò ſine hac fide Euchariſtiam ſumunt, Manna Judæorum potius quam Chriſtum videntur manducare. Hujus tamen vivacisſimæ fidei Scholaſtici Romani non meminerunt, ſed aliam quandam mortuam diligenter docuiſſe, putabant eſſe ſatis, cum dicerent, Panem poſt conſecrationem verum Chriſti corpus eſſe, & de modo quo hoc fiat multa ſubtilia, nullis ſcripturis probata; Sed fides illa, cum hiſtorica ſit, clarum eſt, quod juſtificare non poſſit, an autem temerè accepta damnari non poſſit, videamus. Cernimus enim per hanc panem conſecratum adorari & modis omnibus honorari pro DEO, qui ſi DEUS non eſt, rogo, quantum ab illis Ethnicis, qui ligna & lapides coluerunt, diſtamus? Putabant enim illis numen ineſſe, quod non erat, nec lapides voluiſſent adoraſſe, niſi prius illos temerarii Deos eſſe crediddiſſent. At, dicit quis, nos verbum DEI habemus, dicentis; Hoc eſt corpus meum. Verum eſt, verbum Domini habetis, & ſimiliter habuiſtis, quod pro tyrannide faceret Romana, ſcilicet, quodcunque ligaveris &c. ſed illud diligentius excuſſum, inventum eſt nihil pro tyrannide facere. Quare item præſentia diſcutiamus, ne nobis duces cœcos ſequentibus, ſimul cum illis in foveam contingat incidere. Vetuit enim Dominus credere illis, qui dicunt, hic vel illic eſt Chriſtus, quare fidem habere non debeo dicentibus in pane eſſe Chriſtum, alioqui non poſſem me excuſare quaſi deceptum,

tum, qui præmonentem recusassem audire Christum. Sunt enim nunc, tempora illa periculosa, in quibus hoc fore prædixit. Neque Apostoli de hoc Sacramento ita locuti sunt, panem fregerunt, panem appellaverunt, & de hac fide Romana tacuerunt omnes. Nec obstat Paulus 1. Corinth. X. qui licet dicat, nonne panis quem frangimus, participatio corporis Domini est? non tamen dicit, panis est corpus Domini, ut illo loco manifestum sit, *Est*, pro *significat* exponi: quod evidentius patet ex comparatione, quam facit de pane nostro ad immolata idolis. Quæ fatetur in veritate non mutari, tamen ea dicit *esse* vel *significare* quandam communicationem cum Diabolo, cui sunt immolata: Qua de causa docet abstinendum ab illis, nisi sine discretione sumerentur, & de hac re, temporibus Thomæ Aquinatis fuerunt, qui dicerent, *Christum in pane esse*, sed tanquam in signo, quod alii dixerunt, sacramentaliter tantum, & non corporaliter, licet hanc opinionem velut hæreticam Thomas rejiciat, cujus verbis ut oraculo hærent Romani, non possunt tamen solvere verbum Christi, dicentis; *Si quis dixerit vobis, quia hic est Christus, nolite credere*: Ad quod etiam videtur facere verbum Pauli in loco præallegato, ubi dicit, *eandem escam spiritualem manducasse Patres in deserto nobiscum*. Sed primum videamus, quibus fundamentis suam doctrinam muniant Romani, rem adeò singularem & mirandam ut huic similis non reperiatur in Scripturis. Legimus Christum incarnatum, sed semel tantum, & hoc in utero virginis. At illud ita futurum, multis prophetarum oraculis fuit prædictum, per Christum, vita, morte, & conversatione ostensum, ab Apostolis prædicatum. Quod autem Christus quotidie impanatur, (ut ita loquar) in manibus cujusvis sacrificuli, neque à prophetis est prædictum, neque ab Apostolis prædicatum, illo solo fundatur, quod Christus dixit, *Hoc est corpus meum; Hoc facite in mei commemorationem*. Quibus verbis si Christus hoc voluisset, quod dicunt, certè unicum verbum sufficere debere non dubitamus. Sed mirum, quare non similiter dicant *Joannem Baptistam* transsubstantiatum in Heliam, cum de eo diceret Christus, *ipse est Helias*. Matth. XI. aut Evangelistam in Christum, dicente Domino in cruce ad matrem de illo; *Ecce Filius tuus*, aut Christum in petram, cum se demonstrans ait. *Super hanc Petram*: Et rursum petram in Christum,

eum Paulus dicit, *Petra erat Christus*, vel, si hoc loco expositionem admittimus, dicendo, Petra erat Christus, id est, repræsentabat Christum. Quare in præposito idem non audemus, maximè cum ait, *Hoc agendum in ejus commemorationem*, & commemoratio absentis saltem corporaliter potius videatur quam præsentis. Scio consuetudinem in causa esse, quare in hoc loco ab expositione abhorrent aures, quod aliis in locis non contingit: Sed diversitatis rationem invenire non possum, multi similes loci adduci possent, ubi Christus se ostium, viam, lapidemve dixerit, & Joan. XV. ait; *Ego sum vitis vera:* tamen ibi non sumus tam rigidi, ut Christum vitem naturalem, veram, fuisse dicamus, quid nos solo hoc loco angustat, præterquam Pontificis autoritas? non possum sapere. Consideremus ergo pro majori declaratione triplicem panem spiritualem. Christum qui fide comeditur, de quo Joan. VI. Manna quod manducaverunt patres in deserto, & Eucharistiam Christianorum: de quo in præposito; inter hos panes, quæ sit differentia, videamus. Et primum de duobus primis locus est clarissimus in Joanne præallegatus, ubi Christus ait. *Ego sum panis vitæ, Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est panis de cœlo descendens, si quis ex ipso manducaverit non morietur.* Hic manifeste Christus declarat differentiam inter panem Judæis de cœlo missum in deserto, & seipsum, panem, quem ipse erat daturus pro vita mundi, quia, licet ille significat Christum è cœlis venturum pro vita mundi, non tamen erat Christus, qui est panis vivus & vitæ. Ille autem neque vivebat neque dabat vitam, unde ipsum manducantes mortui sunt: Qui verò Christum manducant non moriuntur, sed vivent in æternum, & sic habemus differentiam duorum primorum. De tertio autem Paulus 1. Corinth. X. dicit, Eandem esse escam spiritualem Judæorum cum Eucharistia pane nostro, quem frangimus in memoriam Christi, qui descendit pro mundi vita, ut hic significent factum, quod illud significabat futurum: Ergo *nec* Eucharistia *panis vivus & vita est, quia etiam ipsum manducantes moriuntur.* Sicut ergo transitus filiorum Israel per mare rubrum significabat transitum per mortem ad vitam æternam, non tamen omnes mare transeuntes ad eam vitam pervenerunt, sed tantum illi, qui per fidem commoriebantur Christo futuro: ita in nostro Bapsismo significatur transitus per

mor-

mortem ad vitam, non tamen ad eam vitam omnes Baptizati perveniunt, sed qui Christo jam mortuo commoriuntur per fidem, resurgunt cum ipso per eandem. Sic & manna in deserto significabat Christum panem vitæ qui ab æterna morte præservabat, sed non omnes manna manducantes ab illa morte præservati sunt, sed tantum illi qui Christum futurum fide manducaverunt, quia manna licet significabat Christum, non tamen erat Christus. Simile est in Sacramento Eucharistiæ, autore Paulo, quare sicut ille non erat, quod significabat, quod Christus probat in Joanne, ex eo, quod ipsum manducantes à morte æterna non servabat; Ita nec nostra Eucharistia est Christus, quem significat, simili argumento, quia manducantes ab æterna morte non servat. Ideò nos hortatur Paulus ne simus concupiscentes malorum, palpantes nobis propter Baptismum, aut panis Sacramentum, quasi hæc habeamus præ Judæis, vel quasi rem nos habeamus, ipsi verò solum signa. Non sic se res habet, dicit Apostolus: *Nam esca spiritualis vestra eadem est cum esca Patrum*, quare sicut illis non pepercit peccantibus, ita nec vobis faciet, si vobis defuerit fides per charitatem rectè operans, qua sola tam ipsi, quam nos rem accipimus istis signis signatam: propterea scriptum est Psalmo quindecimo, *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Sed panis consecratus corrumpitur & à muribus comeditur, ut patet experientia: Ergo panis consecratus non est Christus. Sed maximè admisso illo, quod Christus in cœna verbo virtutis suæ panem transsubstantiavit, aut ita corpus suum illi univit, ut verè & simpliciter dicatur, Christus est id quod est Panis, sine aliqua expositione; & jam huic simile non reperies in tota scriptura à Christo vel discipulis factum, quos dixerat tamen omnia & majora facturos, Johan. XIII. Non tamen adhuc sequitur, si Christus hoc fecit, quemlibet sacrificulum hoc facere posse. Videamus ergo, quibus verbis tanta potestas data sit hominibus; dicunt Romani per hæc verba. *Hoc facite in meam recordationem*: At jam incertum est, an verba ista sic sint exponenda, hoc quod ego facio facite, vel hoc quod vos facitis facite in meam commemorationem. Si primum exponendi modum accipimus, iterum incertò stamus, cum certum non habeamus quid ipse fecerit. Sunt enim qui dicunt, ut recitat Erasmus in annotatione epist. 1. ad Corinth. XI. Christum prius

 con-

erantem loqui in personâ propriâ, cum dicit, *Benedixit*, *fregit*, *deditque discipulis suis*, *dicens*. Et post illud verbum, *dicens*, ipsum incipere loqui in personâ Christi; quia contra hanc solutionem pugnat verbum, *effundetur*, in benedictione calicis. Ubi ergo esset dicendum, *qui effusus est*, nisi velis personam ibi mutare contra omnem sensum communem. Jam videre licet, quam obscura & incerta sunt omnia à Romanis nostris hic inserta, quæ nec stare possint nisi commentis fulciantur humanis. Quare melius manendum existimo in verbo simplicissimo Christi. *Si quis dixerit vobis*, *quia hic est Christus*, *nolite credere*. Est præterea quod fidem Romanam reddit suspectam, quia cum articulus iste esset singularis & primo forte loco ponendus, non tamen collocatur in Symbolo, ut ajunt, Apostolico. In decretalibus autem Papæ religiose de ea tractatur in titulo. 1. & ca. 1. Decre. Quæ res etiam auget suspitionem, papisticum esse inventum, vel Satanæ potius, quod nec puto aliquem inficias iturum, qui prius tacite secum revolverit, quam caute tota religio Papistica sit supra hoc fundamentum fundata. Christus qui sola fide cernitur, sola fide colitur, qui docuit corporalia servitia proximo impendenda. Ipsi autem serviendum in Spiritu per fidem, &, quo hoc facilius fieret, corporalem præsentiam nobis subtraxit, quam obesse discipulis testatus est, dicens: *Si non abiero Paracletus non veniet*. Satan ut omnia perverteret, corporalem Christi præsentiam persuadere est conatus, & licet non in specie hominis, in specie tamen panis. At panis qui oculis corporalibus cernitur, si DEUS esse creditur, corporalibus eget servitiis. Indignum enim esset, DEUM humili casa concludi, aut inclusum sine honore relinqui. Hinc ergo templa sumtuosa, & ornatus templorum, hinc lampades & tedæ, hinc vestes sacræ ex bysso & auro contextæ, hinc boatus monachorum in choris, unctio Sacerdotum & castimonia, hinc pars Sacramenti laicis aufertur, & breviter si illud subtraxeris, ruet universa religio Papæ, quam aliquando casuram, quis dubitabit? cum eam modo magna ex parte videas cecidisse. Humanum ergo commentum est, in quo fundatur, quia si supra petram esset posita, contra omnes procellas staret invicta. Non ergo per hæc verba. *Hoc est corpus meum*, Salvator panem transsubstantiari voluit, sed per panem seipsum dare,

re, ſicut mos eſt quibusdam incolis, quando venditor agri poſſeſſionem vult tradere emptori, dat ei baculum, ſtramen, aut lapidem, & dicit, *Ecce trado tibi agrum*: Item poſſeſſio domus datur per traditionem clavium. Sic etiam Dominus per panem ſeipſum tradit nobis, quaſi dixiſſet, *accipite & comedite & nolite æſtimare parvum, quia hoc quod trado vobis, ſignificat corpus meum quod do vobis*, dando iſtud. Quando ergo illud tradetur aut in cruce pendetur, erit pro vobis, imo omnia quæ feci aut faciam, veſtra ſunt. Magna eſt conſolatio iſta, & dulciſſima verba, ſi recte contemplentur; nec ſine cauſa dictum eſt, *Eſt*, pro *ſignificat*, quia, *eſt*, multo certius & vehementius prædictum ſenſum facit, ſicut dicimus demonſtrando ſignum pluviæ, hoc eſt pluvia, quod certius repræſentat pluviam futuram, quam ſi diceremus, hoc ſignificat pluviam, & ſimilibus locutionibus plena eſt Scriptura, ut Gen. quadrageſimo. *Tres propagines tres adhuc dies ſunt*, ſimiliter, *tria caniſtra tres adhuc dies ſunt*, & in ſequenti capite, *ſeptem boves pulchræ & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt*, & ſimilia abundant exempla. Romani autem pro ſua expoſitione unum exemplum dare non poterunt contra omnem experientiam, cœcos illuminavit, mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, ſed ita ut omnibus viderentur mundati, viventes & videntes, non ſolum crederentur tales contra experientiam. Talia vero miracula Papa & ſui facere ſolent, qui ex peſſimo nebulone, lenone, aut pirata facit patrem ſanctum & reverendum epiſcopum, non quod videatur per experientiam ſanctior aut ſapientior, quam erat prius, ſed creditur ſanctus ac ſapiens. Similiter multa miracula facit liberando animas à purgatorio, vel dimittendo certas partes pœnarum a Deo infligendarum pro peccatis (forſan pro pecuniis) vel etiam omnes, ut creditur à miſeris, contra omnem experientiam, quia tempore peſtilentiæ aut belli nihil nimus ſentiunt ii, quibus omnis pœna eſt remiſſa, aliis, nullam remiſſionem habentibus. Dijudicemus inter panem ore ſuſceptum & Chriſtum, quem fide accipimus: quod ſi quis non dijudicaret, corpus Domini, putans ſe nihil aliud accipere quam quod ore ſuſcipit, reus eſt corporis & ſanguinis Domini, & manducat ſibi judicium & bibit, quia bibendo & manducando oſtendit ſibi adeſſe Chriſtum, cum tamen ipſe deſit Chriſto per infide-

delitatem. Misereatur ergo nostri Deus, quanta videtur esse abominatio ista, filii Israël liberati de manu Pharaonis, & pane de cœlo saturati, recesserunt cito de via, quam ostendit ei Moses, feceruntque sibi vitulum conflatilem & adoraverunt, atque immolantes hostias ei, dixerunt, *isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* At nos Christiani, cito recedentes à verbo Christi ducis nostri, dicentis; *si quis dixerit vobis, hic est Christus, nolite credere*, Panem elevamus & dicimus: Hic est DEUS noster, qui nos redemit sanguine suo. Detestandum hoc est, neque audiendos puto, qui dicunt, corpus Christi esse in pane, sicut ignis in ferro, nisi non audiamus Christum dicentem, *si dixerint in penetralibus est Christus, nolite credere*, sed *in omni verbo quod procedit de ore Dei*, non dicit Dominus, in hoc vel illo verbo, sed, *in omni.*

Nos autem relictis omnibus verbis, quæ Christus in ultima illa cœna sua locutus est, solum ea nobis adsumpsimus, *hoc est corpus meum*, & *hic calix novum testamentum est in meo sanguine* &c. Super quibus tot jam conscripti sunt libri, quod vix mense uno quis eos legere posset. Sed nostra culpa est, qui tales meremur scriptores, quod relinquimus fontem aquarum viventium, divertimusque ad cisternas veteres. Omne Dei verbum audiendum est, & solum DEI verbum audiendum est, nihil nobis est liberum, omnis doctrina nobis prohibita est, & omne verbum præter Christi verbum, quia hæc dicit Dominus. *Oves meæ vocem meam audiunt, alienorum vocem non audiunt.* Quid igitur dicis, tibi liberum esse loqui & facere, quod Dominus non prohibet. Si tu es ovis Christi non audies eos qui talia dicunt, nonne Christi verbum præcipit & vetat? Quid fratri tuo subventum est, si omnes consecratas (ut ajunt) hostias comederis & omnes vini calices biberis? Dicis mihi, Ego habeo præceptum Domini, quod mihi dicit, *Hoc facite in mei recordationem*, quasi Christus in eadem cœna non abundè satis docuerit, quid velit nos facere, quæ omnia Johannes Evangelista quinque capitibus describit à decimo tertio incipiens usque ad decimum octavum; Audi Israel verba Domini DEI tui, hæc dicit Dominus, *quæcunque uni ex minimis his non fecistis, mihi non fecistis.* Cavete falsos doctores, cavete falsos Christos. Multi venient, dicit Dominus, in nomine meo, dicentes, *Ego sum Christus* & seducent mul-

multos. Olim dicebant, ego ſum Thomæ, ego ſum Scoti, Hieronymi, Auguſtini, Franciſci. &c. Nunc qui veniunt, dicunt, Ego ſum Chriſtus, interim tamen dilacerant fratrem, multi avari ſunt, ſui amantes, & quæ DEI ſunt negligentes, nihil minus quam charitatem ſectantes: *a fructibus eorum cognoſcetis eos*, dicit Dominus.

At in hoc cognoſcent omnes, quod mei ſitis, ſi dilectionem habueritis, ad invicem. Certè & hi quæ placita ſunt populo loquuntur. Veram iſtam Chriſti doctrinam, quæ docet, ſemper injuriam ferendam, nunquam inferendam, reſiſtendum malo, ſed in bono vincendum malum, ei qui aufert quæ tua ſunt, non contradicendum, petenti dimidietatem poſſeſſionis relinquendam totam, nemo inculcat. Omnis ille Chriſti ſermo in monte factus, penitus negligitur, in quo Chriſtus chriſtianum hominem inſtituit, atque omnia quæ docuit in ultima illa cœna per compendium declarat. Hæc non docentur, aut ſi docentur, frigidè & juxta præſcriptum humanum adhuc, quare ſine fructu & ſine ſpiritu, qui ſi non adeſt, non poſſumus recordari omnium Chriſti verborum. Nec aderit, quamdiu carnalem ejus credimus præſentiam, quia ut dicit ipſe, *ſi non abiero, paracletus non veniet*. Hæc, pie Lector obiter tibi ſcripſimus. Veram dominici corporis manducationem & ſanguinis potationem brevi emiſſuri, ſi id voluerit DEUS. Interim ora ne deficiat fides noſtra, utque veræ oves veram paſtoris non alienorum vocem audiamus.

Num. XXIV.

EUCHARISTIÆ apud *Tigurinos*
celebrandæ formula
paulo ante Zwinglii mortem
concepta.

COronidis jam loco hic ex Fidei Chriſtianæ Expoſitione ad Franciſcum I. Regem Galliæ ſcripta, paulo ante Zwinglii mortem, & quinquennio demum poſt ejus mortem edita, in Opp. Zwinglii Tom II. fol. 563. 564. aſſerimus hanc *Euchariſtia in Eccleſia Tigurina*

rina celebrandæ Formam, ab ea, quam in ipso Opere p. 316. exhibuimus, paulisper diversam, atque in his illisve circumstantiis minutioribus immutatam:

* * *
* *
*

Primo predicatur satis longo sermone beneficium Dei quod nobis per filium suum impendit, & trahitur populus ad ejus rei cognitionem & gratiarum actionem. Eo finito, ponitur mensa ante chorum, ut vocant, pro gradibus, ea sternitur mantili, imponitur panis azymus & vinum in crateras funditur. Deinde prodit Pastor cum duobus ministris, qui omnes convertuntur ad populum, ita ut Pastor sive episcopus in medio illorum stet non alia veste, quam quæ vulgo usitata est honestis viris & ministris ecclesiæ. Tunc sic orditur Pastor alta voce, lingua vero non Latina, sed vulgari, quo omnes intelligant quod agitur.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

Respondent ministri nomine & loco totius ecclesiæ, Amen. *Pastor*, Oremus.

Nunc genua flectit ecclesia.

Omnipotens æterne Deus, quem jure universæ creaturæ colunt adorant & collaudant suum videlicet artificem creatorem ac patrem, da nobis miseris peccatoribus, ut eam laudem & gratiarum actionem quam unigenitus filius tuus dominus noster Jesus Christus nobis ad faciendum instituit, syncera fide peragamus. Per eundem dominum nostrum Jesum Christum filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Hic legit minister qui ad sinistram stat. Quod jam legitur, scriptum est in priore epistola Pauli ad Corinshios XI. cap. Convenientibus vobis in unum, non est ut dominicam cœnam edatis, *& cætera usque ad hunc finem*, non dijudicans corpus domini.

Tunc respondent ministri cum ecclesia, Laus Deo. *Pastor*, Gloria in excelsis Deo. *Diaconus*, Et in terra pax. *Hypodiaconus*, Hominibus sana & tranquilla mens. *Diaconus*, Laudamus te, Benedicimus te. *Et cætera usque ad finem hujus hymni complentur alternis agentibus ministris, versum pro versu, ecclesia omnia intelligente, & prius ad-*

admonita ut quisque secum quæ dicuntur in pectore loquatur ac reputet, in conspectu Dei & ecclesiæ. Diaconus dicit, Dominus vobiscum. *Respondent ministri,* Et cum spiritu tuo. *Diaconus,* Quæ jam leguntur in Joannis euangelio scripta sunt capite sexto. *Respondetur,* Gloria tibi domine. *Diaconus,* Sic locutus est Jesus: Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri comederunt manna, *& cætera usque ad hunc finem,* verba quæ vobis loquor spiritus & vita sunt. *Post quæ verba dicit Pastor,* Deo gloria, qui juxta verbum suum dignetur nobis remittere universa peccata nostra. *Respondent ministri,* Amen. *Pastor,* Credo in unum Deum. *Diaconus,* Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. *Hypodiaconus.* Et in Jesum Christum filium ejus unigenitum dominum nostrum, *&c. usque ad finem symboli quod apostolicum vocant, quod perinde alternis recensent ministri alta voce atque prius, hymnum, Gloria in excelsis.*

Pastoris invitatio ad cœnam digne celebrandam. Jam volumus charissimi fratres, juxta ritum & institutionem domini nostri Iesu Christi, hunc panem edere, & hunc potum bibere, quæ sic præcepit fieri, in commemorationem, in laudem, & gratiarum actionem hujus quod mortem pro nobis passus est, quodque sanguinem suum, ad abluendum peccata nostra, effudit. Quocirca probet & interroget quisque seipsum juxta verbum Pauli, qualem fiduciam ac certitudinem in dominum nostrum Iesum Christum habeat, ne se quisque pro fideli gerat, qui tamen fidem non habeat, & sic reus fiat mortis domini. Neque totam ecclesiam Christi (quæ illius corpus est) contemnat & subinde in eam peccet. Proinde in genua vos demittite & orate, Pater noster qui es in cœlis *& cætera usque ad finem. Et cum ministri responderint* Amen, *iterum oret Pastor.*

Oratio. Domine Deus omnipotens, qui nos per spiritum tuum, in unitate fidei, in unum corpus tuum coagmentavisti, cui corpori tuo præcepisti, ut laudes & gratias tibi agant pro ea liberalitate ac beneficio, quod unigenitum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum pro peccatis nostris in mortem tradidisti, Da ut hoc tuum præceptum ea fide impleamus, ne te infallibilem veritatem ulla mendaci simulatione offendamus aut irritemus. Da quoque ut tam sancte

vi-

vivamus, atque ut tuum corpus, tuos filios, familiamque tuam decet. Quo increduli quoque nomen & gloriam tuam agnoſcere diſcant. Cuſtodi nos domine, ne nomen & gloria tua propter vitæ noſtræ pravitatem in contumeliam rapiatur. Semper oramus, Domine auge nobis fidem, hoc eſt indubitatam fiduciam in te. Tu qui vivis ac regnas, Deus in ſæcula. *Reſpondent*, Amen. *Deinde ſic agit & verba ſacra ſimul effatur Paſtor*

Dominus Ieſus, ea nocte qua tradebatur ad mortem, accepit panem, *hic accipit Paſtor panem azymum in manus*, cumque gratias egit, fregit ac dixit, Accipite, comedite: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. Hoc facite ad commemorationem meam. *Hic ſimul prabet Paſtor panem miniſtris qui circum menſam ſtant, qui protinus cum reverentia illum accipiunt & inter ſe dividunt ac comedunt. Dum interim Paſtor pergit.* Similiter, poſtquam facta fuit cœna, accepit & poculum. *Hic ſimul accipit Paſtor poculum in manus*, gratias egit ac dixit, Bibite ex iſto omnes, hic calix novum teſtamentum in meo ſanguine eſt. Quotieſcunque iſtud facturi eſtis, facite ad meam commemorationem. Quotieſcunque enim panem hunc comedetis, & de poculo iſto bibetis, mortem Domini prædicabitis, laudabitis, & gratias agetis, uſque dum veniat.

Poſt hac circumferunt miniſtri azymum panem, & accipit quiſque ſua manu particulam de exhibito pane, & poſtea reliquam partem prabet proximo ſuo. Et ſi quis non vult panem ſua manu contrectare, jam circunferens miniſter porrigit ei. Deinde ſequuntur miniſtri cum crateribus & prabet alius alii poculum dominicum:

Iterum legit de ſuggeſto alius miniſter ex euangelio Joannis aliquouſque, dum editur ac bibitur ſacramentum corporis & ſanguinis domini, incipit autem à tredecimo capite. Cumque crateres omnes ſunt reportati, tunc ſic infit Paſtor, Procumbite in genua. *Nam ſedentes & tacite auſcultantes verba domini, edimus & bibimus cœnæ ſacramentum. Cumque omnes procumbunt, infit inquam Paſtor.*

Laudate pueri dominum, Laudate nomen domini. *Diaconus*, Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum. *Hypodiaconus*, A ſolis ortu uſque ad occaſum, &c *Et ſic iterum alternis finiunt miniſtri hunc Pſalmum. Quem Hebrai perhibent à majo-ri-*

ribus suis dici solitum à mensa. Post ista adhortatur Pastor ecclesiam his verbis.

Memores sitis fratres charissimi, quidnam juxta Christi jussum jam simul gesserimus. Testati sumus enim ista gratiarum actione quam ex fide peregimus, nos miseros quidem esse peccatores, sed mundatos corpore & sanguine Christi quæ pro nobis tradidit & effudit, sed & redemptos à morte sempiterna. Testati sumus nos fratres esse: id ergo præstemus charitate, fide, officio mutuo. Oremus ergo dominum, ut amaram ejus mortem sic alto pectore teneamus, ut quotidie peccatis quidem moriamur, omnibus autem virtutibus sic fulciamur ac crescamus, gratia & munere spiritus ejus, ut nomen domini in nobis sanctificetur, proximus autem ametur & juvetur. Dominus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri, Amen. *Oratio. Pastor iterum orat.*

Gratias agimus tibi domine pro universis donis & beneficiis tuis, qui vivis ac regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen. *Pastor.* Ite in pace. Amen.

Deinde digreditur ecclesia.

F I N I S.

Errata Typographica

p. 47. lin. 8. pro *Augustianani* lege *Augustiniani*
p. 61. lin. 9. post, *prospiciebatur*, ponatur punctum. *Ut*, &c.
p. 80. lin. 11. pro *ipse*, lege *ipsius*.

INDEX

INDEX MONUMENTORUM HOC VOLUMINE EXHIBITORUM.

XI

INDEX.

FINIS.